

sicut formæ in embrione succedentes sunt in genere viuentium, non enim sunt velut species depensæ, sed vt vita ad aliud, & similiter status incipientium, & perficientium, vt ipsa ipsorum nomina ostendunt, viam ad aliud, hoc est ad perfectionem seu perfectionis status significant, &c. & infra explicans D. Anselmum lib. de similitudin. cap. 46. vbi dicitur. *Quatuor sunt status humana natura, &c.* explicat S. D. Quod non ita strictè, & proprie status nomine vsus est sed per statum intelligit conditionem, quasi diceret quatuor sunt conditiones hominum in qua significatione frequens videtur vsus esse. Hæc ille, quibus mens Angelici Doctoris enucleat.

3 Vtrumque Thomam quantum ad vtramque rationem constituentem statum, quod sit cum obligatione immobilis permanentia, & stabilitas, est omnium indubitata sententia, vt latè probant Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 4. Valent. in *Analysi Fidei*. Platus de bono statu Relig. lib. 2. c. 20. Vasq. 1. 2. disp. 165. à num. 44. Azor. lib. 11 c. 23. quest. 5. Thom. Sanchez lib. 5. summ. cap. 1. qui etiam dicunt quod hæc obligatio debet esse perpetua quod manifestè confirmat D. Thom. loc. cit. & ex ea deducit duo, quæ valde conducunt ad stabilitatē enucleandam: Primum, quod quia Episcopus nequit dimittere curam animarum ad quam voto perpetuo se adstrinxit dimittere, & ad Religionem transuolare, iuxta cap. cum pridem de renunciatio. vbi Innocent. III. sic alloquitur Episcopo..... *Si penas habeas quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen strictæ sunt nexibus preceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum, soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo quo quis se ad curam subditorum se adstrinxit Episcopatum suscipiens.* Hæc ex D. Thom. 2. 2. quest. 185. art. 4. in fine corp.

4 Secundum quest. 189. art. 7. in quo dicit, quod † Archidiaconi, & curati possunt ad Religionem transuolare, quia non obligantur voto perpetuo, & solemniter ad curam animarum retinendam sicut obligantur Episcopi, & ita illam possunt deserere, & ad Religionem ire etiam contradicente Episcopo, cap. dua sunt leges, 19. quest. 2. & in solut. ad 1. ideo dicit, quod Archidiaconi non sunt in statu perfectionis, & ita possunt religionem intrare, quia Presbyteri, Archidiaconi, & curati obligauerunt se ad curam agendam subditorum quandiu retinent Archidiaconatum, vel Parrochiam non autem obligauerunt se, ad hoc quod perpetuo Archidiaconatum, vel Parrochiam teneant. Vnde ex vi officij curati, aut Archidiaconatus non sunt in statu, quia possunt liberè illa relinquere.

5 Ex quibus duobus D. Th. assertis † colli-

gitur, quod non est stabilitas, nisi respectu illius à qua nequit quis ex vi obligationis, quæ habet se liberum exhibere, si enim liber esse potest via ordinaria, nequit habere proprium statum si rationem status ex natura rei, & eius ab omnibus recepta quidditate consideremus, quamuis alias status iste, de potentia extraordinaria, possit dissolui ex altiori priuilegio à Deo Sūmo Pontifici dato, & concessio. Quæ doctrina mihi est indubitata sicut fuit omnibus antiquis Scholasticis, & Summistis Alphabetariis, & constat in matrimonio rato, & non consummato, hoc enim iure diuino est insolubile ex natura rei, quia dissolui nequit ex consensu contrahentium, vel alicuius eorum sicut contractum est, si enim huius contractus vinculum posset ex mutuo vel alicuius ex contrahentibus consensu dissolui, nullatenus esset insolubile ex natura rei nec constitueret stabilitatem matrimonij, vt liquido constat ex Trident. sess. 24. & tamen certum est posse dissolui per solemnem Religionis professionem, alterius coniugum vt habetur sess. ead. canon. 6. & iuxta probabilem sententiam potest Pontifex vtens de plenitudine potestatis illud dirimere, & nihilominus constituit stabilitatem, à qua recedere non possunt via ordinariæ prouidentia, quam Christus in Ecclesia reliquit contrahentes, ergo vbicumque quis via ordinaria potest se liberum videre ab obligatione quam sibi imposuit in votis non constituunt statum, quia de huius ratione, & quidditate est perpetuitas.

Sed respondet Pater Thomas Sanchez vbi supra num. 26. quod † vt sit perpetuitas ad rationem status requisita non obest, quod quis possit ab statu liberari ex voluntate alicuius superioris, vt contingit in societate à qua dimittuntur aliqui, & liberantur omnino à votis à patre generali, sed sufficit ad rationem status religiosi, quod ille qui emittit vota simplicia, in Religione approbata non possit sua sponte ab obligatione resilire, sed si resiliat fit vere apostata, & vt talis omnes pœnas Apostasiæ incurrat, sicut seruus in vero, & immobili seruitutis statu est, eo quod se liberare propria sponte nequeat, quamuis possit lex Domini beneplacito liber effici, quod fortius in dictis Religiosis procedit, qui non ex solius Generalis beneplacito possunt dimitti, sed concurrente iusta expulsionis causa.

Verum enim vero, etsi solutio ista plausibilis alicui videatur, at si prælo sudet sua inuenietur, & imprimis exemplum quod adducitur non est ad rem, quia † status seruitutis introductus est iure respectu personæ Domini cui obligatur seruus, & sic Dominus prout sibi libuerit potest manumittere, & seruum ad statum natiuæ libertatis reducere,

reducere soluens obligationem sibi factam, si ergo scholaris societatis post emissã vota simplicia transacto nouitiatus tempore potest liber manumitti ad sæculum, & pristinã libertatem ab obligationibus votorum omnino absolutũ sicut seruus manumissus, manifestum est quod status huius religiositatis & seruitutis non est ex natura sua, sed ex speciali lege, & constitutione Apostolica solummodo, at status Religiosi professi votis solemnibus, ex natura horum votorum est status immutabilis, & perpetuus ex parte Religionis, & ex parte Religiosi, quia ex natura sua votum solemne facit personam inhabilem ad rerum dominium, & ad contrahendum matrimonium, vnde ad statum Religiosum qualis fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum vsque ad statum Religiosum societatis Iesu essentialiter requirebatur votorum solemnitas sine qua nullus erat perfectus filius Religionis, nec verus Religiosus.

- 9 Vtrumque docuerunt vterque Thomã, & omnium antiquorum chorus in iure etiã canonico nihil apertius reperitur, quã quod quis sola professione solemnĩ fit Religiosus cum effectu *cap. Religioso. ad finem de sententia excommunicationis in 6. c. porrectum de Regular. Clement. 1. de Relig. Dom. vbi glossã, & omnes Canonistã, Summistã veteres [verb. Religio, & late Nauarrus cap. non dicatis 12. quest. 1. num. 15. vnde D. Caiet. 2. 2. quest. 188. art. 1. §. ad hoc dicitur sic fatur. Cum appellatione Religionis proprie intelligatur status personarum tria vota solemnia emittentium, & in proposito vota, quæ ab huiusmodi mulieribus sic emittuntur sunt tantum vota simplicia, & non solemnia ista persona emittentes talia vota non fiunt propterea ex non religiosis, religiosã, vnde ex Caiet. sententia euidens est quod vota simplicia vt sic, nisi accedat indultum S. Apostolicæ, non constituit verum religiosum quod ipse Cardin. explicuit q. 88. art. 7. §. sed neque hæc opinio. Quoniam (inquit) mutatio status m̄cipando hominum ad diuinum cultum, & religiosa opera stare potest cum voto simplici vt patet si Ecclesia institueret, quod in sacro ordine, & Religione aliqua votum simplex fuerit. Hæc Caiet. quæ nos non negamus, quod Sacra Congregatio Generalis Inquisit. Eminentiss. Card. coram Sixto V. decreuit Teste Riba de Neyra lib. de instit. societ. c. 17. ad 8. dicens. Sacra Congregatio quod substantia Religionis regulariter consistit in votis solemnibus, at posse Summum Pontificem aliter indulgere seu statuere, vnde certissimum est quod iure communi non fit quis verus religiosus nisi emissã professione solemnĩ quia hucusque Romanus Pontifex verum statum religiosum veramque in Religione approbata stabilitatem admisit sine votorum solemnĩ-*
- 10
- 11

nitate, vt constat ex iuribus citatis in quibus cautum est, & consuetudine totius Ecclesiæ, quæ consuetudo ius introduxit ne aliquis fieret verus religiosus, nisi in religione approbata à potente approbare solemnem emitteret professionem, & sic si in societate veri sunt religiosi ante solemnem professionem, hoc est non ex natura votorum, quæ emittunt in religione approbata, sed ex indulto, & priuilegio Apostolicæ sedis indulgentis contra vniuersalem consuetudinem Ecclesiæ, & iura canonica quod quis fit vere religiosus sine professione solemnĩ cum solis votis simplicibus in societate emissis quæ ex natura sua non habent statum constituere sicut habet votum solẽne quod, quidem tale non est nisi emittatur in religione approbata.

Id quod mihi certissimum est, probo ex vtroque Thoma, & quidem quod D. Thomsenferit quod † votum solemne ex natura rei dirimat matrimonium, & faciat incapacem dominij, & per consequens quod ex natura rei constituat statum religiosum immutabilem in religione approbata lippis, & tonsoribus manifestum, id enim docuit S. D. tam in summa, vbi dicit quod summus Pontifex nequit dispensare in votis solemnibus Religionis 2. 2. quest. 88. art. 12. quam in 4. sentent. dist. 38. quest. 1. art. 2. quest. unc. 3. & art. 3. quest. unc. 3. vbi dicit quo votum solẽne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum † in quantum scilicet homo per ipsum amisit sui corporis potestatem Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideo non potest illud tradere in potestatem uxoris ad matrimonium contrahendum, & in solut. ad 3. dicit, quod votum solemne habet actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex. vnde art. 2. quest. unc. 3. distinguit votum simplex, & solemne quia istud habet completam vim obligandi ponens cum cui fit promisso in possessione rei promissæ sicut si quis promitteret seruitium, & se in seruum daret, at votum simplex ex sua natura id non habet quia ex se non ponit in possessione.

Nota tu Thomista D. Tho. nec somniasse votum solemne posse consistere, & statum religiosum ex natura rei constituere, sine speciali autoritate Ecclesiæ, & Summi Pontificis confirmantis, & approbantis religionem, in qua votum solẽne emittitur, imo hæc conditionem vt essentialiter requisitam exegit, dicit enim quest. unc. 3. modo cit. quod votum solemnizari dicitur per professionem certæ Regule debito modo factæ, scilicet in manu eius qui debet recipere, & aliis circumstantiis seruatis quæ secundum iura determinantur, alias non esset votum solemne, quantumcunque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum, qui Religioni presunt,

presunt, quod expressius dixit in solut. ad 3. quod erat quod in Ecclesia poterat esse votum solemne ante constitutionem certarum regularum, ergo potest solemnitas voti consistere sine professione certæ Regulæ, ad 3. (inquit) dicendum, quod antequam essent istæ Regulæ, quæ modo sunt, erat aliquis modus viuendi ab Ecclesia approbatus quo aliqui ad ea, quæ super erogationes sunt se obligabant, & certi temporis obligatio ad alium modum viuendi idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam Regulam. Hæc ibi, vt omnibus notum sit S. Doct. ad voti solemnitatem exegisse, quod modus viuendi in quo emittitur sit ab Ecclesia approbatus sine cuius approbatione votum solemne non subsistit.

Quare appono doctrinam grauissimam D. Caiet. quæst. 88. cit. art. 6. *Quantum vero non contradico auctori (S. Tho.) ad cuius existentiam scito, quod † exhibitio sui ipsius & statutum Ecclesie possunt dupliciter considerari, scilicet seorsum, & sic neutrum sufficit ad solemnitatem voti, & propterea secunda opinio ponens in sola exhibitione solemnitatem voti refutata est, & ab ipso auctore refutatur in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 2. quæstio. 3. dum dicit, quod quantumcunque, quis profiteatur nisi seruato positiuo iure hoc faciat, non est votum solemne, propterea quoque tertia opinio, ab auctore ibidem refutatur, quod scilicet super simplici statuto Ecclesie fundatur. Oportet namque iuxta secundam distinctionis propositæ membrum, ambo, scilicet concurrere, scilicet, & Ecclesie auctoritatem, & ex parte vouentis, impotentia tradendi se ipsum alteri, quæ impotentia, quia negatio est, fundatur super affirmatione, aut approbatione exhibitionis sui ipsius, vt auctor vult & rationi consonat, quia Ecclesia propter hoc inhabilitat ad carnis seu mundi opera, quia approbat exhibitionem ad Dei cultum, seu famulatum; aut approbati sic voti, vt ex hoc ipso quod votum est sic, hoc est cum inhabilitate vouentis ad matrimonium, &c. approbatum prius ab Ecclesia, impotentia ista sequatur, utroque scilicet modo Ecclesia facere potest.*

16 Ex quibus patet primo, quod † ad solemne votum duo exiguntur tantum. Nam ex parte vouentis requiritur, quod voueat, ex parte autem Ecclesie, quod votum sit inhabilitans hominem ad matrimonium, &c. Hanc enim inhabilitatē vim non posse votū ex priuata auctoritate habere, sed ab Ecclesia solum manifestē patet, ex eo quod sublata Ecclesie approbatione & institutione, quantumcunque aliquis suscipiendo subdiaconatum voueret castitatem, & quicumque alius professionem alicuius religionis faceret, nunquam solemnī voto ligaretur, nunquam inhabilis esset ad matrimonium, quamuis peccaret contrahendo, vt potē contra votum simpliciter faciens, & in

hac vi consistit solemnitas voti.

Ex quibus omnibus liquido & manifestē 17 constat, quod † nunquam est status perfectus religiosus sine solemnitate, quæ solemnitas est vis inhabilitans hominem ad matrimonium, & reddens ipsum incapacem, ad dominium, & aliam quamcunque proprietatem, aut vsum rei tanquam suæ, hæc autem vis inhabilitans duo dumtaxat exigit primum, quod Religio in qua fit professio, vel in qua quis dicatur diuino famulari & seruitio, sit approbata ab Ecclesia, vel in Concilio generali legitimē congregato, vel à Summo Pontifice, qui sibi hanc approbationem reseruauit, sine hac enim approbatione nulla est votorum solemnitas, sicut nulla est Religionis legitima auctoritas, quæ à capite Ecclesie dimanat, vt à primo fonte priuatiuē ad omnem alium iure diuino. Secundum quod requiritur est, quod posuit D. Tho. scilicet, quod quis totaliter exhibeat se ipsum in holocaustum Domino tradens se in possessionem Dei, ita vt nihil reseruet, quod Domino non dicetur, mancipetur, & offeratur. Quæ duo si separatim cōsiderētur non faciunt statum religiosum perfectum ex natura rei faciens subiectum incapax ad matrimonium, & acquirendum rerum dominium, at si coniungantur iure diuino, & ex natura rei & ipsius status Religiosi emittens solemnem professionem est incapax matrimonij contrahendi, aut dominij, quia ex vi totalis huius mancipationis, quæ est obiectum voti emissi in Religione approbata, nequit quis alteri se tradere, aut acquirere aliquid sibi proprium, de quo ad libitum possit validē disponere, rem explico manifesto exemplo, quia Episcopus iure diuino est obligatus ad residendum in sua diœcesi, vt latē probatum est lib. 2. resol. 2. vt autem hæc obligatio iuris diuini exur- 18 gat, requiritur, quod ius humanū, & institutio Pontificia antecedit, qua diuidatur diœcesis, quibus diuersi Episcopi præsent & resideant, tamen supposita diuisione Pontificis (qui diœcesim potest extēdere, aut coarctare) Episcopus iure diuino & non humano tenetur residere. Ita contingit in præsentī ad ius humanum & Pontificium attinet, religionem instituere & confirmare, at supposita confirmatione vota, quæ in illa nuncupantur, dum professio fit iure diuino sunt immutabilia & faciunt statum religiosum perfectum ex omni latere, & ex omni respectu, immutabilem.

Cuius rationem dedit S. Tho. 2. 2. q. 186. 19 in qua postquam, art. 3. 4. & 5. probauit † requiri ad statum perfectum religiosum, paupertatem, obedientiā, & charitatem art. 6. probat hæc vt statum religiosum constituāt debere voto firmari, quia nisi voto firmentur

non habent immutabilitatem quam status iste si perfectus est exigit, quia status perfectus religiosus, ut ait Greg. *homil. 20. in Ezechiel.* est per modum holocausti, quia cum quis omne quod habet omne quod viuit, omne quod sapit omnipotenti Deo voueret holocaustum, est quod pertinere ait ad eos qui præsens sæculum deserunt. Quare si qui per vota religiosa totaliter non dicitur Deo & abrenuntiat sæculo, sed ea quæ habebat renuntiet in Domino, & tanquam sua, & ex vi voti simplicis castitatis (nisi adesset specialis prohibitio) poterat ducere valide vxorem, dubio procul non fit holocaustum Domino, sed sacrificium, ut supra dicebam.

20 Vnde fit quod † votum simplex triplex, castitatis, paupertatis, & obedientiæ etiam in Religione approbata non habet vim cōstituendi perfectum statum religiosum, neque Ecclesia id potest facere quod statum perfectum religiosum constituat, implicat enim in terminis quod sit status religiosus, & quod non sit ex vtraque parte immutabilis, & perpetuus, quia status religiosus perfectus exigit quod vota quibus perficitur sint immutabilia in religione approbata, ut ea acceptet de re totaliter mancipata Deo per modum holocausti, at vota simplicia emissa ut talia, & acceptata à religione approbata nō habent vim in habilitatem cum qui vouit ad matrimonium, & ad acquirendum, & retinendum rerum dominium, ergo nō faciunt statum religiosum perfectum quod ex tribus votis perfectis, quibus homo totaliter se Deo vouet, dicat, & consecratur, constat, & ex natura sua conflatur.

21 Quamuis † Ecclesia possit lege sua, & speciali institutione disponere, quod ille qui in religione approbata emittit tria vota simplicia sit vere, & proprie Religiosus, at si vota ista intra lineā simplicium maneat, nequit Ecclesia facere, quod iste sit in statu perfecto religioso, vnde poterit etiam Ecclesia instituere religionem quæ vere, & proprie sit religio ex iure positio, & ex particulari indulgentia Pontificia, in qua solum emittantur vota simplicia, quibus aliquo modo mutatur status de sæculari in religiosum, quantum ad religiosa opera ad quæ facienda obligatur in tali religione approbata à sede Apostolica, at sæcularitas status manet in radice, & potentia, qua iste talis non se dicat, & consecrat Deo totaliter, nec ut sic admittitur in tali religione quæ ipsū potest ad sæculum remittere, & sapissime sic factum est, non enim vota ista simplicia emissa in hac religione approbata ex se habent vim inhabilitantem subiectum ad opera sæculi, qualia sunt rerum dominia, & matrimonium ad quæ capax manet subiectū,

22 sic admittitur in tali religione quæ ipsū potest ad sæculum remittere, & sapissime sic factum est, non enim vota ista simplicia emissa in hac religione approbata ex se habent vim inhabilitantem subiectum ad opera sæculi, qualia sunt rerum dominia, & matrimonium ad quæ capax manet subiectū,

quantum est ex vi horum votorum, vnde ex vi illorum non resultat status perfectus religiosus, sed quidam modus seruitutis, & subiectionis religiōse approbatæ à S. Apost. similis quantum ad multa seruituti sæculari, à qua sicut liberatur seruus manumissione spontanea, vel ex causa facta à Dom. ita à seruitute, & subiectione ista religiosa via ordinaria liberat Generalis illa ligatum tribus catenis simplicibus, quæ facili ex causa hodie rumpuntur, manetque ille, qui ligatus existebat ab omni vinculo absolutus, ac si nunquam fuisset ligatus.

Vnde manifestum est quod Ecclesia huius sancti instituti approbatione, & confirmatione, & tot priuilegiorum largitione, non determinat quod vota ista simplicia faciant statum perfectum religiosum, qualis ab initio nascētis Ecclesiæ immutabilis omnino institutus est, appage? quis hoc sonare quibit? esset enim statum perfectum religiosum triplici modo solemni insolubilem, solucilem facere via ordinaria, sed quod faciant verum & proprium Religiosum, ad quod sufficere determinat, quod ex vi votorum simplicium faciant opera religiosa, ita ut contraria facientes faciant contra veram religionem votorum, vnde ea facientes sunt veri Religiosi, quia Religioni veræ approbatæ obsequuntur.

Totum hoc declaratur ex certa, & indubitata sententia D. Thom. 2. 2. *quæst. 184. vbi art. 4. ex professo ostendit, quod non quicumque est perfectus est in statu perfectionis, & sic † in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse non ex hoc quod habeat actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis, quod repetit art. 3. in corp. & ad 2. vnde art. 6. in corp. dicit, Quod ex hoc quod aliquis accipit sacrum ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis etsi enim accipiant statum clericalem, & Ecclesiasticum non tamen obligantur ad ea quæ sunt perfectionis, ut sunt castitas, paupertas, & obedientia, nisi quatenus in occidentali Ecclesia, in susceptione sacri ordinis emittitur continentia votum, quod est vnum eorum quæ ad perfectionem pertinent; ergo vbi non est votorum solemnitas nulla est perfecta stabilitas, nec ista cadit sub voto nisi solemni, sine quo, etsi possint esse opera religiosa facta ex voto, non tamen est perfectus religiosus status, sed † est status quidam imperfectus, quatenus emittens sua simplicia vota ex parte sua resilire nequit, aut absolui à votis, at cum possit absolui ab alio via ordinaria, & sic nō totaliter Deo mancipetur euidenter consequitur, quod non est status perfectus, nec habet ea quæ requiruntur essentialiter ad rationem status perfecti religiosi, iste enim ex sua ratione perfectionē dicit in linea status, vnde*

Vnde debet dicere, omnem immobilitatem, & totalem illius obligationem imbiberere, quare si ex aliquo capite potest immobilitas ista auferri via ordinariae providentiae, iam ratio status perfecti amittitur, quia bonum ex integra causa & malum ex quocumque defectu, status enim seruitutis cum sit oriundus ex peccato & defectu ab statu Innocentiae potest subsistere, etiam si non sit obligatio cum solemnitate aliqua nisi in seruo, qui liber euadit à seruitute ex voluntate Domini manumittentis.

Tota hæc doctrina ex aliis principiis confirmatur, quia † status perfectus religiosus est quoddam matrimonium spirituale, quod professus contrahit cum Religione, sicut Episcopus cum Ecclesia, vt bene Euerardus in suis Topicis, loco à matrimonio spirituali, atqui matrimonium carnale dicitur tantam firmitudinem & perpetuitatem, vt indissolubile sit, ex parte vtriusque coniugis, ita vt via ordinaria ex nullo consensu contrahentium possit dissolui, vel ex natura rei, vt vult communis sententia, vel ex iure diuino, vt alij autumant, etiam si sit dumtaxat matrimonium ratum, quos citant & sequuntur Thom. Sanch. l. 2. de matr. disp. 13. Coninch. de Sacrament. disp. 26. dub. 2. Perez disp. 20. sect. 2. ergo status perfectus religiosus similem dicit insolubilitatem; ex parte vtriusque contrahentis, vnde si via ordinaria solui potest, & absolui à vinculis votorum, manifestum est, quod vota ista non faciunt perfectum religiosum statum, sicut si matrimonium esset solubile via ordinaria & non ex dispensatione diuina, (vt posse fieri existimant qui dicunt esse insolubile lege dumtaxat diuina, & non naturali,) ex parte alicuius contrahentis sicut dispensatum est viro in lege Moyse, vt repudiaret uxorem, dubio procul matrimonium non constitueret statum perfectum; quem modo constituit, ergo vota simplicia etiam in Religione approbata, emissa, cum ex vi constitutionis & via ordinaria possint dissolui, ita vt illorum, nec umbra remaneat, ab illisque totaliter sit absolutus, qui illa emisit, à Generali Præposito, & sub hac implicita conditione dissolubilitatis nuncupentur manifestum est, quod non constituunt perfectum statum Religiosum. Quare si contrarij abutentes nomine status, † statum verum & perfectum dicunt hæc tria vota constituere æquiuocè vtuntur nomine status & non in propria eius notione, quam proposuit Diu. Thom. vt bene notauit Caiet. quest. 184. citat. articul. 6. contra quosdam qui asserabant Præsbyteros qui habebant ex officio suo animarum curam esse in statu perfectionis, quod negat Diuus Thomas, ibi,

Tom. II.

quia in hac cura sunt amobiliter, & eam possunt relinquere, quod repugnat rationi status.

Secundò, ex Doctrina D. Thomæ, quam egregiè enucleat Caiet. art. 6. citat. contra Henricum de Gandano, quodlibet. 12. q. penult. quia curati etiam si dum sunt in officio, circa animarum curam sint ex vi officij ad illam ita totaliter, quod sint veri officiales Episcopi, ipsorumque valui, at non sunt in statu perfectionis, qua possunt se liberare ab officio, vel manentes sine illo in sæculo, vel transeuntes ad aliam Præbendam sine cura, vel ad Religionem, siue cum licentia, siue sine licentia Episcopi. Vnde non sunt obligati vinculis perpetui voti ad hoc, quod curam animarum retineant si autem essent in statu perfectionis non liceret sine Papæ dispensatione officium dimittere, quia non esset in statu sine voto perpetuo per se, votum autem perpetuum per se solus Papa ex causa dispensat, votum autem per se est Castitatis, Religionis, curæ animarum in Episcopis, vt † bene vidit Caiet. ibi. dem §. ad hoc dicitur. Atqui vota simplicia emissa in Societate per se non sunt absolute perpetua, sed sub conditione, nisi dimittatur à Societate, ergo non constituunt statum absolutum religiosum de facto, quia perpetuitas est de essentia status & perpetuitas conditionalis, nihil ponit in esse. Ergo non facit statum religiosum simpliciter & absolute perfectum etsi faciat, vt diximus seruitutem & subiectionem veram religiosam, à qua potest liberare eos Superior Generalis, quare quandiu non liberantur sunt serui verè Religiosi sicut curatus, quandiu non dimittit curam est verus officialis Episcopi & verus curator animarum, at non est in statu perfecto perfectionis.

Hæc ratio ita manifesta est, vt nesciam, quid possint respondere, quod solide satisfaciatur, quod enim † curati sua voluntate possunt relinquere curam, quia ex nullo voto tenentur ad illam, sicut tenentur Scholares Societatis emittentes tria simplicia vota ex vi quorum, vt sunt in Societ. emissa post biennium, non possunt ipsi retro aspicere & relinquere Religionem, hoc inquam omnino est per accidens ad rationem perfecti status religiosi, qui prorsus à fundamento suo evertitur eo ipso, quod dissolui possit via ordinaria, & ex vi constitutionum approbatarum à sede Apostolica, status enim perfectus religiosus inconcussibilem exigit immutabilitatem, via ordinaria, quamuis extraordinaria possit dissolui (de quo modo nō disputo) sicut Angelus ex natura sua æternus est, quāuis de potentia extraordinaria annihilari valeat à Deo.

Quare aliter hoc conuictus Henricus
k k afferuit

- 32 asseruit, *vbi supra* † quod Curatus in statu perfectionis erat, quia obligatur ex vi officij curam animarum non relinquere, nec posset ad Religionem transuolare, nisi ex indulgentia Summi Pontificis, sicut nec Episcopus, sed cum discrimine, quod respectu Episcopi requiritur indulgentia specialis, *cap. cum pridem de renunciat.* at respectu Parrochi & Curati sufficit indulgentia generalis data illis, *cap. Domine 19. question. 2.* sed hoc egregiè diluit Dom. Caiet. *vbi supra*, §. *ad obiecta* prius tamen, quam eius verba adferam, obiter noto, quam certum sit apud omnes antiquos, quod ad rationem status perfecti requiratur omnimoda immutabilitas via ordinaria, siquidem Henricus, ut tueretur curatum esse in statu perfectionis fundatur, in hoc quod via ordinaria nequit soluere se, ab animarum cura, sed necessaria est Pontificia indulgentia sine qua immutabilis perseuerare tenetur ex vi voti perpetui, adnexi officio Curati, ut vult Henricus sicut tenetur Episcopus ratione voti adnexi Episcopatus, ut tenet D. Tho.
- 34 Sed Henrico satisfacit D. Caiet. egregia doctrina, quæ valdè enucleat ea, quæ diximus: sic enim fatur Cardinalis. *Ad id quod dicitur, quod dupliciter intelligi potest iuris indulgentia. Primo ut à iure statuta, alio modo ut à iure ostensa, ita quod ius posituum non facit, id monstrat illam. Cum autem dicitur, quod Curati de iuris indulgentia religionem ingrediuntur, non intelligitur de iuris indulgentia primo modo, ut argumentum præten- dit, sed de indulgentia iuris secundo modo, quoniam Curati ex eo ipso, quod Curati sunt, nulla egent positiui iuris indulgentia ad hoc quod transcant ad religionem, sed ex propria possunt libertate ad religionem, ut potè meliorem vitã transigere, quæ libertas indulgentia in iure ostensa dicitur, & ne putet quispiam voluntariam hanc esse distinctionem, assero manifestum iuris textum extr. de renunciatio. cap. nisi cum pridem vbi expressè dicitur, facilius indulgetur, quod Monachus ad presulatum ascendat, quam presul ad monachatum descendat. Vbi expressè habes liberum perfectionis ascensum, quo monachus ad Episcopatum promouetur sub indulgentia comprehendi, constat enim quod nulla opus est in huiusmodi ascensione iuris dispensatione, sed decretalis ista monstrat indulgentiam, non facit quæ monachus fit presul.* Hactenus ibi, quæ doctrina admirabilis est ad enucleandum id quod supra diximus, quod illi qui in Religione approbata emittunt dumtaxat tria simplicia vota, sunt Religiosi propriè & verè ex indulgentia statuta à iure, ex vi cuius non possunt solui ab obligatione manendi in Religione,
- 35

nisi ipsa dimittat à votis absolutos, quod enim isti sint veri Religiosi ius posituum, id facit, at Religiosos votis solemnibus Deo dicatos ius posituum non facit eos immutabiles in Religione, nec incapaces ad matrimonium & rerum dominia, sed eos sic ex natura rei immutabiles & incapaces ostendit.

Tertiò confirmatur ex alia doctrina eiusdem Caiet. *ibidem* §. *ad obiectionem*, vbi ex eo probat & bene. Curatum non esse in statu perfectionis, bene tamen Episcopus, quia ut iste ad Religionem transelet, requiritur licentia & indultum Pontificis, qui solus potest dispensare in votis perpetuis. Curatus autem passim potest ab Episcopo licentari ad Parrochia suæ desertionem, & hoc ostendit ipsum non esse in statu perfectionis, atqui passim Scholares Societatis licentiantur à Patre Generali, ut ad sæculum redeant à Religiositate & votis omnino absolutos, ergo signum euidens est, quod non sunt in statu religioso perfecto.

Quartò probatur ex conditionali Diui Thom. qua veritas ista valdè enucleatur, quia si Curati sunt in statu perfectionis, nullo modo liceret sine licentia Papæ ad religionem, vel ad simplicem præbendam transire, via ordinaria; ergo si Scholares sunt post tria simplicia vota in societate in statu perfecto Religioso, non possunt via ordinaria ad sæculum redire; ergo si redeunt hac via non sunt in statu perfecto religioso. Quod enim illi non possint sua spontè ad sæculum & matrimonia contrahere & iterum dominia habere, non habent ex vi votorum simplicium, sed ex speciali Bulla, qua facti sunt incapaces matrimonij, dum sunt in societate, & quod non possint societatem deserere, nisi dimittantur. oritur ex fidelitate qua illi obligantur sicut de Curato respectu Episcopi egregiè † adnotauit Dom. Caiet. *vbi supra* §. *ad confirmationem*, cuius rationem dedit D. Thom. *in solutione ad secundum*, quia plebano & Curato committitur animarum cura cum simplici iniunctione, at cura Episcopalis cum solemnitate committitur. Ita Religiositas & permanentia Scholaribus Societatis simplici iniunctione datur per simplicium votorum nuncupationem, aut aliis Religiosis solemniter professis cum solemnitate impartitur, vnde isti perfectam habent stabilitatem, illi vero etsi vero religiositatem, at non stabilem ex vi votorum suorum.

§. II.

Quotuplex sit stabilitas Religiosa?

S V M M A R I V M.

1. Tot sunt stabilitatis species, quot solemnis professionis.
2. Quæ dicatur secunda species solemnis professionis, quid item tertia, & n. 3.
4. Triplex admittitur stabilitas ex Doctõribus.
5. Quid veniat notandum circa primum modum professionis, & n. 6.
7. Authoris iudicium affertur.

1 **S**tabilitas eandem habet spheram, ac solemnis professio, quare † tot erunt stabilitatis species, quot solemnis professionis. Vnde Rota in *vna Tullen. reformatio. coram D. Duzonetto sub 10. Ianuarij 1631.* triplicem distinguens professionis solemnis speciem, sic fatetur, ex *Calderino consil. 23. de Regular.* qui triplicem modum professionis recenset. *Primus quo aliquis Deo vouet in manibus Episcopi, aut alterius Superioris, se obseruaturum Religionem, quoad tria substantialia vota Castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & sic proficitur Religionem in genere generalissimo, ut inquit Calderinus, de quibus videtur loqui textus in cap. super eo, & cap. consulti de Regular.*

2 *Secunda species professionis † est illa per quam quis proficitur non quidem in genere & in abstracto, prout faciunt professi primo modo, sed in specie promittendo se seruaturum certam Regulam Predicatorum nimirum, Minorum, aut Cisterciensium, & hi dicuntur professi in specie, seu in genere subalterno, qui debent perpetuo in eodem ordine Deo famulari.*

3 *Tertio vero modo † alij profitentur in indiuiduo idest certam Regulam, & certum Monasterium, ut si quis proficatur Regulam S. Benedicti in Monasterio S. Proculi, quo casu eius professio implicaret stabilitatem in illo preciso monasterio cui Religiosus adscribitur in limine professionis, qua distinctio sumitur ex cap. in singulis, cap. ea quæ, de statu Monachorum, & cap. cum deportati de iudiciis, cap. cum plantare de priuileg. Clement. attendentes de statu Monachorum, prout pulchre declarat idem Calder. dict. consil. 23. de Regular. versicul. professi in genere. Butrius in cap. in presentia. num. 64. vers. puto tamen. vbi Abbas n. 65. de probat. habetenus Rotæ Domini.*

4 *Ex quibus colligant DD. num. 4. triplicem stabilitatem iuxta triplicem professionem in Religione, & concludunt, quod Præmonstratenses, post Bullam reformatoiam Gregorij XV. non profitentur stabilitatem in genere generalissimo dumtaxat, ut faciunt professi primo modo, neque stabilitatem in indiuiduo Monasterio, ut faciebant iudem*

Præmonstratenses iuxta antiquum rigorem suæ Regulæ, quem mitigauit Gregor. XV. in sua Bulla, ipsum expressè derogans. Vnde solum profitentur stabilitatem, secundo modo scilicet in Religione sua, scilicet permanentiam in eadem Religione in qua professionem emittunt. Quæ doctrina valde notanda est pro aliis omnibus Religionibus, in quibus Religiosi etsi non profiteantur expresso voto stabilitatem, eam tamen vouent implicite respectu Religionis, cuius superioribus obedientiam promittunt, atque ita tacite stabilitatem in eadem Religione promittunt, quod, quomodo fiat, infra latius enodo.

Cæterum † circa primum modum professionis in genere generalissimo quem ex Calderino ponit Rota, notare opere præ tium est, quod etsi antiquitus, quum Episcopi Religiones, & regulam aliquam Canonice approbabant, sicut & Canonizationem Sanctorum celebrabant, ille modus faciendi professionem solemnem verum teneret, qua quis ex vi professionis solemnis se obligabat ad tria vota substantialia religionis, quamuis non determinaretur Regula iuxta quam illa obseruare teneretur, sed ipse proficiens consulto Episcopo poterat illam eligere, ut ex vi votorum teneretur obedire Episcopo, essetque incapax Domini, aut alicuius proprietatis condendique testamentum, sine indulgentia ipsius Episcopi, rursus esset inhabilis ad contrahendum matrimonium, quia vota solemnia ex natura sua hoc exigunt. Verum iam hic modus profitendi sine determinatione Regulæ fieri non potest in manibus Episcopi, sicut nec iste potest iam Sanctos canonizare, vtrumque enim sibi Summus Pontifex reseruauit, quare iam solemnitas voti solum respicit priuatiuè ad omnes alios Summum Pontificem, in cuius manibus solius potest quis sine regulæ alicuius ex approbatis, determinatione, tria vota solemnia nuncupare, quem modum nuncupationis solemnis solus Pontifex poterit approbare, & ipse solus determinabit regulam, iuxta cuius obseruantiam tria illa vota sint ad executionem reducenda.

7 *Nisi † velimus aliter intelligere professionem & stabilitatem in genere generalissimo, quatenus dum quis proficitur solemniter in aliqua Religione determinata, obligatur quidem tribus substantialibus votis sine quibus essentia Religionis non subsistit, quæ obligatio sequitur personam, quocumque ierit, siue transferatur ad aliam Religionem, siue ad Episcopatum, quæ etiam obligatio votorum*

independens est ab stabilitate in ordine in quo professionem emisit, quare stabilitas solum simpliciter promittitur quatenus habet implicitam conditionem, nisi ex licentia Superiorum transferam me ad aliam Religionem, vel fiam Episcopus, aut Cardinalis.

§. III.

Filiatio Religiosa perfecta non subsistit, sine stabilitate in Religione.

S V M M A R I V M.

1. *An perfecta Religiosa filiatio non subsistat sine stabilitate in Religione.*
2. *Aliud est promittere expresse, aliud implicitè, aliud directe & aliud indirectè, ex Caramuele.*
3. *Author mens adducitur.*
4. *Quomodo stabilitas & clausura voueantur.*
5. *An stabilitatis promissio si directe consideretur habeat vim iuramenti homini facta, sed coram Deo, ex eodem Caramuele.*
6. *An votum stabilitatis idem sit ac votum professionis.*
7. *An omnia vota Deo facta ut sic equalia sint in sua bonitate, & n. 8.*
9. *Vouere stabilitatem, & vouere clausuram sit quid diuersum.*
10. *Bordoni sensus assertur, & n. 11.*
12. *Quid ex premissis sit colligendum.*

NON dixi quod † posita stabilitate, quæ ponitur ex professione solemniter statim ponatur filiatio perfecta cum omnibus iuribus filiationis, & capacitatibus ad omnia iura, quæ ex dispositione Sacrorum Canonum filiis suis conferre potest mater Religio, ut §. 4. dicam, sed dixi, quod non est perfecta filiatio sine stabilitate, quia non est filiatio perfecta, ubi non est sollemnis professio, ut vidimus & ubi non est sollemnis professio, illico est necessario requisita & voto implicito inuoluta stabilitas, & sic filiatio religiosa perfecta, quæ est perfecta adoptio & dicitur *arrogatio* exigit stabilitatem sub potestate arrogantis. Quam doctrinam benè digessit Caramuel *in Regulam sancti Benedicti disputat. 44. numer. 528.* his verbis † *aliud est promittere expresse, aliud implicitè, aliud directe & aliud indirectè.* Promittitur implicitè quando expresse aliquid, quod committi aliud debet necessario: unde idem est promittere implicitè & promittere concoitanter. Promittitur autem aliquid indirectè, quum est medium vnicum, & condispensabile, aliud quod

directè promittimus, & ut specialiter rem totam explicem. Apud Dominos Benedictinos vna & sola promittitur obedientia, si formulæ expressum rigorem spectemus, atqui obedientia sollemnis, sine paupertate & castitate stare non potest (nulla enim ex his tribus virtutibus solitariè sumpta sollemniter voueri potest) ubi obedientia sollemniter vouetur, intelliguntur alix duæ virtutes per conco mitantiam conuouere, non quidem expresse, sed implicitè. Cum igitur obedientia sine stabilitate obseruari non possit (quo enim modo regam absentem subditum, quem vbinam habitet, aut degat, ignoro?) nec castitas sine clausura (stabilitas locum respicit, clausura peregrinorum colloquia) oportet Religiosos vtriusque sexus indirectè promississe stabilitatem, ut medium in ordine ad obedientiam, & clausuram in ordine ad castitatem tantam nimirum & talem, quæ sufficiat his finibus non maiorè.

Vnde † non credimus ita stabilitatem, 3
ita clausuram vouisse, ut non possimus omnino, aut è monasterio egredi, aut externos admittere etiam ex Abbatis aut præcepto, aut licentia sicut in castitate reluctet, nam Monachus nequidem de licentia Prælati potest vxorem docere, sed credimus stabilitatè vouisse, ut medium ad obedientiam, clausuram, ut medium ad castitatem. Deque ex vi huius directi voti possumus è monasterio egredi, quoties hæc ipsa egressio contra obedientiam non est, & possumus fœminas in clausuram introducere quoties hæc ipsa introductio non militat contra castitatem, aut speciale aliquod mandatum superiorum. Vnde cum † 4
stabilitas & clausura sic expositæ non voueantur propter se, nec ut finis, sed ut medium non vouentur quarto, aut quinto voto, sed eodem quo vouetur obedientia, vouentur omnia illa media, quæ sunt præcisè necessaria ad illius obseruantiam inter quæ præcipuè est loci stabilitas, & consequenter eodem quo vouetur castitas omnia illa vouentur, quæ ad eius obseruantiam necessaria sūt, & inter ipsa præcipuè clausura, atqui nec castitas, nec paupertas promittuntur, ut media ad obedientiam, neque hæc ut medium ad alias, diuersis promittuntur votis, quæ singulæ promittuntur propter se & ut finis saltem comparata cum reliquis.

Hæc doctrina postquã discurrebam in Caramuele inueni & lætatus sum nimis, ex ea enim aliqua colligebam, quæ subinferam si prius impugnationi tradam, quæ idem Caramuel dicit *num. 529.* asserit quod † stabilitatis promissio si directè consideretur habet vim iuramenti homini facta, sed coram Deo

Deo est enim (ait) *contractus irritus inter Monachum, & incorporantes ipsum Monasterio confirmatus iuramento*, etenim D. Bernardus *lib. de precepto, & dispensat. cap. 20. stabilitatem, pactum esse dicit, quod praeuaticatur qui illegitimè migrat è monasterio.*

Verum hæc doctrina omnino falsa est, & contra omnem praxim Religionum Monachalium in quibus proficitur stabilitas in loco, quo fit voto speciali facto Deo non memorato iuramento facto homini coram Deo, sed dumtaxat voto facto Deo de stabilitate in loco & in conuentu speciali coram homine, coram quo proficitur & nomine Dei & Ecclesiæ votum de stabilitate acceptat, vt clare docet Rota Romana *in decis. 9. cit.* statim in principio agens de Religione Præmōstratensis; vnde ni fallor † votum stabilitatis idem est, ac votum professionis, quod vt ait D. Thom. 2. 2. *quest. 186. artic. 9. in corp.* principaliter respicit tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam; vnde *in solut. ad primum dicit, quod ille qui proficitur regulam non vouet seruare omnia, quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis*; eo autem ipso quod quis voueat regularem vitam, secundum hanc regulam vouet stabilitatem in ea regula iuxta regulam ipsam, siue in Religione dumtaxat; siue in speciali, & indiuiduo monasterio, cui tanquam filius incorporatur, quod si in aliqua Religione expressius promittatur stabilitas, in loco, hæc expressa promissio non iuramentum homini factum coram Deo, sed votum Deo factum coram homine acceptante est, & propter hoc stabilitas pactum dicitur à Diuo Bernardo. Vnde idem Sanct. Doctor *epistol. 7. ad.....* hoc quod vocat *stabilitatis pactum* in explicatione Regulæ sanctæ, dicit *votum stabilitatis*, quare in hoc paralogizauit Caramuel.

Fundamentum quo nititur Caramuel multa inculcat, quæ non est locus hîc impugnandi, falsum tamen est omnino, quod † omnia vota Deo facta, vt sic æqualia esse in sua bonitate & irreligiositates contra ipsa commissas pari & æquali malitia esse perfusas, hoc enim falsissimum est, quis enim dicet non grauius peccare; qui frangit votum paupertatis solemnem, aut obedientiæ, quam qui non ieiunat obligatus ad ieiunandum, sed de hoc alias dixi, & dicam amplius *ad summam Caiet. verb. votum*; vnde fit quod etiam si stabilitas in loco expresso voto promittatur, sed & obedientia cū huius materia grauior sit, & magis cōducatur ad essentiam status religiosi, nullatenus

licet non obedire, vt seruetur stabilitas, quia ista vouetur semper subordinata obedientiæ, & iuxta discretam, & prudentem Prælati dispositionem, & imperium, vnde votum stabilitatis non est censendum quantum votum in Religione Benedictina, sed expressio, & extensio explicita eius, quod continebatur in voto obedientiæ, vt bene aduertit *Vallo Campellius lib. 3. instit. Monast. cap. 1.*

Hac refutata nouitate contra praxim, vt dixi omnium Religionum ex doctrina tradita colligitur. Primum, quod cum inobedienciæ religiosæ voto imbibatur promissio stabilitatis in Religione, vel in conuentu hoc indiuiduo, ea ratione qua votum obedientiæ expressum nuncupetur, nuncupabitur implicite, siue indirecte (ad præsens enim nihil refert vnum vel aliud dicatur) stabilitas, si enim votum sit solemnem, perfecte etiam vouebitur stabilitas pariter, & solemniter, si votum fuerit simplex in Religione emissum, stabilitas in Religione simplici tamen voto implicito vouebitur, & sic non erit perfecta stabilitas, siquidem ab illa sicut ab obedientia potest vouens totaliter absolui via ordinaria, & ex vi constitutionum regularium.

Secundum, quod, † aliud est vouere stabilitatem, aliud clausuram, qui enim vouet clausuram vouet stabilitatem in determinato loco, & conuentu extra cuius claustra nequit diuagare, vt constat in Monialibus quæ vouent clausuram, at qui vouet stabilitatem in loco, non vouet clausuram, & permanentiam intra claustra cum negatione exeundi extra, potest tamen quis clausuram obseruare, etiam si non voueat stabilitatem in loco, vt constat in Carthusianis, qui vt ex *Nauarro Comment. 4. de Regular. à numer. 30.* notat Rota *deciss. 10. coram Duizonetto in causa Tullens. Reform. 6. Febr. millesimo sexcentesimo trigesimo secundo.* Et è contra stabilitatem, etiam si de licentia sui Superioris ex causa ad aliud monasterium transferatur, imo hoc est vnum ex exercitiis promptæ obedientiæ, in quibus tanto magis exercetur Religiosus, qui pluribus successiue Superioribus in diuersis locis cogitur obedire, & ire ad infidelium conuersiones vltra mare lōge latèque diffundi, etiam vbi non sunt conuentus sui Ordinis, sed solum Barbaræ, & incultæ nationes, etiam si iuramento vel voto stabilitatis in loco essent adstricti, sed plura de obiecto voti stabilitatis, & de his quæ illi opponuntur dicam *infra Resolutione difficult. 5.* habet enim hoc votum particulares nodos extricandos circa filiationem, quam sibi connectit, & inseparabiliter iungit.

- 10 Tertium, quod falsum est, quod † dicit Bordonus *Resol. § 9. cit. num. 27.* quod si quis Regularis in vna Religione professus transferatur ad aliam legitimè ibi professionem emittat solemnem, fiatque huius Religionis filius, ita extinguitur & eradicatur filiatio prioris religionis, quod si ad istam iterum reuertatur, vt in illa filiationem acquirat requiritur noua professio, sine qua non incorporatur illi à qua fuit absolutus ex vi professionis in alia Religione emissæ, sed vt dixi, hæc doctrina mihi non arridet etsi enim, vt quis sit filius Religionis ad quam sit legitimus transitus, siue laxior sit, siue strictior requiratur quod in illa fiat noua professio solemnis, (vt certa sententia tenet,) siue qua illi non incorporatur, at postquam, quis est solemniter professus in aliqua Religione, etsi transeat ad aliam solemnis professio in alia non extinguitur & aboletur radicitus, sed suspenditur eius efficacia, & vis, vt non exerat vires suas, dum professus in hac transfert se legitimè ad aliam ibique professionem emittit. Vnde si habet quartum votum solemne, quod emittit in priori, iure communi non obligat in posteriore, non quia extinguatur professione secunda, sed quia suspenditur eius obligatio quæ iterum reuiuiscit si reuertatur ad priorem, sicut in facti contingentia successit de quodam Religioso satis graui & virtutis nõ vulgari qui è Religione Minimorum se trāstulit de licentia Superiorum legitimè obtenta ad Sacrum Ord. Prædicatorum, à quo conseruans odorem quo prius fuerat imbutus, à primæua ætate iterum rediit professione emissâ in Religione Dominicana, ad ordinem Minimorum in quo nouam professionem non emittit, sed habitum antiquum reassumens ex vi huius assumptionis filiatio antiqua reuiuixit, & suspensa ea quæ in ordine Prædicatorum acquisierat. Tota hæc
- 11 † doctrina clarissimè patet si Episcopus Regularis de licentia Summi Pontificis dimissa animarum cura, ad quam ex voto solemni tenebatur ad religionem à cuius obligatione erat absolutus ex vi Episcopatus, redeat, vt fiat Religionis filius, non indiget iterata professione in illa Religione de qua assumptus fuit ad infulas dignitatis, sed solum requiritur, quod iterum actu Religioni incorporetur, per habitum antiqui reassumptionem, ex vi cuius tacitè reuiuiscit vitæ priorem. Idem etiam constat in expulsis perpetuo à Religione, qui si iterum admittantur quamuis per expulsionem ex filii fuerint, tamen, vt filiationem reassumant non indigent noua professione.

* *

*

§. IV.

Filium Religionis strictioris posse de legitima licentia, filiarum in Religione laxiori ostenditur.

S V M M A R I V M.

1. *An legitima filiatio in laxiori Religione non sit sine legitima licentia.*
2. *An etiam subsistente causa iusta & rationabili nullus Superior Regularis Pontifici inferior possit concedere licentiam transcurrendi ad filiandum in laxiori Religione.*
3. *Variorum DD. sensus adducuntur.*
4. *Quæ sint causæ, vt quis legitimè ad filietur in Religione laxiori, ad quam transit à strictiori, & n. 5. vsque ad 9.*
10. *An si professio emissâ fuerit tempore minoris ætatis sit facilius causa legitima ad dispensandum de transitu strictioris ad laxiorem.*

Dixi † de legitima licentia, sine qua non erit legitima filiatio in laxiori Religione, sed notha & spuria atque illegitima, vt potè contra Sacros Canones & Concilia *Clement. viam de Regular. Concilium Trident. sess. 25. de Regular. Pius V. const. quacunque edita an. 1569.* similiter est contra specialia priuilegia Bullata concessa specialibus Religionibus, quæ participant alij Ordines, sic *Clemens VIII. constit. sua. Quæ incipit Apostolici §. 10. die 11. Februar. 1602.* concessit fratribus exalciatis S. Augustini, vt nullus prædicti Ordinis filius ad laxiorem Religionem transiret sine speciali sedis Apostolicæ licentia, idem concessit *Vrbani VIII. Capuccinis constit. sua incipit Inimic. data 19. Ianuarij ann. 1628.* ex Fratribus disalciatis Sanctissimæ Trinit. idem Pontifex idem indultum concessit constit. quæ incipit *commisi die 9. August. 1624.* Quæ Bullæ Urbane habentur *tom. 4. Cherub. & in appendice illius habetur etiam alia eiusdem Pontificis constitutio, vniuersaliter prohibens transitum ex vna Religione in aliam sine consensu vtriusque Religionis Prælatorum, hoc quidem hodie indubitatum est.*

Sed videntur nimium probare huiusmodi Bullæ & priuilegia Apostolica nimirum, quod † etiam subsistente causa iusta & rationabili nullus alius Superior Regularis Summo Pontifici inferior posset huiusmodi licentiam transcurrendi ad filiandum in laxiore matre Religione, concedere. Sed respondetur negando, quod infertur, quia Bullæ istæ solum loquuntur, quum non subest iusta & rationabilis causa, si autè hæc subest cõmunior & secuta in praxi sententia docet, quod

quod etiã si Pont. possit facile adiri, imo etiã si transitus debeat fieri in Vrbe Roma, potest subsistente causa iusta superior, qui sit Papa inferior (vt Protector, Nũtus Apost. legatus à latere, Prouincialis, aut Generalis, & in aliquibus Religionibus Monachalibus Abbas Monasterij) dare huiusmodi licentiam transseundi ad laxiorem & ibi filiandi, sic † absolute docent Sanchez *lib. 6. sum. cap. 7.* vbi citat Sã emendatum, Rodriguez Lessium, Azorium, quibus addo ego Mirandam *tom. 1. manualis quest. 31. art. 6.* Barthol. de Bechis *in praxi noui. disp. 15. dub. 5.* Barthol. à S. Fausto *lib. 5. thesaur. quest. 345.* Sanctar. de Apostas. *cap. 8. n. 7.* Hieron. Rodrig. *in comp. resol. 123. n. 63. & 64.* Barbol. *in collect. ad c. 19. sess. 25. de Regular.* vbi Trident. dicit, quod nemo Regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, quæ verba Authores citati & citandi intelligunt, si id fiat sine iusta & rationabili causa. Lezana *in sum. cap. 22.* Peirinis *de Religioso subdito q. 1. c. 24. §. dico 6.* Pellizar. *tom. 1. manualis tract. 3. c. 5. num. 65.* Suarez *tom. 4. de religio. tract. 8. lib. 3. cap. 11.* estque vt dixi hæc sententia hodie communis & inter scribentes recepissima.

4 Sed † quæ sint causæ legitimæ, vt quis ad filietur in Religione laxiori ad quam transit ab strictiori elegantissimè pariterque prudentissime congesit Pater Tho. vbi *supr. num. 72.* Prima est infirma, aut incommoda valetudo, & fragilis corporis natura contracta siue ante professionem siue post, taliter, quod non sit moraliter certa spes, quod conualescet & roborabitur ad austeritates Religionis strictioris tolerandas, & sufferendas, si enim spes ista adsit, quod exẽptus ad tempus poterit vires reassumere, vt sufferat rigorem ordinis, nequit dari hæc licentia, sed est obligatio talem Religiosum eximendi ab Ordinis austeritatibus præcipuis, vt fortior fiat, neque obstat, quod in aliis tristitia oriatur ex hac temporaria exẽptione, aut superueniat nota scandali, vtrūque enim sine fundamento prudentiæ oritur, & sic à superioribus vilipendendum. maius enim est inconueniens, quod quis Religionis primam vocationem deferat, & ad laxiorem vadat, maximè si vir singularis scientiæ, & prudentiæ sit.

5 Secunda † est senectus iis austeritatibus inepta si in Religione est acquisita, vel homo iam senex receptus est putans posse in austeritatibus viuere, sed hæc conditio grano falis est condienda, quia alias senes omnes alicuius austeræ Religionis, quia austeritatibus incumbunt quas non possunt supportare possent licentiari, vt ad laxiorem transirent, ibique ad filiarentur, quod in magnum vergeret Religionis detrimentum, quare fatius est, & Religioni conuenientius

cũ illis in aliquibus dispẽsare, quam licentiã istam præbere; quare existimo, quod senectus ex se inepta ad austeritates non est sufficiens causa, vt superior, qui non sit Papa, vel Legatus à latere licentiam det, vt ad laxiorem fiat transitus, & filiatio.

Tertia † est si à cæteris fratribus aut indigne, aut male tractetur verbo, aut opere si in illa religione est infamatus ob graue crimen à se commissum, aut quia est publica vox siue sit vera siue falsa, quod non habeat sanguinis puritatem ob crimen Patrũ suorum, ob quod semper est padore suffusus, & tristitia magna affectus vitam transigit, hanc causam iustissimam reputo, & quæ sola sufficiat vt hæc licentia, conferatur vt iste Religiosus in alia laxiori ad filietur.

Quarta, † si inconsulta prudentia, & animi leuitate ductus, qui professionem emisit quadam simplicitate, putans Religionem non esse ex regula sua ita austeritatibus honestam, quas postea sufferre nequit. Sed hæc causa valde est disquirenda, cum sit exposita multis erroribus, & imaginationibus, quas immittit dæmon qui se transfiguratur vt decipiat sub his prætextibus vt auocet religiosum à via quam semel est ingressus quæ etsi arcta, est secura, vt ipsum incedere faciat latiore, & sic periculosiorem viam, quare hæc causa per se sola non est sufficiens, vt inconsulto Pontifice ab inferiore Superiore licentia ista filiandi in alia laxiore religione concedatur.

Quinta, † si aër insalubris sit, & noxia intemperies ita Menochius *de Arbitrar. cent. 5. casu 421. num. 26.* Rodriguez *tom. 4. quest. 52. art. 9.* Hieronym. Rodriguez *Resol. 123. numer. 68.* quos sequitur Sanchez, cum limitatione à Manuele tradita, si non sit aliud monasterium eiusdem ordinis ædificatum sub aère, & constellatione salubri, sed hæc doctrina sic absolute prolata non vsquequaque arridet: si enim dum quis professus est religionem, & stabilitatem in hoc determinato monasterio, & non sit aliud eiusdem instituti quod sit in salubri solo constructum, & hoc ipsi notum fuit dum professionem emisit, non potest ex hac causa dari licentia ad transitum ad laxiorem religionem, quia iam cessit iuri suo, quod habebat ad fugiendam intemperiem aëris sibi noxiam, sic enim volebat S. Bernardus, quod in locis lacunosis, & insalubris intemperiei monasteria Cistercensia construerentur, vt sic Monachi debilius essent salutis vt ea infirmitate corporali robustiores fierent spiritu, sic etiam quis dum Religionem exalciatam proficetur vt Capucinorum, & Rapezzatorum, scit hoc insalubre esse non minus quam aër, & tamen hæc non est sufficiens causa, vt ad

aliam laxiorem transeant.

9 Sexta † est necessitas magna parentum cui in ea Religione, in qua quis primo professionem emisit, commodè subuenire non potest, at poterit in laxiori, quæ causa verissima est, & magis conueniens Religioni, quam quod Religiosus existens in priori parentibus subueniat, quod fit cum magno detrimento obseruantia regularis & occultatione eleemosynarum, quæ datur intuitu religionis, cum maximo odio prælatorum localium, & occasione rixarum cum religioso. Addo, quod hæc causa etiam iustificatur in necessitatibus sororum, neptum, filiarum, & similibus, quibus alias tenetur tit. sanguinis religiosus succurrere, necessitas ista intelligitur sufficiens causa, etiam si professioni factæ superuenerit.

10 Addit Sanchez & benè num. 73. quod † si professio emissa fuerit tēpore minoris ætatis nempe ante vigesimum quintum annum facilior causa erit legitima ad dispensandum in hoc transitu, quia facilius prospicitur gestis in ea ætate, in qua nō tam maturum cōsiliū adest, & ita sentiunt Innocentius cap. significatum in fine de Regular. & ibi Hostiensis numer. 2. Abbas ibi in fine. Francus cap. cum singula §. prohibemus num. 5. de præbendis in 6. quod intelligo ego si licentia ista petatur ante vigesimum quintum annum, si enim transacto illo in gesta sua prospexit & rata habuit, & se in illis firmavit.

SVBREOLVT. I.

An translatio ista filiationis possit esse in Ordinibus militaribus.

S V M M A R I V M.

1. *Vtrum in Ordinibus Militaribus possit esse filiationis translatio, & n. 2.*

1 Ad do ego contra ipsum Sanchez n. 75. quod † licet licentia Pontificia absolutè data de transitu ad laxiorem non sit sufficiens, vt quis filietur in Religionibus Militaribus, vt declarauit Sacra Congregatio die 17. Nouembr. 1578. id quod antea decreuerat Pius V. in constit. sua 89. quæ incipit. quæcunque pridie idus Octobr. 1569. t. 3. Bullar. in meis pag. 290. quod ego intelligo de Religionibus militaribus quæ non emittunt votum castitatis, & paupertatis absolutè, sed coniugalis, non vero de illis quæ tria illa vota, vt sunt equites Hierosolymitani quos verè & propriè esse religiosos sæpius determinatum est in Rota, & est indubitata sententia. Vnde soluit matrimonium ratum non consummatum. Similiter potest fieri transitus ad

religiosos *Freiles* Ordinum militarium, qui verè & propriè sunt religiosi, neque de illis est varietas opinionum. Assumpti enim sunt ex ordine Canonicorum regularium.

S V B R E S O L V T. II.

Vtrum eiectus à Religione possit se filium facere laxioris Religionis.

S V M M A R I V M.

1. *An eiectus iuridicè à Religione possit se transferre in Religionem laxiorem, sine licentia Religionis.*
2. *Ratio difficultatis affertur.*
3. *An Religio non habeat ius ad impediendum eiectum ne statum religiosum acquirat, & n. 4.*

Ad do secundo, quod † eiectus iuridicè à Religione seruata forma Urbana, & nulla sit spes, quod emendetur, vt Religio ipsum benignè excipiat, iterum sub alis suis tanquam filium, quod inquam iste talis sine licentia Religionis potest se transferre ad laxiorem religionem & forsan militarem, quod absolutè possit se ad laxiorem sine licentia sui Ordinis imo isto repugnante, tenet Thomas Sanchez l. 6. Summ. cap. 9. n. 36. & 37. D. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 4. in fin. adfirmans se vidisse consilia peritorum sic tenentium. Nauarrus lib. 3. consil. 71. alia 78. de Regul. Rodrig. t. 1. q. 30. art. 7. & to. 2. Sum. cap. 6. n. 11. & multi alij. Ratio † quæ me mouet est, quia iste est absolutus à subiectione & obedientia Ordinis, ita vt si non est spes emendationis, nec ipse habet voluntatem se emendandi in tali Religione, à qua est eiectus Religio non possit ipsum cogere, vt ad Religionem redeat, quia iuridicè, & legitime est ab illa absolutus, & eiectus, nec amplius manet sub obedientia Prælatorum, sed potest in sæculo permanere, ergo si iudicet quod melius viuet Religiosus in laxiori, potest inuito superiore Regulari ad illam se conferre, non secus ac ille qui lata diuortij sententia si innocens requisitus, nolit sibi adulterum reconciliare, iste potest religionem profiteri, etiam renuente innocente, vt late probat ipse Thomas Sanchez lib. 10. de Matrim disp. 10. n. 16. & nos diximus esse probabile. Vnde † Religio non habet ius ad impediendum eiectum, ne statum religiosum acquirat, sed habet ius sibi illum reconciliandi si habet emendam vitæ, vt Regulam pristinam velit obseruare, si tamen hanc voluntatem non habeat, sed benè viuendi in alia Religione laxiori, non video cur id non possit facere independēter ab

ab suis antiquis superioribus. Dixi, quod etiam ad militarem, quia Bulla Pij V. & Decretum Congreg. supra adductum commode possunt intelligi de Religiosis, qui expulsi non sunt, sed qui adhuc manent in obedientia, & subiectione suorum superiorum, & quidem fatius est, quod sub superiori regulari viuat, quam omnino sit in sæculo independenter viuens, sed hoc apud nullum expressum vidi, & sic subieccio prudentioribus.

SVBRESOLVT. III.

Utrum qui sepius fugit à religione, animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transit non est tutus in conscientia?

S V M M A R I V M.

1. *An ille qui fuit pluries fugitiuus à Religione animo consequendi licentiam transitus ad laxiorem, si transeat, non sit tutus in conscientia.*
2. *Authoris iudicium assertur, & numero 3. & 4.*
3. *An si quis habeat causas sufficientes ad consequendam dispensationem de transitu strictioris Religionis ad laxiorem, non teneatur exprimere quod dimiserit habitum.*
6. *An etiam si solum detur pro causa habitus dimissio, & hæc facta fuerit animo facilius consequendi dispensationem transeundi ad aliam Religionem, hæc sit valida dispensatio in utroque foro, & n. 7.*
8. *Ratio difficultatis adducitur, & numero 9.*
10. *An Monachus Carthusia qui triplicem fecit fugam habeatur pro derelicto, & numero 11.*
12. *An ex vi professionis solemnæ Religio acquirat ius ad patriam potestatem.*
13. *An Monachus derelictus non sit sub dominio aut patria potestate Religionis.*
14. *Quomodo hæc derelictio fieri debeat, & n. 15.*

ADDO tertium, quod ille † qui semel vel pluries fugitiuus fuit aut habitum dimisit spe, & animo facilius sic consequendi dispensationem ab eo, qui potest eam dare, tacendo animum istum non est legitime dispensatus nec tuta conscientia potest transire ad laxiorem, imo si animus iste alias constet, & quod in supplica non fuit expressus potest cogi, vt ad priorem redeat Religionem, Ita late Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 25. num. 38. sed quamuis doctrina Sanchez verum teneat in dispensationibus ad matrimonium, quia vt ex Gutierr. lib. 1.

Canon. 99. cap. 15. num. 20. Stylus curiæ in his dispensationibus declarauit Pontificis mentem, quam esse suo tempore declarauit Pius V. at in aliis dispensationibus de aliis materiis si ad impetrandam dispensationem allegentur aliæ causæ sufficientes, vt dispenseretur, & simul cum illis habitus dimissio aut commissio delicti, etsi hanc dimissionem, aut commissionem fecerit quis eo animo, vt facilius dispenseretur, non est necessario hic animus exprimendus. Moueor quia † stylus curiæ cum sit pœnalis solum extenditur ad eam materiam de qua stylatur, non vero ad aliam iuxta vulgares textus, & doctrinas de lege pœnali non extendenda, quia odia sunt restringenda, & est specialis ratio in dispensationibus matrimonialibus, quæ non currit in aliis materiis non ita grauibus, vt scilicet præscindatur omnis occasio sic contrahendo matrimonia copulando se prius quod semper est malum vt facilius dispenseretur, quare vult Pontifex vt etiam si aliæ causæ sufficientes allegentur, si tamen præcessit hæc intentio, & animus, quod exprimat in pœnam ne quis ex delicto commodum consequatur.

Moueor secundò, quia † etsi Concilium Trident. sess. 24. de matrim. cap. 5. dicit. *Quod si quis scienter intra gradus prohibitos matrimonium contraxerit separetur & spe dispensationis consequenda careat.* Vnde ex omnium sententia tenetur quis dum petit dispensationem exprimere in supplica quod contraxerit matrimonium, & illud consummauerit, vt late Sanchez ubi supra à num. 2. quia hoc quod ante Tridentinum facilitabat dispensationem, & inclinabat Pontificem ad facilius dispensandum, post decretum præfatum iam retrahit Pontificem, & difficillimam reddit dispensationem, adeo quod si Pontifex passim dispensasset, in hoc casu absque iusta causa reus erit culpæ lethalis, & tamen cum hoc Decretum ita sit efficax, & vniuersale, non intelligitur si affines vel cõsanguinei, in gradu prohibito clandestine sine Parrocho, & testibus, vt tenet ipse Sanchez num. 34. & 35. Vnde non est necessarium exprimere hoc matrimonium, & eius consummationem in supplica ad Papam ergo minus est necessariũ exprimere ad alias dispensationes in aliis materiis consequendas, quod aliquid prohibitum sit factum cum spe facilioris dispensationis, nisi à Principe id exprimat in lege.

Moueor tertio, quia † si quis habet alias causas sufficientes ad consequendum dispensationem non tenetur exprimere, quod dimiserit habitum, ergo etiam si dimissionem exprimat, non tenetur exprimere, quod dimiserit animo consequendi facilius dispensationem, quia expressio dimissionis habitus

habitus concomitanter se habet vt Pontifex dispenset, cum alias habet causas sufficientes ad dispensandum.

- 6 Moueor quartò, quia † etiam si solum detur pro causa habitus dimissio, & hæc facta fuerit animo facilius consequendi dispensationem transeundi ad aliam Religionem, nihilominus valida est dispensatio hæc in foro vtroque, quidquid dicat Sanchez n. 38. *versic. vnde*, quia vbi Princeps, & legislator id non requirit, non est imponendum onus hoc dispensato, cum alias animus iste prorsus fuerit occultus, id explico quia si quis ex confidentia Bullæ positiuæ, quia scilicet peccatum reseruatum non committeret, neque votum faceret nisi spe consequendæ absolutionis, & commutationis, ita quod confidentia hæc positiuæ instiget, & moueat ad peccatum committendum, & votum faciendum, Nihilominus illi prodest Bulla, & virtute illius potest absolui à reseruatis, & commutari votum factum, nec tenetur necessario exprimere quod hæc commiserit ex confidentia positiuæ Bullæ, ergo etiam si quis habitum dimiserit animo, & spe consequendi facilius dispensationem ad transitum ad laxiorem, non tenetur hunc animum exprimere, & dispensatio facta valida est, & non subreptitia; minorem huius discursus docet communis sententia quam mordicus defendunt Trullench. *lib. 1. in Bulla §. 1. dub. 1. num. 5.* Villalobos *clausul. 9. §. 2. num. 19.* Diana *p. 2. tract. 21. Resol. 16.* Ludouicus à Cruce. *disp. 5. in Bullar. à n. 5.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 13. num. 6.* vbi testatur de communi Palao *tom. 5. tractat. de cruciata punct. 2. n. 6.*

- 7 Quod confirmo, quia vbi Pontifex vult quod confidentia absolutionis, & compositionis ex vi Bullæ impediatur, explicat, vt constat de illo, qui confidentia Bullæ negligens fuit confiteri peccata sua tempore ab Ecclesia statuto, vnde illi non prodest indulgentia concessa pro articulo mortis, similiter bonorum incertorum compositio, non prodest illi qui confidentia Bullæ ea bona surripuit, ergo in aliis prodest Bulla, etiam si sint commissa ex confidentia Bullæ, quia exceptio firmat regulam &c.

- 8 Ratio † horum omnium est quia priuilegium Principis, quod est quædam iuris communis dispensatio, vt tradunt omnes Summistæ Alphabetarij. *verb. Priuilegium.* Canonistæ *ad Rubricam de priuilegijs.* Theologi cū D. Th. 1. 2. q. 92. *art. 5.* Theologi Morales dū tractant de legibus. Bonaccina, Palao, Salas, Suarez & alij, atqui si aliàs non constat de voluntate Principis, quod nolit dispensare & priuilegium concedere, quum sit aliquid aliàs prohibitum ex confidentia priuilegij concessi, aut concedendi, etiam si adsit hæc

confidentia, aut animus positiuè influens in actum prohibitum, vt consequatur dispensatio, aut vsus priuilegij non est quis obligandus animum exprimere, vt validè consequatur priuilegium, aut dispensatio, sed si sine huius animi expressione consequatur, dispensatio consequitur suum effectum iuxta proprietatem verborum, quibus conceditur. Hæc autem voluntas Romani Pontificis solum constat ex stylo curiæ, & Trident. in dispensationibus matrimonialibus, propter specialem rationem, quæ ibi reperitur, at in casu nostro non est textus, aut stylus qui requirat expressionem huius animi, ergo vt valida sit dispensatio, exprimi non est necessarium.

Imò cum Principis liberalitas semper, 9 quod non sit contra ius Tertij, vel ab ipso Principe coarctetur sine restrictione, & ample est interpretanda, sicut & potestas dispensandi quæ in ipso residet, & sic dispensationi ab ea promananti non est apponenda conditio ad suum valorem, quam Princeps non ponit. Vnde cum in Bulla antiqua cruciata poneretur conditio, quod illa non vteretur, qui ex confidentia Bullæ committeret delicta à quibus virtute illius absolueretur propter quod aliqui antiqui, ita senserunt & benè supposita additione, tamen in nouissimis hæc clausula ablata est & sic mansit liberalitas Apostolicæ sedis illimitata, etiam si ex confidentia, qui peccaret, vt facilius absolueretur à reseruatis. Vnde quum non adest, vel stylus curiæ, vel alio modo voluntas Principis cognita iuridicè & authenticè non est, quod ita facile dispensaret, si cognosceret animum committendi crimen, vt facilius dispenseretur, necessarium non est, quod exprimat in supplica, sed etiam sine illius expressione valida est dispensatio.

Ex quibus respondi consultus à quodam Reuerend. Pat. Priore Carthusiæ in qua est constitutio approbata à sede Apostolica, quod † Monachus qui triplicem fecit fugam 10 habeatur pro derelicto, aut sit obligatio ipsam amplius conquirendi, sed dimittatur ac si non fuisset ex familia & Religione Carthusiana filius possit alterius Religionis fieri filius, quia vt habetur, *leg. si res. 1. ff. pro derelicto, si res pro derelicto habita sit statim nostra esse desit, & occupantis statim fit, quia eisdem modis res desinunt esse nostre, quibus acquiruntur.* Vnde iste habitus pro derelicto à Carthusia, potest in alia Religione etiam laxiori profiteri *leg. 2. eodem.* vbi Paulus. *Pro derelicto rem à Domino habitam si sciamus, possumus acquirere, & leg. 4. id quod pro derelicto habitum est, & haberi putamus vsucapere possumus, etiam si ignoratum à quo derelictum sit.* Horum omnium rationem subministrat Iuriscon

Iurisconsultus Pomponius leg. 5. eodem §. 1. Quia id quod quis pro derelicto habuerit continuo mentum fieri, sicut cum quis es sparserit, aut aues amiserit quamuis incerta persona voluerit eas esse tamen eius fierent cui casus tulerit eaque cum quis pro derelicto habeat simul intelligitur voluisse alicui fieri. Hæc Pomponius. Vnde Gothifredus ad eas leges sic egregiè adnotat, *Causa corrumpentes unius causa sunt constituentes alterius. Corruptio unius generatio alterius est, & e contra interitus obligationis liberationis causa est, sic modus tollendæ patriæ potestatis causa est..... Vnde pro derelicto res habita à vero Domino statim desinit esse ipsius, etiam antequam per alium occupetur, & efficitur occupantis si sciunt eam pro derelicto habitam, si autem non erat eius, sed aliena, tunc qui occupat non statim acquirit rei ipsius dominium, sed vsucapiendi possessionem.* Hæc ille.

- 12 Ex quibus constat iustitia illius constitutionis Carthufianæ, cum enim † ex vi professionis solemnæ Religio acquirat ius ad patriam potestatem, & iste sit illius filius ad alimenta, & honores Religionis, potest quidem Religio sicut ob delicta expellere à commercio, alimentis, & honoribus extra communitatem ad sæculum remittendo, isteque expulsus iuridicè potest aliam Religionem etiam laxiorem capessere, ita ex vi suarum Constitutionum, si quis tres commiserit fugas, potest pro derelicto haberi, iuxta formam traditam in præfatis legibus, quam ius Canonicum, aut aliqua Bulla Pontificia non damnat imo confirmat, in præfata Religione. Vnde eadem ratione † Monachus derelictus iam non est sub dominio, aut patria potestate Religionis: quia statim ac derelictus est desinit esse ipsius etiam antequam in alia Religione recipiatur, quod si recipiatur statim acquirit ius Religio recipiens quamuis resistat quæ dereliquit: quia iam resistere nequit cum derelictus desierit esse suus, & sub eius dominio & potestate.
- 13 Cæterum † hæc derelictio debet fieri iuxta formam in Constitutionibus præscriptam, taliter quod constet de triplici fuga illicita, & non propter recursum ad superiorem, quia fugere propter recursum ad superiorem, quum quis est grauatus iniuste non est illicita. Vnde respondi ad præfatum Priorem: quod si fuga ista triplex fuerit notoria, & quod non fuerit animo adeundi ad Superiorem maiorem, vt à grauamine liberaret, quod poterat istum fugitiuum pro derelicto habere iuxta normam, & potestatem traditam in Constitutionibus: & addidi, quod iste datus vt derelictus, tutus est in conscientia, si ad aliam Religionem etiam laxiorem se conferat, ibique professionem solemnem

emittat, etiamsi triplicem hanc fugam commiserit eo animo, vt haberetur à Religione 15 pro derelicto, quia hic animus non coarctat potestatem, & ius quod habet Religio, vt triplici fuga infectum pro derelicto habeat, quamuis rationabile esset, quod non derelinqueretur ne commodum ex delicto suo acquireret, istis enim hominibus perditis, & morum pessimorum pro commo habent infamiam, qualis est pro derelicto haberi, si tamen fugiant Religionis reclusionem, & exercitia austeram.

SVBRESOLVT. IV.

Vtrum ad hunc transitum ad laxiorem requiratur causa cognitio?

S V M M A R I V M.

1. An ad transitum strictioris ad laxiorem causa cognitio requiratur. & n. 2. & 3.

Ad do quartum, quod dicit Sanchez l. 6. 1 summ. cap. 7. num. 69. non desiderari † in Prælatis inferioribus Pontifice, vt denticetiam transitus faciendi ad laxiorem religionem iudicialem legitime, transitus, causæ cognitionem, sumptis testibus iuramento adstrictis coram Notario, sed satis est si superior extraiudicialiter informetur; certiorque fiat de causæ veritate, quod nullo iure caueatur præmittendam eius causæ cognitionem; sed tantum desideretur legitima causa ad valorem dispensationis ab eis Superioribus concessæ, ea informatione iudiciali legitime causæ non indigent. Tandem quia dispensationes commissæ à Pontifice in foro externo Ordinariis non indigent ea veritatis præcum, iudiciali informatione, vt probat lib. 8. de matrim. disp. 35. num. 15. ergo nec hæc licentia, ea informatione iudiciali indigebit.

Verum enim vero, etsi hæc sententia huius sapientissimi viri satis probabilis sit, & in praxi secura; oppositam velim à Superioribus obseruari, vt in re grauissima, & in qua valde oportet ostium transitus ad laxiorem oclusum esse imo mutatum, nec alij facile inquietentur ad similes transitus faciendos, non cum paruo Religionis detrimento, facile enim Medici & Chirurgi sine iuramento adfirmabunt inesse infirmitatem, Parentes, sorores, aut nepotes, necessitatem habere, qua cogatur ad aliam Religionem 3 transire, adfirmabunt testes, nisi iuramento adstringantur, isto enim dato timebunt conscientias suas; & ne, vt periuri possint puniri: & Superior securius procedet in re magni ponderis, quales nō sunt aliæ dispensationes, quæ fiunt intra claustra, sic etiam se

se continebunt, qui transitus huiusmodi intentant, hæc enim dispensatio publica est, & pro foro externo, quare maius aliquid exigit, quam simplex testium informatio. Sed de his aliàs.

SVBRESOLVT. V.

Vt Generalis det licentiam ad huiusmodi transitum, non indiget consensu Capituli.

S V M M A R I V M.

1. *Vt Generalis det licentiam ad transitum Religionis strictioris ad laxiorem, an non indigeat consensu Capituli. & n. 2.*
 3. *Quid veniat colligendum.*
 4. *Pellizarij sensus assertur. & n. 7.*
 5. *An electio Summi Pontificis etiam si requirantur duæ partes Cardinalium si in conclavi remaneat tantum vnus, iste solus possit rite, & validè electionem perficere, & de hoc ratio assertur. & n. 6.*
 8. *Authoris iudicium assertur. & n. 9. & 13. & 18. 19.*
 10. *An Religiosus Carthusianus solemniter professus possit adfiliari in alia Religione laxiori. & n. 11. & 12.*
 14. *De hoc transitu exemplum adducitur.*
 15. *Vrbani VIII. sensus assertur.*
 16. *An infirmitas quæcumque corporalis non sit sufficiens causa vt detur licentia à superiore, qui sit Papa inferior, vt Religiosus solemniter professus in Carthusia, ad aliam laxiorem transeat. & n. 17.*
 20. *Variorum Authorum sensus adducuntur. & num. 21.*
- A**ddo quintum contra Thomam Sanch. *ubi supra num. 56. & 57. & n. 66. & 67.*
- 1 quod † cum Generalis aut Prouincialis priuatiue ad alios superiores locales dent licentiam pro transitu ad laxiorem, non indigent consensu Capituli, aut Generalis, aut Prouincialis, aut Localis, vt talem licentiam de facto impertiantur, sed sufficit quod adhibeat consultationem generalem, si Generalis sit, & Prouincialem si Prouincialis constantem ex diffinitoribus Generalibus, aut Prouincialibus, siue assistentibus, aut sociis iuxta diuersarum communitatum statuta, iis enim simul cum capite suo commissa sunt grauiora totius Religionis, aut Prouinciæ negotia, & magis graue est dare huiusmodi licentiam ad talem transitum, quàm receptio, ad habitum, quæ requirit consensum Capituli localis, vt multis probat Th.
 - 2 Sanch. *lib. 5. sum. c. 4. à n. 64.* quare talem dare licentiam ad Generalem cum sua consultatione vel ad Prouincialem cum sua attinebit non ad aliquod locale Capitulum, nisi vbi

id habetur ex lege aut consuetudine, dixi locale Capitulum quia Capitulum Generale, aut Prouinciale similem licentiam impartiri valebit, quia in his Capitulis residet plenaria potestas Generalis aut Prouincialis, exipio Generalem Societatis, cuius Regimen est pure Monarchicum absque admissione Aristocratia, solus enim ipse habet votum decisiuum in Societate, hic enim ex priuilegio sibi concessio, & aliis Religionibus non concessio etiam per communicationem (quia in nulla alia est regimen pure Monarchicum sed mixtum Aristocratia) quod solus ipse possit, & iam professus solemniter in Societate licentiam dare vt ad laxiorem religionem transeant.

Ex hac additione † colligitur decisio cuiusdam casus de quo interrogatus, his diebus fui, de nouitiis receptis à Superiore legitimo cuiusdam in Domus Carthusiæ, in qua ipse solus Rector existebat cū vno alio Monacho, quibus faciebat Procuratoris officium, non tamen erat illius domus filius, ipse tamen votum suum renuntiavit in Rectorem, qui solus voto suo recepit ad habitum, & ad professionem aliquos nouicios, dubitabatur an huiusmodi receptiones, & professiones validæ essent? Hoc punctum in genere tractauit Pellizarius *tom. 1. Manual. tract. 2. c. 2. quest. 10. num. 16.* & respondet, † quod vel ista admissio debet fieri capitulariter, prout ius commune antiquum exigit, & sic est valida cum totum ius Capituli residere possit in vno solo, vt notant Glossa *cap. 1. de postul. Pralat.* vbi Panormit. *leg. sicut. § final. ff. quod cuiuscumque vniuers.* quod adeo verum est, quod † electio Summi Pontificis, etiam si requirantur duæ partes Cardinalium, si in Conclavi solum remaneat vnus iste solus possit rite, & validè electionem perficere, & quem voluerit eligere Glossa, *Clement. Ne Romani*, §. *Porro. verb. omnes. de electio.* & late defendunt *Laudensis tract. de Cardin. conclus. 22.* *Nauiar. lib. 4. consil. 6. num. 1. de elect.* *Bonacin. de legib. disp. 1. quest. 1. punct. 3. n. 27.* qui alios citant. Huius ratio est, † quia licet Collegium, aut Communitas iure Ciuili non subsistat de nouo, nisi ex tribus resultet, *leg. Neratius. ff. de verb. significat.* & iure Canonico requiratur ad minus duæ personæ tamen semel instituto Collegio, & Communitate iura, & priuilegia illius in vno dumtaxat subiecto conseruantur, & sic ius eligendi, nominandi, præsentandi, alienandi, &c. Vnde dubioprocil, si attendamus ius commune eiusque dispositionem, receptio, & professio horum Nouitiorum valida fuit.

Si tamen inquit Pellizarius † attendamus Bullas Apostolicas Sixti V. qui edidit, *Constit. 6. Kalend. Decemb. 1583.* incipit, *Cum de omnibus;*

omnibus. & aliam quæ incipit, ad Romanum, edita 12. Kalend. Nouembr. 1591. quæ fuit moderatiua prioris & Gregor. X I V. in Bulla edita 12. Kalend. Aprilis 1591. moderatiua Bullarum Sixti prædecessoris sui; similiter priuilegia concessa Religionibus quæ referunt Rodriguez tom. 3. quæst. 54. ar. 6. Peyrinis tom. 2. priuileg. constit. 2. Sixti quinti num. 9. & 19. Lezana tom. 1. cap. 24. nu. 14. si inquam attendantur huiusmodi Bullæ & priuilegia, quibus potestas recipiendi nouitios redacta est ad certum personarum numerum in quo resideat præfata potestas, talis receptio facta ab Abbate, aut Rectore solo valida non est, & per consequens neque professio, quia iure nouo potestas admittendi non conceditur Regularibus, nisi cum limitatione dictarum Bullarum, sine qua si quid fiat inualide, fit ex defectu potestatis.

8 Sed existimo † huiusmodi Bullas & formam in illis expressam recipiendi nouitios non esse in Hispania & multis aliis Regnis vsu receptam, sed obseruari formam iuris communis, vel scripti, vel consuetudinis præscriptæ, quod Prælati simul cum maiori parte Capituli nouitios admittat ad habitum, & professionem eo modo quo disponitur in suis constitutionibus, & statutis, quare non dubito, quod formæ, quas introducunt præfata Bullæ, & priuilegia non practicantur propter innumera inconuenientia, quæ quotidie experiebantur. Præterquam, quod hæc statuta Ordinis, & Bullæ Apostolicæ ipsæ confirmantes non disponunt aliud, quam quod disponit ius commune, vt scilicet requiratur consensus conuentus ad receptionem nouitiorum, quando, scilicet adsunt alij Conuentuales, in quibus residet ius suffragij, cap. ea noscitur de his que sunt à Prælati. vt latè probant Gratianus disceptat. 440. num. 20. Thomas Sanchez lib. 5. Summe cap. 4. num. 65. Bonacina de claus. quæst. 2. punct. 10. difficult. 2. §. 6. num. 6. Tamburinus tom. 3. de iure Abbat. disput. 6. quæst. 15. à num. 7. Vnde vim inducunt nouam formam, sed intelligi debent iuxta ius commune, vt latè ex multis probat Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 33. n. 3. & lib. 8. disp. 35. n. 19.

9 Igitur existimo, quod si non sit speciale statutum, aut constitutio, aut Generalis, aut Prouincialis prohibitio irritans, ne in casu in quo sit in Conuentu solus Prior, Rector, aut superior nouitios ad habitum admittat, si solus recipiat, aut professionem admittat, & admissio & receptio valida sunt, nec irritari possunt à quocunque superiore maiori, quia Prior & Rector vsus est iure & potestate sibi tradita à iure in ipsoque maneant iura Conuentus, quia sicut

ipse, & potest acceptare hæreditatem & alienare aliqua Conuentus bona, etiam si ad vtrunque requiratur consensus capituli, imò hoc verum teneret, etiam si ipse Rector, aut Prior non haberet votum in capitulo, quia in casu in quo ipse solus remaneret in ipso manet sicut omnia Conuentus iura manet in illo non, vt superior, sed vt membrum illius, ita sub eadem ratione manet ius suffragij, quod in aliis debet esse, si essent, quatenus membrum est, sed non quatenus superior, legendi sunt Syluester verb. elect. 1. n. 2. Barb. de iure Ecclesiastico. lib. 5. cap. 19. num. 46. Miranda tom. 2. quæst. 23. art. 5. num. 38. Pasqualig. tom. 1. Decisio. 253. num. 1. & 7. vbi plures refert. Loterius de re Beneficaria quæst. 14. numer. 109. Vichius in praxi Nonitio. disput. 7. dub. 2. num. 11. Tamburinus de iure Abbat. tom. 3. disput. 6. querit. 1. num. 13. Quibus adde, quod ex consuetudine iam in præfata Religione, Superior habet in capitulis ius suffragij, hoc enim illis non est ablatum, sed tantum dicitur, quod teneatur sequi maiorum suffragiorum, partem sic respondi, & placuit viris Doctis responsio.

Hæc omnia ex decisio in tituli resolutione decucebam, & addebam, vt præambula ad casus grauissimi decisionem de quo interrogatus fui, † an Religiosus Carthusianus solemniter professus, possit affiliari in alia Religione laxiori, quamuis sit Hospitalaria, dummodo non sit Militaris. Respondi posse iuxta communem doctrinam, traditam in superioribus, quam probabilissimam esse & securam in praxi nullus dubitare potest iuxta quam in facti contingentia, ita licitè fecit Antonius Bezzerra laicus conuersus expressè professus in Domo Carthusian. Hispalensis, S. Mariæ de las Cuenas, qui ob causam infirmitatum maximæ anginae consultis Medicis & de consultatione Reuerend. P. Generalis Prioris Magnæ Carthusiæ, Procurator Generalis Prior S. Mariæ Angelorū de Vrbe P. Christophorus Puteanus dedit licentiam in scriptis, vt trāsiret, & affiliaretur in alia Religione laxiori confirmata à S. Apost. sub die 10. Febr. 1653. quam licentiam confirmauit in forma Illustr. D. D. Francisc. Caet Archiep. Rhodiens. Nuntius in Hispan. Regnis cum potestate Legati à latere die 18. April. 1654. & est registrata l. 2. Registri Abbreu. f. 10. qua vtens præfatus Antonius Bezzerra, affiliatus est, & receptus in Ordine Hospitalario S. Antonij Vienenf. & factus præceptor noua instituta præceptorum in hoc Hospitali S. Ant. Hispal. professusque est factum membrum huius Religionis, & sic dubio procul desinit esse membrum Carthusiæ, siquidem cum legitima licentia

licentia se transtulit, & bona fide professionē nuncupauit, in Religione S. Antonij, & hunc transitum validum, & licitum esse audio subscripsisse plures viros Doctos in Vrbe coram Summo Pontifice, inter quos erat P. Antoninus Diana de hoc casu consultus, ab eodem Antonio Bezzerra: hanc meam resolutionem secuti sunt quotquot in hoc Ciuitate Hispalensi sunt consulti.

- 12 Et ex ea inferebam dicendum fore necessario quod cum præfata licentia legitima sit, & authentica forma prior huius domus Carthusianæ, imo nec Prior Generalis potest inquietare præfatum Antonium Bezzerra cum legitimè sit exfiliatus à Carthusia, & factus filius Ordinis Sancti Antonij, quam filiationem possidet, & sic in ea debet conseruari, & tueri, nec in hoc potest esse difficultas, quia possessor bonæ fidei expoliatus ante omnia est restituendus, nec audiendus est expolians in principali ante restitutionem, etiam si vnus obolus deficiat restituendus, vt est certum axioma in iure totis titulis *de restitutione expoliatorum*, tam in ciuili, quam in canonico iure.
- 13 Fateor † magnum sequi inconueniens ex huiusmodi licentia concessa, & quod si ego essem huius strictissimi Ordinis aut Generalis, aut Procurator Generalis, prius sinerem me in partes disseccari, quam quantumuis grauissimam sicut non darem licentiam comedendi carnes. Si quidem si porta ad exitus laxarum viarum aliarum religionum aperitur, rigor Carthusiæ valde friget, & animantur inquieti ad tales exitus procurandos, non cum paruo Religionis, quæ ob sui singularem præ omnibus aliis vitæ rigorem iuri communi ex omni alia licitus est transitus. Minus enim inconueniens est, quod Religionis illius infirmitate pereat, quam quod tota Religio relaxatione rigoris tepescat, & frigeat, & quod dum Religioni, solitudini, & contemplationi debent vacare ex vi regulæ inquietudine turbentur, & ab exercitiis huiusmodi, vt oportet retardentur.
- 14 Ego enim † tempore Gregorij XV. valde restiti quod alius conuersus Religionis nostræ ad Religionem hospitalariam sancti Spiritus in Saxonia de Vrbe transiret, quamuis Eminentissimus Cardinalis *Desfi*, id procuraret cum Sanctissimo mihi que summis precibus persuaderet, vt consentirem imo, & ipsemet summus Pontifex, quod facerem illi *pontem aureum* dixit, at fortiter restiti quod alij multi contenti essent ponte luteo aut bitumineo, vt ad laxiorem ripam transirent, quod attendens prudentissimus Rector Vniuersalis nunquam dum rexit licentiam hanc est impertitus; quod multo

maiori motiuo id facere in Carthusia. Quare Innocentius X. dum speciali Breui expedito ad instantiam præfati Antonij Bezzerra *ann. 1653. die 10. Maij Pontificatus sui ann. 8.* ei licentiam concessit vt transiret ad præfatum Ordinem S. Antonij, si huius Superiores admitterent, & sui ordinis superior Carthusianus licentiam impartiretur, sine qua ipse Pontifex nunquam vitur, aut rarissime de plenitudine suæ potestatis, & sic Urbanus VIII. in *Decreto edito 21. Septembris 1624.* quod habetur *tom. 4. Bullarj*, statuit, quod etiam transitus ad strictiorem non fiat sine præfata licentia præhabita Superioris à quo, cui legitime constare debet licentia, & admissio superioris, ad quem fit transitus, quæ dispositio obseruari debet etiam dum fit transitus strictioris ad laxiorem, vt bene notant *Lezana tom. 1. summ. cap. 22. num. 15. Pellizzarius tom. 1. tract. 3. cap. 2. num. 102.*

Fateor etiam (nihil enim occultare quod ratio dicat volo), quod † infirmitas quæcunque corporalis non est sufficiens causa, vt detur licentia à Superiore qui sit Papa inferior, vt Religiosus solemniter profectus in Carthusia, ad aliam laxiorem transeat, moueor quia nulla infirmitas corporalis quantumuis grauissima, & acutissima à qua de consilio omnium medicorum non potest Carthusianus liberari nisi carnes saltem in infirmitate manducet, nullus superior etiam Prior Generalis potest licentiam dare carnes comedendi, quia huic iuri renuntiauit in professione in hac Religione in qua hæc vitæ austeritas profectur, ergo multo minus ob periculum infirmitatis, quam sæpe passus est, vel podagræ, aut chiragræ, anginæ, & similibus, potest dari licentia transeundi ad aliam laxiorem, cum possit multis cibis non ita nociuis vt, quæ, etsi non totalem sanitatem inferant, tamen temperabunt infirmitatem, & ad illam sustinendam tenentur, ex vi professionis in hac Religione, quare cum huiusmodi infirmitates, & similes virtualiter sint præuisæ, dum quis profectur vitam, ita austeram, quod illas sit quis assuetus pati, non est sufficiens causa vt licentia à Superioribus Carthusiæ ad transitus ab illa ad aliam laxiorem concedatur.

Addo † quod cum hic Antonius sit filius huius domus, quæ in ipsum habet speciali ius & potestatem potest reclamare, quod ipsa inaudita, & inconsulta priuata est iure suo in præfatum Antonium, non minus quam si ipsa inconsulta Generalis alienaret aliquam possessionem, posset vtique reclamare, atque ita supposito, quod sit specialis filiatio, vt est in Carthusia, potest

DIFFICULTAS I.

Vtrum possit Religiosus solemniter professus dignitate extra Religionem assumpta, exfiliari sine Religionis Prælati consensu?

S V M M A R I V M.

1. An Religiosus solemniter professus possit dignitate extra Religionem assumpta exfiliari sine Religionis Prælati consensu?
2. Authoris iudicium affertur, necnon variorum Doctorum sensus adducuntur. & n. 3.
4. Quanam licentia requiratur ad transeundum statum perfectiorem?
5. Qua licentia possit dari à solo Abbate, vel à Generali, vel à Prouinciali.
6. Urbanus I. requirit ad transitum ad aliam religionem consensum Abbatis, & totius Congregationis.
7. De alterius electione requiritur Superioris consensus.
8. Suarez sententia adducitur & n. 9.
10. Cuius consensus requisitio dimanet solum ex iure positivo, aut ex vi filiationis acquirita ex professione solemnī, in qua emittitur solemnē obedientiæ votum.
11. Bonifacij mens adducitur. & num. 12. 13. & 14.
15. An si Prælati Prouincialis nolit dare licentiam, sit ad eundem Generalis ad compellendum Prouincialem ad illam dandam.

Non loquimur † de Religioso solemniter professo, qui voto siue solemnī, siue simplici in professione, vel extra emissō est adstrictus ad non acceptandam extra Religionem Prælationem aliquam, vel dignitatem, de hac enim resolutione sequenti loqui referuo, quare in præsentī sermo est dumtaxat de Religioso solemniter professo, qui liber est ab huiusmodi voto, & inquiremus an iste talis possit extra Religionem sine Religionis consensu prælationem aliquam, vel dignitatem accipere.

Et quidem circa primam difficultatis partem. † Mihi omnino indubitatum est nullum religiosum solemniter professum cum ex vi solemnī professionis Religio acquirat in ipsum ius patriæ potestatis, & plenissimi dominij ipsæque Religiosus solemniter professus acquirat perfectam filiationem respectu Religionis, posse tam iure antiquo Gregorij Magni, quàm iure nouo Bonifacij VIII. consentire in sui electionem ad Episcopatum, aliamve dignitatem siue Cardinalitiam, siue aliam inferiorem, ex vi cuius exfilietur à Religione, in qua

professus est: & cuius filius est constitutus, ex vi professionis, de iure nouo sexti nullus dubitat. Canonistarum, aut Theologorum Moralium, & Alphabistarum. † Legantur Viuianus in *rationali*, lib. 1. pag. 188. Sanchez lib. 7. summ. cap. 29. num. 56. & 57. Rodriguez tom. 3. quæst. 58. artic. 1. Paulus Layman de *Prælat. Ecclesiast. electio. quæst.* 189. Acugna ad cap. 1. *distinct.* 58. Sigismundus à Bononia. de *elect.* dub. 4. Castro Palao tom. 3. *disputat.* 4. *punct.* 5. num. 2. Suarez tom. 3. de *Relig.* lib. 10. cap. 10. num. 14. vbi dicit, quod hæc prohibitio non est inducta iure antiquo Gregor. I. *relati. cap. quam sit.* 5. *quæst.* 2. vbi Sanctus Pontifex in Concilio suo Lateranensi. dicit: *Nullus Monachus sine testimonio, & concessione Abbatis sui in Ecclesia, aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem.* quare male citantur verba ab ipso Suarez, non enim dicit: *Nullus Episcopus ad aliquem promoueat honorem*, sed, *nullus Monachus promoueatur*, quia scilicet iste non est sui iuris, nec aliquid de se potest disponere sine consensu Abbatis, sicut sine illo nullum queit contractum facere, quia semper tanquam pupillus sub Abbatis patria potestate: quare quantum ad hoc Bonifacius VIII. *cap. si Religiosus.* 27. de *electione*, non statuit nouum ius: sed antiquum renouauit, quamuis addiderit nouum ius quantum ad nullitatem consensus in quantum ad hoc quod electio facta ipso facto viribus euacuetur omnino: quare tam iure decreti, quam sexti nullus religiosus solemniter professus, nequit sine consensu Abbatis acceptare electionem in quamcunque prælationem, aut dignitatem.

Sed aduertit Glossa, ad *cap. si Religiosus.* 4. Primum, quod hic est casus in quo † ad transeundum statum perfectiorem requiritur licentia non solum petita, sed obtenta, scilicet vt reprimatur Religiosorum ambitio: quia, vt ait Ioannes Monachus animus hominis generosus, de se tendit ad alta, scilicet honores & officia, quem animus reprimunt iura, vt hîc, & *cap. 2. de testam.* Sed non sic homo aspirat ad onera, vnde etsi Episcopatus sit altior status & perfectior, tamen non est aptus ad perfectionem acquirendam, & non parum habet periculi propter magnam obligationem sibi impostam de animarum cura ad quam se obligat ex voto, sed cum maiore vitæ libertate, potentia, honore, & rerum abundantia, & ideo illum non acceptare multum expedire potest, quod illum non acceptet sine obtentu consensus Prælati, quia status Religiosus solemnī ad perfectionem acquirendam per tria vota essentialia paupertatis, castitatis

& obedientiæ quare dum quis solemniter proficitur non habet conditionem implicitam, nisi eligatur ad Episcopatum sicut est nisi transeant ad strictiorem Religionem, in qua sunt media magis proportionata tribus votis, quibus obligor ad perfectionem acquirendam, unde communior sententia tenet, quod votum Religionis non adimpletur in susceptione Episcopatus, sed quod, qui illum fecit nequit illum acceptare, nisi prius impleat votum, & tamen si quis fecit votum Religionis laxioris illud implet, si in strictiore habitum adsumat.

5 Secundum, quod † hæc licentia potest dari à solo Abbate, vel à Generali, vel à Provinciali, quibus hoc negotium utpote arduum, & magnæ considerationis (non localibus Superioribus, quidquid dicant multi, quos citat, & sequitur Barbosa *cap. si Religiosus n. 4.* quamvis in hoc attendendæ sunt Religionis constitutiones, & consuetudines) reseruatum est, non tamen requiritur conventus, & Monasterij consensus, etsi enim Ioannes Andreas *cap. 2. dist. 58.* & Bernard. *c. post translationem, de renunt.* teneant requiri etiam Capituli consensus, ut persona alienetur ab obedientia, & dominatione Religionis, sicut requiritur ut alienetur res immobilis, & pretiosa quæ servando servari potest *cap. Abbati de verb. significat. cap. 2. de stat. Monach. cap. statuimus 19. quest. 3.* ubi † Urbanus I I. *epist. ad Abbatem 5. Ruffi.* requirit ad transitum ad aliam Religionem consensus Abbatis, & totius Congregationis, postquam qui vice Dei supra caput sibi hominem imposuerit, unde à maiori idem requiritur, ut ad statum Episcopalem migret, in contrarium est argumentum *ex cap. 2. 48. dist. cap. post translationem de renuntiat. cap. quam sit eodem,* ubi Superioris, & Abbatis fit mentio non Capituli, sed Glossa *ad cap. si Religiosus verb. sint varia*, has antynomias concordat, quod opinio Ioannis, & Bernardi sit vera iure antiquo, at contraria sit vera iure nouo Sixti ubi statuitur, quod solus Prælati consensus sufficiat, ob celerem Ecclesiarum receptionem.

7 Sed cum certum sit † loquendo de electione, requiri Superioris consensus, ut subditus illam acceptet, at de præsentatione, & postulatione, & collatione dubium est, an requiratur consensus Superioris, ut illi assentiatur subditus solènter professus negat requiri ad consentiendum electioni, & collationi, Castro Pala. *ubi supra vers. aduerte,* sed Suarez *num. 17.* sic distinguit. *Quia vel prouisio (quocunque vocetur nomine) talis est ut per eam acquiratur, ius personæ prouisæ ad Episcopatum, aut dignitatem extra Religionem à qua exfiliatur per prouisionem,*

vel nullum ius ei acquiritur, ut in pura præsentatione. In priori casu requiritur consensus Prælati si subditus eligatur, siue postuletur, siue conferatur collatione Canonica dignitas *cap. quorundam de electione,* & quidem in iure æquiparatur postulatio, & electio, si sermo sit de postulatio-
ne solemnè, quia admissa acquiritur ius postulato, nam postulatio simplex, qua postulatur aliquis ab eo qui super omne impedimento Canonico dispensare nequit, ut si Canonici postulent filium familias à Patre, vel ab Abbate monachum obligandum, ut enim monachus huic simplici postulationi consentiat non requirit consensus Abbatis, sicut nec ad præsentationem, quia ex vi huius nullum ius acquirunt postulatus, etiam si postulatio acceptetur sicut nec acquiritur, ex præsentatione.

Horum rationem † subiungit Suarez, 8 quia ex vi sui factus nullum contractum facere, aut ius firmum acquirere potest sine licentia Prælati, item quia illa promissio habet vim cuiusdam electionis, ita ut noua electio non requiratur, ut dicunt Panormitan. *cap. 1. & cap. postulationem de postulat. Prælat.* Syluester *verbo Postulatio quest. 6. & 7.* Angelus *num. 4.* Tabiena, & cæteri Alphabetarij Morales. Unde non procedit doctrina de requisitione consensus Prælati in præsentatione, aut simplici postulatione, procedit tamè in collatione Canonici & postulatione solemnè, quamvis si postulatio fiat Papæ, & ipse acceptet cum ante acceptationem nullum ius acquiratur postulatus, videtur eodem modo dicendum, & philosophandum, ac si electio ad dignitatem fiat à Papa de quo dicit Suar. ipse *num. 13.* quod † eo ipso ac Pontifex eligit aliquem Religiosum, cum sit illius proprius Superior dat illi licentiam, & nomine Religionis consentit, cum possit facere Episcopum subditum etiam repugnante Abbate. Quod secus est dum Papa simpliciter consentit, quod aliquis Religiosus fiat Episcopus, qui ut sit præsentatur à Principe iure Patronatus laici, quia Papa consentit præsupponens habere quidquid de iure requiritur nisi expresse dispenset. Unde existimo quod Religiosus Hispanus, qui à Rege Catholico præsentatur Papæ, ut fiat Episcopus nequit acceptare hanc præsentationem, nisi Prælati consentiat, quia ex vi huius præsentationis, cum fiat iure Patronatus laici aliquam actionem acquirat, ut eligatur à Papa, & confirmetur repræsentatio.

Sed modo superest examinandum, an † huius consensus requisitio dimanet solum ex iure positiuo, an ex vi filiationis acquisitæ ex professione solemnè, in qua

emittitur folemne obedientiæ votum? Castro Palao *vbi supra*, negat hanc necessitatem oriri ex filiatione, & voto obedientiæ, *Quia* (inquit) *consensus absque Superioris licentia, prohiberi, & irritari potest iure Ecclesiastico, ut de facto prohibetur, & irritatur, absque eo quod ex voto vlla sit prohibitio, & irritatio.* Adde Episcopatum, statum esse Religione perfectiorem nullo modo dispositioni Prælati regularis subiectum, ergo ex vi voti regularis obedientiæ non prohiberis eius electioni tuum consensum præstare. Verum etsi hoc ita sit, negari non potest te potuisse voto obedientiæ, ad id obligari, cum sit res honesta & iuri communi conformis.

- Sed miror hominem aliàs in materia morali eruditum in hanc opinionem absurdam meo iudicio dilapsum; cum Pontifex, *cap. si Religionis citat.* hanc rationem vnicam suæ decisionis tradidisse. Sic enim † ait Bonifacius (referens verba iuris Decreti dati ab Urbano II. relati, *cap. statutum supra adductum*) *si Religiosus (cuius arbitrium non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet) electioni de se ad prælationem aliquam extra suum monasterium vel suam Ecclesiam celebrata, sui Superiori, qui dare ipsam valeat non petita, & obtenta licentia præsumperit consentire, consensus sic petitus non teneat, & in pœnam præsumptionis ipsius electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino.* Hoc totum caput. Vnde egregiè notat Pater Suarez *num. 15.* quod † hic Pontifex non facit nouum ius; sed declarat vim, & efficaciam voti solemnitis si Religiosus acceptet Episcopatum nulla & irrita erit acceptatio, electio vero irrita est, & ipso facto viribus vacua, in pœnam talis acceptationis præsumptuosè factæ sine consensu Prælati, & quantum ad hoc est nouum ius, quia ex vi votis obedientiæ non erat irrita electio, quia electores non sunt subiecti Abbati, sicut Monachus qui nulum ius maxime ex vi cuius eripitur à patria potestate, & exiliatur à Religione.
- 13 Vnde iam directa sunt fundamenta opposita, nam acceptatio ista irritatur, & prohibetur, qui ex vi voti solemnitis, & filiationis erat irrita & prohibita, rursus, etsi status Episcopatus sit perfectior statu religioso tamen periculosior, & quia acceptio fit à Religioso ista, est irrita & prohibita ex vi obedientiæ regularis, quæ præstringit media ad perfectionem acquirendam, & sic abdicatio proprii velle & nolle absoluta fuit respectu acceptationis cuiuscumque iuris extra religionem. Vnde fallitur Suarez dum dicit, quod acceptatio non est irrita ex vi obedientiæ solemnitis (quidquid sit

de obedientia simplici etiam religiosa) est quidem irrita, neque quantum ad acceptationem est ius constitutum, sed quantum ad electionem, quam in pœnam constituit Pontifex esse ipso facto viribus vacuandam.

Sed nunquid † si Prælati Prouincialis nolit dare licentiam? adeundus est Generalis, vt Prouincialem compellat, si iniuste denegat, etsi adhuc nolit, poterit dare ipse Generalis ad quem deuoluitur potestas, ex filiandi, & licentiandi. Ita Lambertinus *de iure Patronatus, lib. 1. part. 2. quest. 7. artic. 19. num. 13.* Sanchez *lib. 7. summ. cap. 29. num. 69.* Glossa *cap. si Religiosus versic. sed quid si Superior.* non tamen sufficit licentia tacita, quid quid dicat Caldas Pereyra, *de Resolut. emphyteutic. cap. 11. num. 15.* quia requiritur licentia petita, & absoluta, *cap. si Religiosus,* sufficit tamen si sit virtualis.

DIFFICULT. II.

An requiratur consensus Prælati Regularis, ut quis acceptet electionem de se factam in Summum Pontificem Romanum.

SUMMARIUM.

1. *An ex vi Cardinalitiæ dignitatis sit quis exemptus ab obedientia regulari.*
2. *An ad electionem in summum Pontificem sit consensus Prælati Regularis requisitus.*
3. *Authoris iudicium assertur.*
4. *Ratio difficultatis adducitur, & n. 5.*
6. *An ex natura filiationis religiosa, & seruitutis quam quis solemniter profitetur possit sine consensu Abbatis, & sui superioris consentire in sui promotionem.*
7. *An Religiosus solemniter professus ex vi professionis sit eius filius sub patria potestate constitutus.*
8. *Bonifacij VIII. & Urbani II. sensus afferuntur.*
9. *Sanchez, & Suarez opiniones adducuntur, & n. 10.*
11. *An ante consensum tacitum aut expressum Prælati Regularis, Religiosus electus non acquirat aliquod ius in re in summum Pontificatum.*
12. *An si Religiosus acceptet summum Pontificium absque licentia requisita, teneatur ad monasterium redire in conscientia.*
13. *An electores facta electione possint cogere nomine totius Ecclesiæ Prælatum, ut licentiam largiatur, eam denegando contra bonum commune.*
14. *Non acceptatio summi Pontificatus an sit obiectum honestum.*

15. *Suarezij sententia assertur, & num. 16. & 17.*
 18. *An per Summum Pontificatum non substrahatur quis Religioni, & n. 19.*

Quamuis, ut modo fit Summi Pontificis electio quæ arctata est solum, tam quantum ad vocem actiuam in electoribus, quam quantum ad passiuam in eligendis, quod fiat ab Eminentissimis Cardinalibus, & quod de ipsorum numero sit electus in conclauis existentibus omnibus, tam electo quam electoribus, difficultas præfens locum non habeat, quia ꝑ ex vi Cardinalitiæ dignitatis est exemptus quis ab obedientia Regulari. Cæterum, quia modus electionis cum sit iure humano introductus, & variatus pro temporum varietate, & exigentia circumstantiarum, potest modus qui de præfenti est alterari, & quod sit capax electionis passiuæ non Cardinalis solum, sed alius qui Religiosus professus sit vocetur qui à Deo tanquam Aaron, ut cœhatur ad apicem dignitatis, & ut impleat Apostolicam sedem, in hoc casu procedit difficultas præfens, ut ex illa clarescat, quanta sit dignitas, & altitudo voti solemnitis obedientiæ.

2 Igitur prima, sententia negat, quod ꝑ sit requisitus consensus Prælati Regularis, quæ sequitur Thomas Sanchez *lib. 7. Summ. c. 29. num. 58.* qui citat aliquos Canonistas & DD. antiquos de quorum sensu mox dicam, Pater Suarez *tom. 1. de Relig. l. 10. cap. 10. à n. 8.* latè, ut assolet discurrit circa hoc punctum & latius *to. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 9. à num. 11.* ubi multa dicit in sequentibus enucleanda maximè *difficult. 4.* Secunda sententia est, adfirmatiua Glossæ *cap. quam sit. verbo ad ordinem.* & absque dubio fuit inter antiquos Canonistas communis, quam sequuntur sexdecim Auctores grauissimi, quos citat Sanchez, *ubi supra.* & ex recentioribus sunt Gregorius Lopez *leg. 22. verb. Ecclesias tit. 7. part. 1. Grassi part. 2. decisio. lib. 3. cap. 20. n. 1.* Manuel Rodriguez *tom. 1. quest. 34. artic. 5.* Sà Emendatus *verb. Relig. n. 63.* Hieronymus Rodriguez etsi priorem dicat probabilem & posteriorem probabiliorem, & magis piam, & rigori iuris magis consonam *Resolut. 15. num. 54.*

3 Ego vero ꝑ hanc sententiam veram existimo ex vi filiationis Religiosæ, quam, quis habet ex professione solemniter ex qua Religio habet patriam potestatem, & ius in personam Religiosi solemniter professi, quod ius nunquam amittit nisi renuntiet, nullus enim spoliari potest re sua sine consensu eius cuius est, hoc enim est fundamentum D. Tho. & Iuristarum, cur filius impubes manens in patria potestate nequit patre repugnante ad religionem admitti à qua potest extrahi, ab

ipso Patre, & de seruo, qui nequit ad religiosum statum obligari sine consensu Domini, in cuius potestate est, quod si obligetur, Dominus rescindere queit obligationem.

Ut autem hæc sententia lucidior appareat ꝑ punctum difficultatis est aperiendum, non enim est situm, an electores validè eligant in Papam Religiosum non præhabito prius consensu Religionis possunt quidem illo non præhabito, eligere, quem magis expedire iudicauerint ad Ecclesiæ vniuersalis regimen, & gubernamen, etiamsi voto solemniter sit adstrictus, non acceptandi extra Religionem dignitatem, aut prælacionem, etiamsi sit Summus Pontificatus nisi de licentia sui regularis Prælati. Electores enim Summi Pontificatus totam Ecclesiam repræsentant, ut eligant caput illius, quod conuenientius iudicauerint, ad quod parum refert, quod electus sit Religiosus, & præfatio voto adstrictus, quia ex vi electionis personæ hæc obstaculæ euanescent, & votum non obligat, etsi obligat tenetur Superior licentiam dare, & dum emittitur votum, non cõsentiendi in electionem nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quantum ad acceptationem Summi Pontificatus, sat est obedientia electorum, quibus quatenus repræsentant in hac electione, totam Ecclesiam, potest quis obedire, & acceptare Pontificis Summi dignitatem, neque electio est irritanda, etiamsi non habito prius consensu Prælati regularis, ut decernitur, *cap. si Relig. de elect. in 6.* ubi tantum agitur de aliis dignitatibus, & prælacionibus, & illa lege non tenentur electores.

Quare cardo in quo vertitur & controvertitur difficultas est, ꝑ an ex natura filiationis religiosæ & seruitutis, quam quis solemniter proficitur, possit sine consensu Abbatis & sui Superioris consentire in sui promotionem & electionem sine licentia sui Prælati, ita ut iste possit illi præcipere, ut in virtute Sanctæ obedientiæ ne Summum Pontificatum acceptet ipsique teneatur ex vi voti solemnitis obedire? & in hoc sensu loquuntur Auctores secundæ sententiæ, & Auctores antiqui pro prima non loquuntur in hoc sensu, sed in alio longè diuerso, dicunt enim, quod potest quis promoueri ad Summum Pontificatum sine consensu Superioris, quod verissimum est. Nam electores & Eminentissimi in hac electione non tenentur lege Canonica *in cap. si Religiosus,* nec huic electioni potest aliqua exceptio præter hæresim poni, non tamen loquuntur de acceptatione, sine hac enim Pontifex electus, nequit munus suum exercere. Vnde postquam electus est eius acceptatio expõcitur, quod si nolit acceptare ad alium eli-

gendum progreditur, & sic ante acceptationem adhuc manet sub potestate Prælati, & filius, ac seruus Religionis.

7 Probatur, ergo hæc nostra sententia. Primò, quia † Religiosus solemniter professus ex vi professionis est eius filius & sub eius patria potestate constitutus, ergo ipse nequit ab illa se subtrahere sine eius consensu, consequentia videtur manifesta, quia si inuita Religione ab ea refugit pietatem illi debitam non agnoscit, *leg. si filius C. de patr. potestate, si filius tuus*, (ait Imperator Alexander) *in potestate tua est res acquisita tibi alienare non potest. Quem si pietatem Patri debitam non agnoscit castigare iure patria potestatis non prohiberis acriori remedio vsurus si in pari contumacia perseuerasset.* Si enim non consentiente Patre res acquisita patri alienare nequit, quanto minus alienari se potest à patria potestate & ab ea exiliari.

8 Secundò probatur ex ratione qua vitur † Bonifacius VIII. *cap. si Religiosus citat.* & Urbanus II. *cap. statuimus 19. quest. 2.* quia *arbitrium Religiosi professi non ex sua cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet.* ergo Religiosus quãdiu manet subiectus, & filius Religionis non habet proprium velle, & proprium nolle, sed in utroque pendet à voluntate eius cuius se subiecit imperio in professione solemnè, à quo non est exemptus, ex vi præcisæ electionis, ante suum consensum & acceptationem, quæ iure naturali exigitur ad munus Pontificium exercendum, ergo ut istum præstet necessario exigitur influxus voluntarius Superioris, cui se subiecit, & quem vice Dei super caput suum posuit.

9 Huius argumenti emergiam & efficaciam conantur euertere contrarij, quare † Sanch. & Suarez respondent *ubi supra*, quod quum dicitur, quod Religiosus non habet consensum, est quædam iuris fictio, ex qua dimanat, quod cum Religiosus non sit sui iuris, sed sub alterius potestate, non secus ac pupillus, sicut iste fictione iuris dicitur non habere consensum nisi tutor, aut Pater, habet tamen, tam pupillus, quam Religiosus consensum & dissensum naturalem qui ex natura rei sufficit ad acceptandum Pontificatum, & aliàs cum hic consensus non sit irritus iure humano sicut respectu aliarum dignitatum extra Religionem, licet Religiosus acceptat supremam Ecclesiæ prælationem, etiam sine consensu sui Prælati.

10 Verum enim vero hæc solutio ex alta radice etsi infecta dimanat, quasi solemnitas votorum Religionis essentialium, non sit iure diuino ex vi cuius, & non ex fictione iuris humani Religiosus solemniter professus est sub patria potestate Religionis & sub il-

lius seruitute, ipsiusque filius iure diuino, vnde suum velle, & nolle cum sit religiosum, non potest non pendere à voluntate eius, cui se solemniter subiecit, & nomine Dei super caput suum posuit, huic enim totaliter se supposuit, vt eius imperio in omnibus annuerit & nihil faceret contra & sine eius voluntate tacita, vel expressa hoc enim exigit totalis ista subiectio, quare quãdiu ab ea non est exemptus eam in omnibus suis actibus requirere, nec potest acceptare tanta conscientia aliquid iuris, vel actionis intra, vel extra Religionem sine voluntate eius, cui se, vt seruus, & filius quoad iura seruitutis, & filiationis subiecit, est enim religiosus ex vi status religiosi acquisiti per tria solènia vota iure diuino subiectus, & eius arbitrium iure etiam diuino subordinatum arbitrio & voluntati superioris, causa autem subordinata in his actionibus in quibus subordinatur, vt lumine naturæ notum est imò magis influit in effectum causa subordinans, quam subordinata, quod in moralibus & in physicis certum est, vnde consensus naturalis religiosi solemniter professi, non fat est, vt acceptetur Summus Pontificatus, sed debet esse, vt licita sit acceptatio consensus Religiosus, qui talis non est sine consensu Prælati.

Quare egregiè Villadiego *de origine & præstant. Cardinal. quest. 5. num. 33.* habetur *tom. 3. tract. part. 2.* quod † ante consensum tacitum, aut expressum Prælati Regularis Religiosus electus non acquirit aliquod ius in re in Summum Pontificatum. Ratio est perspicua ex dictis, quia non acquiritur ius in re ante acceptationem, & consensum electi, atqui consensus naturalis, & non Religiosus non sufficit, quia iure diuino arbitrio Religiosi solemniter professi est subiectum, & subordinatum arbitrio sui superioris, quãdiu non est exemptus ab eius subiectione & dominio, quare nequit acquirere ius in re ad Summum Pontificatum, non secus, ac seruus nequit acquirere ius ad dignitatem, vel hæreditatem quãdiu manet sub seruitute, & in hoc se fundarunt, *Glossa citata.* & Bonifacius *ibidem.* & Clementina *final. num. 30. & 31.* dum asserunt, quod † si Religiosus acceptet Summum Pontificatum absque licentia requisita, tenetur ad monasterium redire in conscientia & monasterio restituere, quod suum est, ad quod ipsius conscientia tanquam iudex sui compellit iuxta illud Pauli. *1. ad Corinth. 10. numer. 29.* *quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia.* Sicut tenetur aliis facere iustitiam; quia iure diuino nequit sine licentia acquirere ius ad Pontificatum. Vnde tenetur ad postliminium reuertere.

- 13 Verum est quod † electores facta electione possunt cogere nomine totius Ecclesie quam in hoc actu representat dominio, & potestate alta qua fulgent Prælatum, vt licentiam largiatur, & consensum præstet requisitum, cum iniuste contra bonum commune videant denegare, sicut si domus mea necessaria est ad defensionem ciuitatis, & nolim eam dare possum cogi, vt illam dem, & à me inuito auferri, ad hoc autem requiritur quod sit simpliciter necessaria, quia consensus ad bonum commune, altior est, quam ad bonum particulare, quod *diffic. 4.* luculentius enodabo.
- 14 Tertio probatur quia † non acceptatio summi Pontificatus est obiectum honestum quod quis potest non acceptare, sicut, & resignare vt de facto aliquando resignatus est vt constat in Cœlestino V. *cap. 1. de renunciat. in 6.* ergo vt acceptet tanquam Religiosus, & maiori securitate indiget sui Prælati consensu, antecedens probatur quia, etsi Summus Pontificatus sit status perfectissimus omnium qui sunt instituti à Christo Domino in Ecclesia, supponit tamen, non confert perfectionem per se loquendo, cum tamen illam requirat ne illum multis, & grauissimis periculis se exponat, & ideo quando homo potest sine peccato illum recusare melius facit illum recusando, quam acceptando saltem moraliter, & vt in plurimum. Etenim non acceptare in ordine ad propriam salutem est securus, & quoad propriam æstimationem sui ipsius est humilior, & à propria præsumptione maxime distans, ergo ex his capitibus hoc melius est magis quam cõsentaneum perfectioni. Aliunde autem sufficienter prospicit quis vtilitati aliorum, si paratus est illud onus accipere, quando vel charitas vel obedientia obligauerit, ergo &c. † quæ omnia fere sunt verba Suarez *tom. 4. de Religio. lib. 7. cap. 8. num. 14.* agens de non acceptando Episcopatu, quæ ratio ob egregia motiua in ea posita multo magis vrget in Episcopatu Romano, cui annexus est summus Pontificatus, cuius honor & altitudo dignitatis, oneraque ipsa, qua humeris suis imponit longe maiora sunt, quam cuiuscunque alterius hominis quantuncunque fulgeat altissima dignitate, quæ semper limitatum respicit terminum, at suramus Pontifex nullum in terris terminum agnoscit, sed eius iurisdicctio totum ambitum mundi continet, & gubernat, quantum ad animarum salutem, vnde eius acceptatio multo oculatior, & attentior debet esse, & per consequens eius renuntiatio humilior, securior magis distans à præsumptione, hæc autem omnia media sunt ad perfectionem acquirendam, ergo sunt obiecta honesta talis obedientiæ, quam quis solemniter est pro-

fectus, ergo sine consensu Prælati acceptari nequit.

Vnde minus bene Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. cit. n. 10.* dixit quod dum quis se totaliter donauit Religioni, intelligitur inclusa conditio, nisi sit assumpturus meliorẽ, & altiore[m] statum præsertim pertinentem, ad totius Ecclesie bonum, qualis est summus Pontificatus. Hoc inquam minus bene dictum est, quia hoc gratis dictum est, hoc enim ipso quod quis se totaliter donauit religioni huic totali donationi solũ repugnat, quod non potest cum ea compati, attento bono communi Ecclesie, ad quod quis est obligatus, vel ex iustitia legali, vel ex charitate, quod in præsentem non contingit, vt quis que iudicabit, quod si contingat etiam si quis sit ex voto solemnem adstrictus illo non obligatur, quia est maior obligatio tuendi, & conseruandi bonum commune. Secundo, quia etsi sit iste status perfectior, at est periculosior, & illius renuntiatio propriæ saluti securior, & respectu propriæ æstimationis humilior, & maxime distans à præsumptione, ergo horum mediõrum honestas continetur in totali donatione facta Religioni sine cuius consensu nequit quis, ex vi voti solemnem eam subterfugere.

Neque etiam placet, quod ibidem dicitur quod † per summum Pontificatum non subtrahitur quis Religioni, sed altiori modo illi coniuncta manet tanquam illius caput, & Supremus Gubernator, vnde manet intra & supra Religionem. Hoc aliquando mihi ardebat, dum hanc quæstionem in scholis disputabam, sed modo nullatenus aridet, quia etsi iure diuino summus Pontifex sit religionum primus gubernator, & Rector, & illarum supremum caput, cui ex vi voti solemnem obedientiæ tenemur obedire, tamen est dignitas extra Religionem, & ab illius subiectione, & filiatione eximitur, & à patria illius potestate, quam habebat in illum, acquiritque ius extra Religionem cuius acceptatio debet fieri, prius, & antequam fiat vniuersalis Religionum Rector, & Gubernator, ergo pro illo priori eius arbitrium subordinatum est voluntati eius, cui se subiecit, & quem vice Dei super caput suum posuit, quare ipse nequit esse vice Deus in terris, nisi ille quem ex vi professionis vice Deum constituit, & cui suam subordinauit voluntatem, consentiat.

DIFFICULT. III.

Vtrum Superior Regularis possit cogere sibi subditum, illi imponens formale obedientiæ præceptum, vt dignitatem extra Religionem acceptet, & sic exfilietur?

S V M M A R I V M.

1. *An possit esse Religio approbata à sede Apostolica in qua emittatur votum obedientia, vel expressum verbis, vel implicitum.*
2. *Votum de non acceptando Episcopatum sine præcepto formali Superioris Regularis, an non sit de materia licita & honesta, & num. 3.*
4. *In Summo Pontifice residet potestas præcipiendi, ut quis acceptet Episcopatum.*
5. *Multorum Doctorum opiniones adducuntur, & n. 10. 24.*
6. *An si in Religione fiat speciale votum, siue solemne, siue simplex accipiendi Episcopatum, si Summus Pont. id præcipiat ex vi huius voti Regularis teneatur obedire Sum. Pontifex tanquam Superiori Regulari.*
7. *Cardinalis de Lugo sensus assertur, & num. 13.*
8. *Ratio difficultatis tripliciter veni emendanda.*
9. *Prelatus Regularis etiam generalis nequit ex v. præcepti obedientia imponere præceptum sibi subditis, ut Episcopatum acceptent, aut dignitatem extra Religionem*
11. *Ante Bullam Gregorij XI. an Scholares Societ. validè et si non licitè poterant contrahere matrimonium.*
12. *An non possit obedientia debita Prelato Societatis extendi ad præcipiendum consensum, quo subditus redderetur inhabilis, ut maneret sub obedientia & filiatione Societatis.*
14. *An ante acceptationem Episcopus electus & confirmatus à Sum. Pont. sit indifferens, ut sit subditus, vel non.*
15. *An Religiosus solemniter profusus nequeat esse Episcopus nisi prelatus regularis consentiat in sui electionem.*
16. *An dum subdito præcipitur à Superiore, quod acceptet Episcopatum per se non præcipiat.*
17. *Papa nequit cum Religioso dispensare, ut nulli prelato teneantur obedire in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent, ex S. Thom.*
18. *An hoc sit per accidens, quod Episcopi Religiosi obedire Prelatis suarum Religionum non teneantur.*
19. *S. Doctoris mens adducitur, & num. 20. 21. & 22. 32. & 42. Necnon S. Bernardi, & num. 23.*
25. *Quantum in acceptando Episcopatu onus suscipiatur, & n. 26.*
27. *An Prelatus regularis possit obligare præcepto declarativo, quod quis teneatur acceptare Episcopatum ex obligatione*
28. *charitatis. Quid ad inordinationem voluntatis pertineat.*
29. *An accipere Episcopatum non sit necessarium ad salutem.*
30. *Superior cuius imperio subditur quis ex voto obedientia, potest præcipere accipere Episcopatum, quem accipere de se non erat necessarium ad salutem, fit autem necessarium ex superioris præcepto ex S. Doctor.*
31. *Quid nomine superioris, & Prel. ti. intelligat S. Thomas.*
33. *S. Petri mens assertur.*
34. *An aliquando sit obligatio sub mortali accipiendi Episcopatum.*
35. *An ex obligatione charitatis teneatur quid ad acceptandum Episcopatum ipso iure divino.*
36. *Authoris iudicium assertur, & numero 43.*
37. *An Prelatus regularis ex vi obedientia quam solemniter subditus vouit non possit præcipere, ut mortaliter non peccet transgrediendo præcepta iuris diuini, naturalis, & Ecclesiastici. & n. 38.*
39. *D. Augustini iudicium adducitur.*
40. *Quid veniat aduertendum.*
41. *Greg. sensus assertur. necnon Urbani VIII. & n. 44.*
45. *An præceptum, ut quis possit obligari ad acceptandum Episcopatum, nullus alius possit imponere superior nisi Sum. Pont. & num. 46.*

HÆc grauiissima difficultas, ut refert Cardinalis de Lugo in *Responsis Moralibus* l. 3. dub. 4. num. 1. valde fuit controuersa Romæ ann. 1643. & vtramque partem defendentes fuerunt Theologi docti. Ut autem meum in ea aperiam sensum iuxta D. Tho. doctrinam, duo tanquam certa in omnium rectè sentientium opinione ponenda sunt, quare primam difficultatis partem in hac difficultate, secundam in sequenti diligenti calamo discurram.

Primum, † posse esse Religionem approbatam à sede Apostolica, in qua emittatur votum obedientia, vel expressum verbis, vel implicitum iuxta constitutiones approbatas, quod quis acceptet Episcopatum sibi oblatum, absque ambicioso diligentis quaesitum, si superior Regularis præceptum iniunxerit acceptandi, siue votum hoc sit solemne, siue simplex. Hoc suppositum, ita mihi certum est, ut mirer, velleuiter contrarium insinuasse Eminentiss. Cardinalem de Lugo ubi supra num. 12. Ratio est perspicua, quia votum de non acceptando Episcopatum sine præcepto formali superioris Regularis est de materia licita & honesta, hoc enim

enim negari non potest, votum enim sole-
 ne multæ Religionis emittunt non admit-
 tendi dignitates extra Religionem, nisi co-
 actus quis sit obedientiæ præcepto Summi
 Pontificis, quo præcepto coactus & ipse Lu-
 go dignitatem Cardinalitiam accepit ab Ur-
 bano VIII. vt ipse refert, *dub. 5. num. 7.* id,
 quod dicit de Cardinali Bellarmino & aliis
 aliarum Religionum, ergo si quis emittat
 votum non admittendi dignitatem Eccle-
 siasticam extra Religionem nisi id sibi præci-
 piatur à Superiori Regulari iuxta suas con-
 stitutiones, quæ cõfirmatæ sunt à sede Apo-
 stolica in quibus est statutum, quod quis fa-
 ciat hoc votum non acceptandi Episcopa-
 tum nisi ex præcepto Superioris Regularis,
 ex vi cuius voti sicut ceteræ constitutiones
 determinant materiam obedientiæ, & non
 solum virtutis Religionis, ita & acceptatio
 Episcopatus est materia specialis obedien-
 tiæ, sicut quis, qui fecit votum simplex,
 siue solempne non acceptandi nisi coactus
 obedientia Summi Pontificis acceptat Epif-
 copatum illum acceptat ex vi voti obedien-
 tiæ debitæ Summo Pontifici, & non solum
 quatenus illi est commissa totius Catholici
 3 gregis cura. Neque iste qui ex vi præcepti
 formalis impositi à suo Superiore Regulari
 acceptat Episcopatum & dignitatem aliquã
 extra Religionem est putandus ab Ordine
 egredi, si quantum in ipso est semper appe-
 tat, in sinu ordinis confoueri, vt ait S. Bona-
 uent. *super Regulam, cap. 2. circa medium.* Vn-
 de hanc suppositionem tenet Suarez *tom. 3.*
de Religione libr. 10. cap. 10. num. 5. agens de
 voto transeundi ad Religionem strictiorem.
 4 Secundum, quod † in Summo Pontifice resi-
 det potestas præcipiendi, vt quis acceptet Epif-
 copatum, quæ potestas illi inest iure diuino, qua-
 tenus Ecclesia debet habere in se potestatem
 necessariam ad sui conseruationem, & gubernationem
 ad quam necessaria est potestas cogendi
 aliquando ad hæc munera acceptanda, sicut po-
 testas secularis, aut ciuilis propter bonum pu-
 blicum potest cogere ciues ad munera publica
 obcunda, leg. si Magistratum C. de Decur. l. 11.
 & toto tit. de excusat. de muner. eodem libr. 11.
 Quod multo magis in Republica Ecclesiastica
 necessarium, in qua qui meliores, & aptiores
 sunt ad prelaturas Ecclesiasticas magis eas effu-
 gient, & dignitates abhorrebunt prout fecerunt
 plures Sanctissimi viri, quorum alij eas omnino
 refutarunt, alij non nisi coacti acceperunt, debet
 igitur esse potestas in Ecclesia ad eos obligan-
 dos, ne careat pastoribus & prelatibus. hæcenus
 5 † Lugo *dub. 5. cit. num. 6.* quæ exstillauit ex S.
 Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 2. Sanchez *lib. 6. in*
Decalog. cap. 2. num. 49. Lessio *lib. 2. cap. 41.*
num. 76. Miranda *in Manuali tom. 2. qu. 23.*
art. 31. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10.*
 Lezana *tom. 1. cap. 4. n. 18.* qui bene addunt,

quod dum Religiosus huius præceptum exe-
 quitur non est, ex vi præcepti obedientiæ
 solempnis, quod emisit in professione, hoc
 enim, vt ait D. Thom. solum obligat ad ob-
 seruandam vitam regularem, vt mox dicam
 verba S. Doctoris adducens, sed est ex vi
 subiectionis ad Summum Ecclesiæ guber-
 natorem, qui ex iurisdictione sibi data à
 Christo Ecclesiæ institutore, & fundatore, id
 potest præcipere, tanquam caput cui tenen-
 tur membra obedire.

Cæterum † si in Religione fiat speciale 6
 votum, siue solempne, siue simplex accipiendi
 Episcopatum, si Summus Pontifex id præci-
 piat ex vi huius voti Regularis tenetur obe-
 dire Pontifici tanquam Superiori Regulari,
 adeo quod si Pontifex non haberet potesta-
 tem iurisdictionis, ex iure diuino, quã mo-
 do explicuimus, ex vi huius voti specialis
 teneretur obedire ex vi cuius Pontifex ac-
 quirat nouam potestatem, ad præcipiendum
 taliter, quod non obediens, non solum pec-
 caret contra Religionis virtutem, sed con-
 tra obedientiam, sicut Pontifex iuxta com-
 munem sententiam ex vi voti obedientiæ
 emissi in professione cõmunis nequit præ-
 cipere, vt quis vadat ad remotissimas regio-
 nes, ad disseminandum Euangelium, at si
 Religio aliqua speciale votum habeat quo
 se obliget ad huiusmodi missiones, si Papa
 præcipiat, tenetur ex vi huius voti specialis
 obedientiæ obedire, aliàs votum esset va-
 num & nullius obligationis, vt bene † adno- 7
 tat Card. de Lugo *ubi modo n. 5.* ergo si dum
 quis vouit in professione acceptandi Epif-
 copatum, si Sum. Pont. præcipiat, ex vi huius
 voti nouã potestatem accepit Pont. ad præ-
 cipiendum, & non solum præcipiet ex vi iu-
 risdictionis, quam habet, vt supremum Ec-
 clesiæ caput cui competit gubernatio, &
 conseruatio Ecclesiæ, si enim solum posset
 præcipere, vt caput vniuersale cum huic te-
 neamur obedire iure diuino, votum specia-
 le, quod emittimus non induceret specialem
 obligationem intra lineam obedientiæ, quod
 est omnino absurdum, nec esset materia vo-
 ti obedientiæ regularis accipere Episcopa-
 tum, quod tuto dici nequit, etsi enim Pont.
 iudicet, quod ego non sim necessarius ad gu-
 bernandam aliquam Ecclesiam, cum sint
 alij æquè digni, potest tamen ob alias ratio-
 nes bene sibi visas, mihi præcipere, vt acce-
 ptem, & ex vi huius voti quarti emissi in
 professione mea, teneor obedire, & pecca-
 bo contra specialem obedientiam, quam
 promisi.

His igitur positis † difficultas proposita 8
 tripliciter potest intelligi, an Prælati Regu-
 laris maxime Generalis, qui totius Religio-
 nis clauum tenet, illiusque bonum vniuer-
 sale respicit, possit via ordinaria ponere
 præceptum

præceptum imponens obligationem acceptandi Episcopatum alicui Religioso idoneo quidem ad gubernamen Ecclesiæ, non tamen necessario, ita vt Ecclesia eminenti, & graui necessitate pressa indigeat eius gubernatione? Secundò, an possit imponere præceptum non inducens obligationem nouam, sed declarans quam habet quis ex charitate in proximum acceptandi cui præcepto declaratio teneatur Religiosus obedire ex vi voti obedientiæ emissi in professione? Tertio, an hoc præceptum declaratiuum, sit sufficiens, vt ille qui habet votum non acceptandi Episcopatum, nisi cogatur præcepto eius, qui præcipere ei potest, teneatur illi obedire ex vi voti obedientiæ emissi in professione?

Hoc triplici sensu enucleato, id quod probabilius iudico explanare non est difficile. Igitur existimo primum, quod † Prælati Regularis etiam Generalis nequit ex vi præcepti obedientiæ imponere præceptum sibi subditis, vt acceptent Episcopatum, aut dignitatem extra Religionem. Hæc est cõmunis, & certa sententia quam sequuntur citati, qui plures alios citant, quibus addo Peyrinum *de P. subdito. quest. 1. cap. 10. Valentiam tom. 3. disp. 10. quest. 3. punct. 3. punct. 3. assert. 6. versic. quærent. Ledesma de statu Episcoporum. cap. 3. concl. 8. ad 1. Sosa de oblig. Episcoporum. num. 38.* Vnde addunt Valentia, & Peyrinis, *Stultum est credere posse Prælatum Regularem præcipere subdito id per quod eximitur ab obedientia Regulari erga Prælatum.* Hinc est celebre illud dictum S. Thom. 2. 2. quest. 186. artic. 5. quod Religiosi per votum obedientiæ, in his quæ pertinent ad Religionem vitam alterius imperio subduntur. Hoc enim prius dixerat S. Bernard. *lib. de præcepto. & disp. votum meum non adaugeat Prælatum sine mea voluntate, nec minuat, sine certa necessitate.*

Sed huius asserti rationem varie assignauerunt † Doctores Cardinalis de Lugo Sanchez, Suarez, & multi ex citatis, eam assignant, quia Prælati Regularis nequit præcipere subdito suo, vt exequatur id per quod debitum eiusdem obedientiæ dissoluitur, repugnat enim quod dicat, quia est meus subditus, præcipio tibi vt non sis meus subditus, quia hoc esset præcipere ex obligatione obedientiæ id per quod ipse subditus ipso facto eximeretur ab obligatione obediendi, quare ex debito obedientiæ careret debito, & obligatione obedientiæ, & obedientia destrueret simul se ipsam. Hinc enim oritur, quod licet Generalibus concessum sit, vt dent professis licentiam ad transeundum ad aliam religionem, tamen Generalis nequit præcipere vt transeat, rursus † ante Bullam Gregorij XI. scholares societatis valide,

etsi non licite poterant contrahere matrimonium, & tamen nemo dicet, quod Generalis subdito suo possit præcipere iustis ex causis in virtute Sanctæ obedientiæ, vt uxorem ducat, & vtriusque eadem ratio, quia ipsamet obedientia, & consensus in transitum ad aliam Religionem, & in matrimonium transfert subditum in alium statum impossibilem cum statu Regulari, vel secundum se, vel in hac religione, & regula: quare † non potest obedientia debita Prælati societatis extendi ad præcipiendum consensum quo subditus redderetur inhabilis vt maneret sub obedientia, & filiatione societatis, quod etiam videtur procedere in acceptatione Episcopatus ex vi cuius contrahitur matrimonium cum Ecclesia, & fit inhabilis subditus ad obediendum Prælati Regulari. Vrgetur quia Episcopus electus, & confirmatus à Papa nondum est re ipsa Episcopus ante acceptationem, qua posita est iam exemptus ab obedientia Prælati Regularis, vnde ante acceptationem, est indifferens vt sit subditus, vel non sit subditus, si acceptat, non est subditus, sed exemptus, atque adeo non est capax præcepti nec obligationis obediendi suo Generali, qui vt eum obliget deberet eum tunc inuenire positue subditum, quod repugnat si in eodem instanti acceptet, & fiat non subditus, operaretur enim ex motiuo obedientiæ erga suum Prælatum, cui tamen in eo instanti quo obedit nullam obedientiam debet, cum iam non sit eius subditus.

Hæc sunt in summa fundamenta, quibus † motus Eminentissimus Cardinalis de Lugo nostrum tuetur assertum, quod vt verum sit non indiget his methaphysicis cõsiderationibus, quæ quidem nihil concludunt, quia nimium probant, vt videbimus, probant enim repugnare subdito vt sic, quod præcipiatur illi à suo Prælati Regulari, imo, & à summo Põtifici quatenus illi promisit obedientiam in professione, quod acceptet Episcopatum, & sic quod non possit institui Religio in qua sit constitutio, quod quis acceptet Episcopatum si à suo superiore Regulari, id sibi præcipiatur, quod quidem absurdissimum est, vt vidimus suppositione prima.

Vnde vt ab hac vltima confirmatione incipiã omnino falsum est, quod † ante acceptationem Episcopus electus, & confirmatus à summo Pontifice est indifferens, vt sit subditus vel non sit, est quidem positue subditus ex vi professionis, à cuius iugo non est exemptus quousq; sit re ipsa Episcopus, non autem est re ipsa Episcopus, nisi acceptet, sicut, vt constat ex *cap. si Religiosus. de electio in 6.* † Religiosus solemniter professus nequit esse Episcopus nisi Prælati Regularis consentiat in sui electionem, vnde ante consensum

sum Prælati, etiam si sit electus à Papa, via ordinaria non est Episcopus, sed est positivè subditus illius Religionis & sub eius iugo, & accedente consensu fit non subditus, & id quod dicimus de consensu & omnes tenentur dicere, dicendum est de præcepto acceptandi, sicut enim consensus respicit positivè subditum, qui posito consensu non est subditus, sed exemptus ab obedientia Prælati, ita præceptum de acceptando respicit positivè subditum, qui post acceptationem subditus non est, quare ante acceptationem est indifferens, ut maneat, vel non maneat subditus, non tamen est indifferens, ut sit, vel non sit subditus, est enim positivè subditus, & sic sicut illi potest Prælatus, ut alia faciat præcipere tanquam positivè subdito, ita ex hoc capite potest præcipere, quod acceptet. Vnde acceptatio esset imperata ab obedientia & dimanaret à subdito, ut ab obediente illi, qui pro tunc est eius positivè Superior.

16 Nec fundamentum prius efficacius est, dum enim † subdito præcipitur à Superiore, quod acceptet Episcopatum, per se non præcipit, ut non sit subditus, nec obedientia per se destruit se ipsam, ita ut per se debitum obedientiæ ipsius obediendiæ debitum everteret, sed solum per se præcipit, ut accipiat Episcopatum, quod autem ex vi Episcopatus sequatur exemptio ab obedientia est nimis per accidens respectu præcepti de acceptando, non enim intenditur à Prælato regulari hæc exemptio. Vnde si Episcopus iste regularis ex licentia Summi Pontificis ad Religionem rediret non erat necessarium iterum profiteri, sed ex vi prioris obedientiæ tenebatur Prælato suo obedire, quia eius obedientia solum erat impedita ex vi Episcopatus, ratione voti, quod facit Episcopus de curandis quibus, cui voto impossibilis est obedientia regularis, rursus Religiosus factus Episcopus non eximitur à voto obedientiæ regularis, quam fecit Pontifici, ut egregiè dixit D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 8.

17 ad 3. Papa (inquit,) † nequit cum Religioso dispensare, ut nulli Prælato teneatur obedire in his, quæ ad perfectionem vite pertinent, non enim potest eum à sua obedientia eximere. Potest tamen eum eximere ab inferioris Prælati subiectione, quod non est in voto obedientiæ dispensare. Vnde manifestum, quod Prælatus dum præcipit subdito, ut acceptet non intendit, quod non sit subditus regularis absolute, imò nec Pontifex potest hoc intendere, sed intendit, quod sibi obediat acceptando Episcopatum, ad quod per accidens sequitur, quod non sit sibi subditus, quod est limitare non esse subditum, quod non opponitur per se voto obedientiæ, sed dum

non fit subditus huic, ex obedientia mere-
tur.

Hanc doctrinam ebibi ex eodem S. Doct. eadem 2. 2. quest. 185. art. ult. ad 3. asserente, quod † hoc est per accidens, quod Episcopi Religiosi, obedire Prælatis suarum Religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse deserunt, sicut & ipsi Prælati Religionum, manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet, quod si eis legitime aliquis proficiatur obedire tenentur in quantum tenentur obedire statutis Regule, per modum prædictum, & suis Superioribus, si quos habent. Hæc S. Doctor modum autem prædictum posuit in corp. art. quare, quod quis eximatur ab obedientia Prælati Regularis est per accidens, quia non congruit dignitati Episcopali, semper tamen subditus Regule substantialis, in quantum hæc non opponitur statui Episcopali, ut egregiè enodat † S. Doctor in corp. art. & nos infra enodabimus ex ipso. Vnde dum Prælatus Regularis præcipit acceptare Episcopatum per se intendit obligare subditum ad statum Magisterij Ecclesiæ perfectiorem secundum se, quod autem eximatur ab obedientia ipsius præipientis si acceptet est per accidens, quia per se solum intendit, quod iste constituatur in altiori statu, & honorem illustriorem Religione, quæ non paruum decorem acquireret ex filiis suis assumptis ad dignitatem Episcopalem, Cardinalitiam, & Summum Pontificatum, sicut dum quis comburit turrim inimicorum in qua sunt multi innocentes qui comburendi sunt & dum quis comburit navim in qua comburi ipse est necessarium, utrumque licite fit, quia per accidens sequitur mors, & præter intentionem per se, quæ solum tendit in bonum commune, & impedire damnum, quod illi obuenire quit, ut est communis & certa sententia.

20 Exempla etiam quæ adducit nullius momenti sunt. Nam primum, quia forsan in casu potest Generalis præcipere, quod quis transeat ad aliam Religionem, quia sic expedire iudicat suæ Religioni & ipsi Religioni iudicat sicut præcipit expulsis, ut obediant sententiæ expulsionis, cui tenentur obedire, etiam si eximantur ab obedientia Prælatorum, & habeantur pro derelicto, potestque Superior habere finem honestum huius præcepti de transitu ad aliam Religionem scilicet auferre inquietum de medio fratrum, hoc etiam supponit Suarez lib. 10. de Relig. cap. 10. n. 5. Deinde est diuersa ratio, quia transitus ad aliam Religionem non est ad statum essentialiter perfectiorem, sicut est transitus ad Episcopatum. Legatur Suarez ubi modo, vers. Respondeo.

21 Secundum etiam nihil concludit: quia

ex vi status matrimonij fit inhabilis ad statum Religiosum, si sit consummatum, siue fit ratum etiam opponitur Religiositati, quam profitentur Scholares, ita vt quandiu manet in illa nequit Generalis etiam ob grauissimas causas dispensare, vt aliquis Scholaris licitè contrahat matrimonium, quia dispensare in voto castitatis etiam simplici soli Summo Pontifici est reseruatum: potest quidem Generalis illum dimittere à Societate, & constituere ex vi dimissionis in sæculo omnino absolutum à voto castitatis: tamen manendo in Societate, nequit illi præcipere, quod contrahat matrimonium, etiam ratum: quia sine dispensatione, id contrahere est intrinsecè malum.

- 21 Quare dicere, quod Prælati Regularis solum potest præcipere, id quod intra Religionem debet exequi si dicatur de eo quod immediatè præcipitur, scilicet acceptationem verum est, quia hoc exequitur à subdito, tamen si dicatur, quod nequit præcipere acceptationem alicuius dignitatis cuius exercitia sunt extra Religionem, est petitio principij cuius quærimus rationem efficacem.

Ratio enim, quæ mihi efficax videtur, & à priori est, quæ desumitur ex Axiomate D. Bernardi, & S. Thom. quod, *supra* adduxi,

- 23 quia (inquit Bernardus) † *lib. de præcepto, & dispensatione; votum meum non adaugeat Prælati sine mea voluntate, nec minuat, sine certa necessitate.* & D. Thom. dicit hoc axioma quasi enucleans, quod *Religiosi per votum obedientia in his quæ pertinet ad religiosam vitam alterius imperio subduntur.* Etenim valdè augetur votum obedientiæ, si ex vi illius Superior præcipiat opus quale est acceptatio Episcopatus, ita excellens, & arduum si prout oportet debet exerceri, vt nihil difficilius, aut maioris excellentiæ fit in hac vita, id quod latè explicant Patres agentes de hac in Ecclesia dignitate, qua quantum ad curam, & obligationem nihil excellentius, & sublimius possit esse. Excellit enim Principum, & Imperatorum dignitatem, ita †
- 24 Chrysof. *hom. 5. in Isaiam*, Ignatius *epist. ad Smirnaens.* Ambros. *lib. de dignit. Sacerd. cap. 3. & 6.* Dionysius *cap. 7. de Ecclesiast. Hierarch.* Nazianz. *orat. 1. de fuga sua*, Gregor. Magn. *lib. 7. epist. 123.* August. *epist. 148. ad Valerium.* vbi dicit cæterum omnes sequens, *Nihil difficilius, laboriosius, & periculosius esse Episcopi officio.* Vnde egregiè Bernardus post multa alicubi dicit: *Neque enim adeo desperatus, & perditus erit animus qui si maiestatem, & amplitudinem earum rerum secum diligentius considerauerit & expenderit, qui non concidat, qui se dare præcipitem velit qui sententiam futuri iudicis quam veluti manu sua subscribit non exhorrescat.* Hæc Bernard.

Videat ergo vnusquisque quantum † in 25 hoc acceptando, onus suscipiat, quantumque votum obedientiæ regularis adaugeat Superior, dum præcipit acceptare. Legendus omnino Bernard. *epist. 24. ad Episcopum Londonens.* & *epist. 8. ad Brunonem.* Est enim officium quod solis gigantibus, qui etiam sub aquis gemunt curarum proprium, quare nihil magis timendum, ne sit sal infatuum, & lucerna sub modio quando tenetur ex voto solemnem, & populos condire, & eos exemplo & doctrina illustrare, & tanquam bonus Pastor ponere in periculis animam suam pro ouibus suis, & ad hæc quis tam idoneus? vt obligari possit ex vi voti regularis obedientiæ, vt acceptet: cum purgatum debeat esse calculo ignito, vt ait Gregorius *in Pastoral.* quia tamen ait D. Thom. *quodlibet. 5. art. 22.* valdè difficilis est purgatum se quemlibet posse agnoscere prælationis officium tutius declinatur. Neque enim Prælati Regulari, nisi id quod intra Religionem opus est providere, quare potest præcipere, vt prælationes intra Religionem, quis accipiat, de his enim quæ foris sunt non est illi cura, aut iurisdictionem habet, vt suo subdito præcipiat immediatè prælaturam extra Religionem accipere, iurisdicchio enim extenditur ad præcipiendum, id quod ad Religiosam vitam attinet immediatè, in ordine ad quam eius imperio subditur.

Existimo secundo, quod † Prælati regularis (quis ille sit consulendæ sunt vnus cuiusque ordinis constitutiones) potest obligare præcepto declaratiuo, quod quis tenetur acceptare Episcopatum ex obligatione charitatis, & sic subditus tenetur obedire illi ex vi voti obedientiæ Regularis. Hoc assertum dubio procul fuit plurium Antiquorum, & expressum à D. Thom. 2. 2. *quæst. 185. art. 2.* in quo duo dicit primùm, quod secundum propriam voluntatem conuenit homini ex dispositione alterius dirigi, vt dictum est, *art. 1. ad 3.* Quare † *ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore, vnde August. lib. 19. de ciuit. cap. 19. dicit, Quod negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Secundo, quia hoc repugnat humilitati per quam aliquis Superiorum mandatis se subiicit.* Vnde Greg. dicit *in Pastor. p. 1. cap. 8.* *Tunc ante Dei oculos vera est humilitas cum ad respuendū hoc quod utiliter subire præcipitur pertinax non est.* Vnde *in solut. ad 3.* † dicit, *Quod accipere Episcopatum non est necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex Superioris præcepto: & subdit; qui autem votum emittit de nouo suscipiendo Episcopatum,*

si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris praelati accipiat illicitè vouet. Si autem intendit ad hoc se obligare, ut quantum est de se Episcopatum non querat, nec suscipiat nisi imminente necessitate licitum est votum se facturum, id quod homo facere debet. hæc D. Thom. quibus doctrinam corporis manifestè enucleat videlicet, quod † Superior cuius imperio subditur quis ex voto obedientiæ potest præcipere accipere Episcopatum quem accipere de se non erat necessarium ad salutem, fit autem necessarium ex Superioris præcepto, atqui hoc præceptum non est inductiuum obligationis ad accipiendum Episcopatum immediatè, ut vidimus asserto primo. Ergo est declaratiuum obligationis, quam aliàs, quis habet ex præcepto charitatis.

Sed respondent Cardinalis de Lugo, vbi supra & alij ex Soto lib. 10. de iustit. quest. 2. art. 2. quod † D. Tho. nomine Superioris & praelati intelligere solum Summum Pontificem, at toto cælo errant, quia S. Doct dicit, quod quis, ut Episcopatum acceptet se mandatis Superiorum subiicit, at si loqueretur de solo Summo Pontificè illum exprimeret, ut exprimit quando de illo solum loquitur. Deinde manifestè hoc præcluditur effugium ex solutio ad 2. eiusdem art. in quo clarè docet, quod Archiepiscopus, potest præcipere, sibi subdito, quod Episcopatum accipiat quis, nisi ligatus impedimento in quo ipse Archiepiscopus non potest dispensare, quia in tali casu cum præcipiat illicitum, non tenetur subditus illi obedire, secus tamen si impedimentum potest auferre, quod si manifestum, auferat, tenetur humiliter obedire, & concludit in hæc verba. Quandoque vero non potest auferri impedimentum, nec per iniungentem, nec per eum cui iniungitur, sicut si Archiepiscopus non possit in irregularitate dispensare, vnde subditus non tenetur ei obedire ad suscipiendum Episcopatum, vel sacros Oraines, si sit irregularis. Hactenus ibi: quare mihi videntur cæcuire in media luce qui dubitant de mente D. Th.

32 Idem sentiunt cæteri Patres qui de hoc assumpto tractarunt August. epist. 81. quem adducit S. Doctor in argumento, sed contra neque otium vestrum (inquit) necessitatis Ecclesiæ præponatis cui parturienti si nulli boni ministrare vellent quomodo nasceremini non enim inueniretis, & lib. 32. contra Faustum cap. 10. dicit, in opprobrium haberi ab Ecclesiâ eum qui electus ab Ecclesiâ ministerium Euangelizandi, (quod folius Episcopi proprium est,) renuit & qui curam lucratorum refugit aliorum, & lib. 19. vbi agens de Episcopo, postquam eius Ethymon induxit, concludit dicens, otium sanctum querit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis,

Tom. II.

quam sarcinam si nullus imponit, percipiendâ atque intuendâ, vacandum est, veritati, si autem imponitur suscipiendâ est propter charitatis necessitatem, sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deferenda est, ne subtrahatur illa suauitas & opprimatur iusta necessitas. Gregorius lib. 6. epist. 5. Cynaco Episcopo relatus, cap. in scripturis 8. qu. 1. si is qui valet omnipotentis Dei, oues, renuit, pascere, ostendit se Pastorem suum minime amare. & Clemens Papa, epist. 1. refert, quod sibi resistenti eligi in Episcopum, dixit † S. Petrus, si periculum peccati timens suscipere refugis Ecclesiæ gubernacula certus esto, quod amplius peccas qui populum Dei veluti in fluctibus positum & periclitando cum inuare possis, subterfugis tui tantummodo habens considerationem, & non quod in communi omnibus expedit providens. Vnde Innocentius III. cap. licet de Regularibus, sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur.

Ex quibus omnibus tale formo, argumentum ex Patrum sententiis † aliquando est obligatio sub mortali accipiendi Episcopatum, id quod ex illis deducunt, Glossa c. in scripturis verb. minime. Syluest. verb. Episcopus, num. 4. q. 3. ibi, est autem mortale hoc recusare cum quis probabiliter credit se idoneum, vel saltem dubitat & ad suscipiendum astringitur præcepto Superioris, quia in dubijs tenetur subditus obedire, & idem videtur si non adstringatur præcepto, sed consilio, & probabiliter credit, quod per alium eque bene prouideri non potest, quia est cõtra fraternam charitatem hoc ibi, quod latius confirmasse dicit in Rosa aurea Domin. 17. post Trinitatem. Vnde Pater Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 10. n. 19. certum est text obligatione charitatis posse aliquem teneri ipso iure diuino ad acceptandum Episcopatum, quia lex charitatis obligat ad procurandum commune bonum, præsertim spirituali prætermisso quocunque priuato commodo illi repugnante, quia iuxta ordinem charitatis publica utilitas priuata præferenda est, ut ad hoc propositum, dixit Innocentius III. cap. licet de Regul. & hoc ad minimum probant, ea quæ ex Patribus diximus. Vnde si Pontifex præcipiat quasi declaratiuo præcepto declarans nimirum esse casum eminentis necessitatis, tunc omnino obligari nisi omnino euidenter constaret non esse veram talem necessitatem & Pontificem ex falsa informatione, vel informatione id facere, quod vix potest in tali materia contingere in omni alio casu etiam dubio standum est iudicio & declaratio Pont. nam hoc ad minimum debitum est ius potestati & authoritati hæc ferè ex Suar.

Ex quibus, † ego desumo ea quæ præsentii instituto deferuiunt, nam omnino falsum puto & moraliter impossibile, quod si Pontifex declarat mihi incumbere ex obligatione charitatis accipere Episcopatum, hæc præsumptio,

sumptio, aut informatio falsa sit, cum id declarat tãquam supremus legislator, cui competit declarare obligationem iuris diuini in qua declaratione iuridica si posset errare multis & grauibus inconuenientibus aperitur ostium, quare nunquam est concedendum, quod possit esse euidencia de contrario ei, cui nititur Pontifex in declaratione iuris diuini in ordine ad bonum commune, & maxime spirituale Ecclesiæ, sed in omni dubio standum est eius declarationi tanquam de cœlo missæ & inspiratæ.

37 Igitur his positis modo sic argumentor, Prælatus Regularis ex vi obedientiæ, quam solemniter subditus vouit, non potest præcipere, vt mortaliter non peccet transgrediendo præcepta iuris diuini, naturalis, & Ecclesiastici, de hoc nullus potest dubitare, quia potest præcipere, vt obseruet Regulam, quam est professus, atqui Regula non solum continet opera supererogationis, sed etiam ex aliis præceptis diuinis & humanis obligatoria, quia vt ait vterque Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 9.* in Regula quacunque approbata à Summo Pontifice, cum sit medium ad consequendam perfectionem continentur omnes actus virtutum, & per consequens omnia præcepta naturalia, & diuina, quæ de illis dantur. Vnde si Prælatus Regularis præcipiat alicui, quod occidat inimicum suum, & peccabit contra legem naturalem de non occidendo, & contra obedientiæ præceptum sibi impositum, ex quo fit, quod si Prælatus Regularis probabiliter iudicet aliquem subditum suum, cui oblati est Episcopatus ligari præcepto charitatis ad illud acceptandum, & illi imponat præceptum declaratiuum talis obligationis, tenetur illi obedire sicut in omnibus aliis præceptis impositis iuxta probabilem opinionem Superioris, cui subditus tenetur sub mortali se conformare, vt est hodie indubitata sententia vt late dixi *tom. 2. Moral. tract. 5.* Etenim præceptum Superioris declarantis subditum esse obligatum sub mortali ad aliquid faciendum, vel omittendum semper est iustum, & illi obtemperandum.

38 In hac doctrina verissima se fundarunt duo illi doctissimi, & Sanctissimi viri Frater Bartholomæus *de Martyribus*, vt acceptaret Episcopatum Bracarensem, & S. Thom. de Villanueva Archiepiscopatum Valentinum nolentes has prælationes, & dignitates acceptare nisi sub formali præcepto illis acceptatio iniungeretur à suis Prouincialibus, præcepto inquam declaratiuo, quod erant ex præcepto charitatis & propter bonum spirituale ouium illarum Diœcesum obligati, illisque imponebatur noua obligatio obedientiæ, ad exequendum charitatis

præceptum, quod si non exequerentur duplici peccato inficiebantur, & contra charitatem, cuius præcepto obligari declarabant, & quod præcepto obedientiæ declaratorio non obtēperabant, quod multi sancti viri, vt ex historiis constat expectarunt, quod securi & excluso dubio de sua idoneitate acceptarunt imperati, vt acceptarent, & præceptum non quidem Summi Pontificis, sed sui Prouincialis, aut Generalis, aut Abbatis sui, iuxta vniuscuiusque Religionis dispositionem. Vnde † August. *epist. 104. ad Donatum.* vt ostendat rectè hominem cogi, ad id quo necessarium est ad salutem, adducit exemplum. *Sicut multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, ac tanta patiuntur, qua nolunt donec adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Vnde *epist. 148. ad Valerianum.* dicit, *sic fuisse vim illatam ad accipiendum Episcopatum,* quod ego melius intelligo de vi præcepti sibi impositi à suo Superiore, quia si fuit moralis dumtaxat coactio inducebat obligationem charitatis, & sic, vt ille satisfacere potuit obligari ex præcepto Superioris.

Cæterum † aduertendum est discrimen, quod benè vidit Suarez *vbi supra cap. 10. cit. num. 20.* quod etiam extra casum prædictæ necessitatis & obligationis ex charitate potest Pontifex præceptum imponere, quod Religiosus acceptet Episcopatum. Ratio est, quia Pontifex habet supremam potestatem ligandi, & secundum eam habet omnem potestatem conuenientem ad regendam Ecclesiam, vt enim ait D. Thom. *in 4. dist. 29. part. 1. art. 4. ad 4.* aliàs periret Ecclesiasticus ordo, nisi enim aliquis possit cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conseruari non posset, cum quandoque illi, qui sunt idonei hoc nolint suscipere nisi coacti. Vnde Pontifex potestatem coactiuam ad prouidendum Ecclesiæ de pastoribus necessariis, & sic potest obligare vnumquemque tam Religiosum, quã sæcularem, vt acceptet munus Episcopi, quoties iudicauerint ad commune Ecclesiæ bonum, etiam si non vrgeat grauissima necessitas, sed possit resultare magna utilitas, siue in temporalibus, siue spiritualibus. Vnde † Gregorius *lib. 1. Pastoral. cap. 6.* de hoc ipso tractans, dicit. *Tunc humilitas ante Dei oculos vera est quam ad respiciendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est.* Ast Regularis Prælatus cum solum potest præcipere præcepto declaratorio de obligatione charitatis, si ista obligatio non subsistit in subdito nequit declaratoriè præcipere prælati, quod accipiat Episcopatum, at si subditus est dubius si accedat Superioris præceptum ex probabili iudicio ortum, tenetur subditus obedire præcepto huic declaratorio,

claratorio, & iudicare sibi inesse obligationem ex charitate acceptandi Episcopatum.

42 Vnde hoc secundum assertum verum tenet etiam si quis in professione voto solemniori, aut simplici voueat non acceptaturus extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem nisi coactus præcepto eius qui ipsi sub mortali præcipere potest, quia votum hoc, ut asserbat D. Th. art. illo 2. ad 3. licitum est ex conditione imbibita nisi imminente necessitate, atqui Superior Regularis iure communi potest declarare subdito, quod in hac Diœcesi in speciali, est imminens necessitas suæ personæ, quam probabilitatem concipit ex urgentibus motiuis. Ergo tunc cum non obliget votum tenebitur iste subditus obedire suo Superiori præcipienti, ut acceptet, hoc est contra Card. de Lug. in dubio illo 4. cit.

43 Existimo tertium † Religiosus præfatus voto adstrictus, etiam si transeat ad aliam Religionem in qua tale votum non emittitur adstringitur illo, & præceptum huius Religionis impositum etiam à Generali, ut acceptet Episcopatum illi non obligat, etiam si sit declaratorium obligationis ex præcepto charitatis. Hoc tertium assertum est indubitatum propter specialem Bullam,

44 quam † circa hoc punctum edidit Urbanus VIII. ann. 1643. die 20. Februar. Pontificatus sui an. 20. in quo duo determinat. Primum quod qui in sua prima Religione votum edidit non acceptandi extra Religionem prælationem aliquam nisi coactus præcepto eius qui potest præcipere, si etiam de legitima licentia transferat ad aliam Religionem in qua tale votum, siue solemne, siue simplex non emittatur, manet obligatus præfato voto

45 emisso in priori. Secundum, quod † præceptum istud, ut quis possit obligari ad acceptandum Episcopatum nullus alius superior potest imponere, nisi solus ipse Pontifex privatiuè ad omnes alios etiam legatum à latere, capitulum generale. Vnde hoc præceptum imponere sibi & successoribus eius reseruauit, prout latè videbit quisque in Bulla quam ad finem huius tomi integram dabo. Vnde nos clerici minores, quoad secundum non ligamur, quia in voto solemniori de non acceptando extra Religionem explicamus, quod nisi coacti obedientia Summi Pontificis non acceptabimus, quare comprehendimur, quoad primum, si quidem etiam translati ad aliam Religionem sumus obligati præfato voto, etiam si non solemne, sed simplex esset, si tamen aliqua Religio votum faciant eius alumni, aut iuramentum de non ambiendo dignitatem aliquam intra Religionem, de hoc nihil dicit Summus Pontifex & videtur votum, aut iuramentum præfatum solum ligare in præfata

Religione non verò in alia, ad quam de legitima licentia talis Religiosus transfertur, sed in hoc me submitto Ecclesiæ iudicio. Nam ratio Pontificia etiam hoc votum videtur comprehendere, nam isti retro aspiciunt, & immemores sunt voti à se emissi, si quidem in alia Religione translati & constituti intra illam procurant dignitates & officia regularia, quæ ut non procurarunt voto se ligarunt. Nisi dicamus, quod huiusmodi materia est solum prælatura intra hanc regionem in qua quis emisit votum, quare ablata materia cessat votum, quod reuiuisceret si ad eam Religionem rediret, at materia voti non ambiendi extra Religionem, prælationes semper manet quocumque se transferat Religiosus, & sic semper manet obligatus voto.

DIFFICULT. IV.

Vtrum Episcopus Regularis exsilietur à Religione sua?

S V M M A R I V M.

1. An Religiosus factus Episcopus, siue voluntarie, siue coactus, non amittat filiationem substantialem, quam acquisiuit ex vi professionis.
2. S. Thoma mens propalatur, necnon D. Caietani, & n. 3.
4. Professus Societatis factus Episcopus tenetur voto solemniori obediendi Pontifici, ex Suarez.
5. Nemo potest Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monachica regula ordinatè persistere, ex S. Greg.
6. Religiosus factus Episcopus tenetur ex speciali vinculo Religionis obedire Summo Pontifici, ex Suarez, & n. 7.
8. An Episcopus Regularis non indigeat dispensatione ad comedendas carnes prohibitas per præceptum Regule.
9. An Episcopus Regularem Canonica electio à iugo Regule monastica professionis absoluat.
10. Iugum monastica Regule & iugum Ecclesiastica dignitatis, an sint opposita.
11. An status Religionis comparctur ad statum Episcopalem.
12. Leges & constitutiones Regulares duobus modis sunt consideranda, & n. 13.
14. An non constitutiones Regulares quæ incompatibiles non sunt cum statu Episcopali, rationem legis & vim obligatoriam amittant.
15. D. Caietani iudicium adducitur, & n. 16. & 21.
17. Episcopus factus & assumptus ex Religiosa communitate tenetur debito morali non legali,

legali, ad observantiam Regulae, secundum ea quae non opponuntur statui Episcopali, ex ipso Caiet. & n. 18.

19. An si quis Cardinalis Regularis fiat Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum duntaxat morali teneatur ad Regularem observantiam.
20. An Religiosus factus Episcopus teneatur sub mortali non ad concedendum carnes feria 6. Natalis Domini.
22. Undenam constet Episcopum Regularem vere & proprie & formaliter manere filium Religionis.
23. Sixti IV. mens adducitur. & n. 24.
25. Quid de Episcopis titularibus veniat dicendum.
26. Religiosus factus Episcopus, siue Cardinales, siue Abbas extra Religionem, et si maneat illius verus & formalis filius, an ex vi dignitatis liberetur à patria potestate.

EX dictis infertur, quod † Religiosus factus Episcopus siue volūtariè acceptet, siue coactus præcepto non amittit filiationem substantialem, quam acquisiuit ex vi professionis cum maneat triplici voto solemni ligatus, & quoad omne statutum regulæ, quod impossibile est cum dignitate Episcopali. Audiatur D. Caiet. cuius auctoritas mihi sufficit satis conformis D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 8. ubi asserit S. Doctor † Si quæ sunt in Regularibus observantia, quæ non impediunt Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi ad hæc remanet religiosus factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, quod est obligationis signum: in quæ verba sic Eminentiss. Caietan. ibi, §. ad evidentiam, sicut ergo Religiosus factus Episcopus reuiviscit, quodam modo ad vitam civilem, dum iugo Monastica Regula absolutus adire potest hereditatem, ut patet 18. quæst. 1. cap. statutum, ita de professione actuum spectantium ad priorem statum absolutus videtur, ut absolutio à iugo monasticæ regulæ dicta in Canone non sit quasi frustra dicta, sed aliquid speretur ultra exemptionem ab impossibilibus ad quæ omnino constabat, utpote impossibilia Episcopum non teneri. Ab impediens vero in casu non absolui videtur Episcopus ipso iure, sed in casu tamen si quæ sunt talia. Videntur tamen hæc esse illa de quibus in littera dicitur, quod possunt Episcopi secum dispensare, sicut Prælati Religionum, & hæc sunt abstinentia à carnibus, & ieiunia, & huiusmodi ad quæ constat Episcopum manere obligatum, utpote fœventia perfectionem vitæ: & ideo Religiosus, cui secundum regularia instituta inhietur esus carniū factus non potest feria 6. in die Natalis Domini vesti carnibus, sed peccat moraliter hoc faciendo:

beneficium Canonis concedentis esum carniū in Natali Domini non comprehendit ipsum, quia excipit eos qui regulari observantia, non sunt adstricti ad abstinentiam à carnibus.

Ex quibus liquet, quam bene Summi Pontifices Paulus V. Gregor. XV. & Urbanus VIII. ut refert Peyrinis tom. 3. privileg. c. 10. noluerunt etiam ad petitionem Principum, cum aliquibus Religiosis ex ordine Minimorum ad Episcopatum adsumptis in quarto voto vitæ quadragesimalis dispensare, quo adstringi huiusmodi Episcopos mihi indubium est, iuxta principia Divus Thom. & Eminentissimi Caietani cum votum hoc valde cōducatur ad perfectionis custodiam, quod etiam sequitur Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 17. num. 8. qui addit, quod † Professus Societatis factus Episcopus tenetur voto solemni obediendi Pontifici circa missiones ad quascumque remotissimas nationes, & barbaras gentes, qui si solum sit Episcopus titularis tenetur obedire, quia nullum habet impedimentum iuris divini. Si tamen habeat Dioecesim & oves circa quarum originem tenetur iure divino residere, non est ita clarum quod dicit, teneri, huiusmodi voto cuius materia scilicet adeundi in Barbaras gentes est impossibilis, cum iure divino de residentia personalis Episcoporum: in qua nec Summus Pontifex potest dispensare, nisi ex gravissima causa, quæ non videtur, ita clarè constare, in hoc quod aliquis Episcopus vadat in terram longinquam, dimissis quibus propriis: præterquam quod materia, quæ ut sit honesta requirit dispensationem non videtur materia voti, cum autem, ut iste professus Societatis obediat Pontifici mandanti ire ad missiones inter Barbaros, non possit obedire impeditus iure divino de residentia personalis non videtur quod materia voti præfati subsistat, nisi Pontifex absolutè dispense in præfato iure divino, quod quidem mihi valde difficile videtur, vel nisi ipsum transferat ad Episcopatum illarum Prouinciæ in quibus contigit non esse aliquem Episcopatum nisi de nouo exigatur. Quare in huiusmodi præcepto imponendo magna opus est consultatione & prudentia.

Rursus quamuis Religiosus solemniter professus eximatur, & absoluat à iugo regulæ Monasticæ professionis, cap. statutum citat. & D. Gregor. citatus, cap. 2. 16. quæst. 1. dicens. † Nemo potest Ecclesiasticus obsequiis deseruire, & in Monastica regula ordinatè persistere, ut ipse Monasterium districtiorem teneat qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Ex quibus constat quod religiosus factus Episcopus est omnino exemptus ab obedientia, cuiuscunque Prælati Regularis intra Religionem, non tamen est exemptus,

exemptus, & absolutus ab obedientia Summi Pontificis cui obedientiam promisit in professione solemnī, vnde ex vi voti solemnī obedientiæ solemnī semper tenetur illi obedire, vt Superiori Regulari extra Religionem existenti, & non solum quatenus est ouis Christi cuius ouilis Summus Pontifex est Pastor, & Rector, cum enim in comuni, & indubitata sententia Regularis solemniter professus factus Episcopus manet sicut essentialiter professus ita essentialiter Religiosus à quo nec ipse Summus Pontifex potest absoluerē, quare nec ab obedientia regulari debita ipsi Summo Pontifici.

Ex quo colligit, & bene Pater Suarez
6 num. 4. Quod † Religiosus factus Episcopus tenetur ex speciali vinculo Religionis obedire Summo Pontifici, quia Pontifex est vere Prælatuſ religionis, & semper manet illi Superior, & obedientia ad illum non repugnat, imo maxime congruit cū statu Episcopali. Aduertere tamen oportet, quod sicut votum obedientiæ religiosa non est illimitatum, sed secundum regulam, ita Episcopus regularis non tenetur ex vi sui voti obedire in omnibus Summo Pontifici, sed in his tantum, quæ directe vel indirecte ad suam regulam pertinent, quia votum obedientiæ mutatum non est in se, sed tantum vsus eius, quoad respectum ad hunc vel illum prælatum. Fieri tamen potest vt supposito statu Episcopali aliquid indirecte pertineat ad obseruantiam regulæ in tali persona, quoad in aliis, non pertinet sicut intra eandem Religionem in eo, qui habet munus Prælati, Procuratoru vel aliud simile, aliquid pertinere potest ad obseruantiam regulæ, quod in aliis non habentibus tale munus non
7 pertinet, & hac ratione existimo quidquid in tali persona potest esse moraliter necessarium supposito tali statu ad spiritualem animæ salutem vel ad perfectionem secundum regulam esse materiam huius obligationis, si ex vi illius voti præcipiatur, quia indirecte, & reductiue sub illo continetur. Hactenus vir Prudentissimus.

Ex qua doctrina quæ mihi certa est, & verbis Suarez induxi non video quam conuenienter eodem cap. 17 num. 15. dixerit, quod Religiosus factus Episcopus non tenetur sub aliqua culpa veniali aut mortali ad aliquam obseruantiam aliquarū legum, & suarum constitutionum obligantium ad culpam, sed omnino manere liberum ab omnibus legibus etiam obligantibus ad culpam suæ Religionis, cuius obseruantiam professus est in solemnī professione, vnde
8 ait num. 18. Quod † Episcopus Regularis non indiget dispensatione ad comedendas carnes prohibitas per præceptum regulæ, quum autem D. Thom. dicit, Pesse secum dispensare ex causa, sicut Prælatuſ regularis cum se ipso loquitur de dispensatione in lato significato, vel secutus est oppositam opinionem quæ probabilis est, licet ea

quam ipse sequitur in rigore iuris vera sit.

Verum enim vero hæc sententia Suarez omnino est falsa, quam ipse solus est meditatatus contra omnem antiquitatem, & iura canonica, quæ solum dicunt, quod † Episcopum Regularem canonica electio à iugo Regulæ monasticæ professionis absoluit. Iugum hoc expressit Gregorius Magnus supra citatus, per distinctionem Monasterij, hoc est obseruantiam Regulæ iuxta distinctionem, & dispositionem Prælati Regularis, cuius dat rationem, quia nemo potest, & Ecclesiasticis præceptis deseruire, & in Monachica regula ordinate persistere, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Vnde † iugum monasticæ Regulæ, & iugum Ecclesiasticæ dignitatis sunt opposita, & vnum ex natura rei excludit aliud, attamen regula Monastica, & exercitia Episcopalia non sunt incompossibilia, sed compati recte possunt, vnde votum quod quis iuxta regulam viuendi, & obediendi, solum deficit in illis, quæ incompossibilia sunt cum statu, & exercitio Episcopali, ea autem quæ compossibilia sunt eodem modo permanent sub obligatione voti in statu Episcopali, ac in statu religioso, vnde status religiosus, & status Episcopalis non sunt omnino oppositi. Sed † status
11 Religionis (ait D. Thom. art. 8. cit.) comparatur ad statum Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem, dispositio autem non tollitur perfectione adueniente nisi forte quantum ad id in quo perfectioni repugnat, quantum autem ad id in quo perfectioni congruit magis confirmatur, sicut discipulo cum ad magisterium peruenit non congruit, quod sit auditor, congruit tamen quod legat, & medietur magis quam antea. Ergo leges quæ in statu religioso obligabant, obligant etiam in statu Episcopali, quis enim dicet quod leges quæ communes sunt statui discipuli, & statui Magistri, quod desinant esse leges, & amittant obligationem suam, quum quis de discipulo factus est Magister, sicut qui factus est Episcopus nō amittit obligationem obediendi Regi, quam habebat ante statum Episcopalem in his quæ non opponuntur libertati, & immunitati Ecclesiasticæ, quam tenetur Episcopus defendere etiam contra Imperialem dignitatem.

Vnde † leges & constitutiones regulares
12 duobus modis considerandæ sunt: Primò, quatenus sunt media ad acquirendam perfectionem, quam acquirere intendit, quis dum tria vota solemnīa in professione emittit, & sic leges, & constitutiones regulares ligant quemcunque, qui manet ligatus tribus votis præfatis, quibus constituitur essentialiter, & substantialiter Religiosus, & huius Religionis filius, quia perfectionem acquirere curat per hæc media sibi à regula consti-

- tuta alias non maneret huius Religionis v. g. S. Francisci, aut S. Dominici formaliter Religiosus, secundo possunt considerari
- 13 quatenus hæc constitutiones vitam monasticam, & regularem ordinate intra Monasterij districtiōnem, & ad executionem mādantur mediis Prælati Regularibus, & sub isto respectu non manent leges, nec vim obligatoriam habent respectu Episcopi Regularis, qui canonica electione à iugo monasticæ professionis absolvitur, & districtiōne monasterij eximitur, non enim potest ordinate monasticam vitam opere complere occupatus in negotiis Ecclesiæ suæ, & ouium suarum instructione.
- 14 Non tamen † ex hoc constitutiones regulares quæ impossibiles non sunt cum statu Episcopali rationem legis, & vim obligatoriam amittunt, sed vere obligant Episcopum in conscientia sicut antea, non quatenus habent vim à Religione ipsa à qua formaliter eximitur quatenus est communitas sub prælato regulari, sed quatenus confirmantur à Pontifice, qui est Summus Superior, & legislator regularis, in cuius virtute capitula regularia possunt leges condere, pro communitate, quæ alio modo consideratur respectu Prælati Regularis intra Religionem hic enim solum respicit subditos intra districtiōnem monasterij contentos, alio modo respectu Summi Pontificis, qui respicit omnes illos, qui tribus votis solemnibus obligati sunt, in hac religione, cuius constitutiones obligant, & sunt proprie leges, quia latæ pro communitate prout respicitur à supremo legislatore, à cuius obedientia regulari non absolvitur Episcopus Regularis, vt videbamus ex ipso Suarez, sicut si Pontifex absolueret aliquem Religiosum ab obediendo alicui Prælato suæ Religionis etiam Generali, & sibi immediate subiiceret gubernandum, quis dicet, quod tunc leges, & constitutiones obligantes sub culpa mortali talem Religiosum immediate subditum soli Pontifici, priuatiue quoad omnes alios, non haberent vim legis obligantis, quod autem hic facit exemptio Pontificia, facit in Episcopo Regulari, electio canonica, quibus bene consideratis euanescent omnia quæ in contrarium adducit Suarez.
- 15 Hæc est ipsissima mens † D. Caiet. & aliorum Thomistarum, qui in re tam graui nullatenus discedunt à manifesta sententia S. D. solum enim dicunt, quod constitutiones Regulares quatenus respiciunt communitatem regularem, cuius caput est Superior regularis intra Religionem, qui districte, & ordinate iuxta ordinis exigentiam potest præcipere vt obseruentur, non obligant Episcopum Regularem, nec vt sic sunt proprie leges habentes vim coactiuam respectu il-

lius, bene tamen quatenus respiciunt Summum Pastorem Regularem, qui iuxta illas potest præcipere Episcopo Regulari si non opponantur, & sint impossibiles dignitati Episcopali, quare si alias obligant sub mortali, ex vi regulæ confirmatæ à Papa, si Episcopus ipse secum non dispenset sicut potest secum etiam ex causa dispensare prælatus Regularis dubio procul peccabit non obseruando talem legem, non tamen incurret aliquam censuram, quia vt ista incurrat ab Episcopo, sicut, & suspensio debet fieri de Episcopi mandato, præterquam, quod istæ sunt pœnæ latæ contra Religiosos manentes sub iugo monasticæ, & Religiosæ Regulæ, in districto monasterij, sub quo, vt vidimus, nõ manet Episcopus Regularis.

Hinc patet, quam profundè loquatur D. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 25. quest. 2. vbi explicat, id quod dixerat 2. 2. qu. 185. art. 8. cit. 17 dicit enim, quod Episcopus factus & assumptus ex Religiosa communitate tenetur debito morali non legali ad obseruantiam regulæ, secundum ea quæ opponuntur statui Episcopali. Loquitur enim de debito legali, quatenus leges & constitutiones respiciunt communitatem sub vno prælato intra Religionem constituto, iste enim nequit sub pœnis cogere hunc factum Episcopum respectu cuius non manent leges habentes vim coactiuam, quam solum exercent respectu illorum qui sunt sub iugo religiosæ regulæ, quatenus dirigitur & gubernatur à Prælato regulari, manent tamen absolutæ leges, quarum vim directiuam conseruant respectu Episcopi regularis, & cum sint confirmatæ à Papa cui tanquam alicui Superiori Regulari tenetur ex vi voti Regularis obedientiæ obedire respectu Pontificis retinent vim coactiuam: quia potest cogere Pontifex sub pœnis à se impositis, vt illas obseruent, quare Episcopus iste, & tenetur debito morali eas obseruare comparando eas ad Religiosam communitatem, cui tenetur se conformare, tanquam filius illius, & alumnus, cuius regulam solemniter est professus, non fecus ac Princeps patitur legem quam tulit, & debito morali tenetur eam obseruare; quia tenetur se conformare corpori ligato legibus, attamen comparando eas ad eandem communitatem, quatenus eius Rector & Superior altissimus est Summus Pontifex habent vim coactiuam, & illas obseruare tenetur ex debito legali, quod imbibit vim coactiuam respectu Summi Pontificis à cuius obedientia Regulari non est absolutus.

Vnde † si quis Cardinalis Regulari fiat Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum dumtaxat morali, tenetur ad regulares obseruantias, & constitutiones decentes ipsum, quia cum non agnoscat Superiorem legislatorem

legislatorem in terris non est, qui ipsum possit cogere ad illarum obseruantiam, quare solum tenetur debito morali, non legali, & quidem in omnibus aliis inferioribus Episcopis Summo Pontifici dicit D. Caiet. (Quem Schola Thomistica sequitur) quod tenentur debito morali ad obseruantiam constitutionū sibi decentiū, non legali; quia ex vi exemptionis à iugo Monasticæ Regulæ non exigitur maius debitum, Episcopus enim Romanus eximitur à iugo Regulæ, & ad illam non obligatur debito legali, sed morali, quare sermo eius, & D. Thom. formalissimus est, quamuis alij Episcopi inferiores Regulares, qui tenentur obedire, Summo Pontifici ex vi voti obedientiæ emissi in Religione teneantur ad constitutiones Regulares sibi decentes, debito legali, vt explicatum est.

- 20 Quare explicat D. Caietan. seipsum, qui dixit *art. 8. cit.* quod † Religiosus factus Episcopus tenetur sub mortali ad non comedendum carnes in feria 6. Natalis Domini, quia Honorius III. *cap. explicati. extra de obseruat. ieiunor.* excipit ab illo priuilegio eos, qui sub voto aut regulari obseruantia non tenentur, abstinendū à carnibus ad intelligitur enim de iis qui tenentur debito legali, non tamen de iis qui tenentur solum debito morali per se, vt sunt Episcopi sicut explicuimus, quare abstinere à carnibus feria 6. etiam si sit præceptum in Regula, & regularis constitutio non est decens status Episcoporum: cuius rationem satis pulchram dat, *in fine corporis, huius quæst. Quia conuenientissimum est, inquit D. Thom.* (verba sunt Card.) *3. p. quæst. 40. art. 3. Vt qui cum aliquibus conuersatur se eis in conuersatione conformet ita, quod in cibo, & potu conformiter se, sicut habeat. Constat enim Monachum Episcopum ad conuersandum cum Ecclesia sua, & specialiter clericis translatum, & hoc præcipue locum habet in tanta solemnitate, in qua & sancti viri abstinentia detrahunt, decet enim tantam latitiam causam foris erumpere ad lætas mensas.* Vnde
- 21 de Caiet. † in exemplo mutauit sententiam non tamen in doctrina, sensit enim quod abstinentia à carnibus feria sexta natalis Domini non obligat Episcopum Regularē, qui non tenetur ad illam, nec debito morali, vt pote non decens Episcopo, obligationem datam, quæ ratio ita moraliter est efficax vt si frater Minimus transferat se legitime ad Carthusiam, aut aliam Religionem in qua non est votum de vita quadragesimali votum cessat, ex defectu materiæ, quia conuenientissimum est vt cibo, & potu se conformet iis, cum quibus ratione professionis solemniter tenetur conuersari, vt alibi à me explicatum est, & forsitan si iste fiat Episcopus in die Natalis Domini conuiuio solenni

mensa eximitur ab obligatione voti de vita quadragesimali, quamuis dum priuatiue comedit, debeat illam obseruare, quod idem sentio de Monacho Carthusiano si Episcopus fiat, quidquid dicat Suarez *cap. 17. n. 19. in fine.* Constitutio enim Carthusiana à summo Pontifice confirmata semper manet in sua vi quatenus non est indecens dignitati Episcopali, quamuis extensiuè non ita rigoroſe ipsum obliget, ac dum est intra distributionem Monasterij.

Constat ergo ex hoc capite † Episcopum Regularem vere, & proprie, & formaliter manere filium Religionis, quod etiam constat, quia gaudet priuilegiis suæ Religionis ratione status religiosi, ex quorum vſu nullum grauamen sequitur corpori religionis gubernato ordinate à Prælato regulari, vt est communis certaque sententia, cum enim status religiosus formaliter maneat in Episcopo assumpto ab ordine, manent etiam respectu illius priuilegia, quia subsistente causa subsistit effectus, sicut ablata causa auferatur effectus, & cessante causa cessat effectus. Tiraquell. *tract. quod cessante causa.* Decius *cap. cum accessissent de constit. num. 15.* Bernard. *cap. cessante de Appellat Syluester verb. priuileg. num. 10. quæst. 10. versic. quarto cessante,* causa autem finalis, & impulsua plurium priuilegiorum quæ Regularibus Summi Pontifices concessere circa absolutionem à reseruatis commutationem votorum, & similia & indulgentiarum pro animæ propriæ salute, est ipse status Regularis, secundum, quod à sæculari distinguitur, prout Pontifex vult honorare Religionem propter seruitia exhibita Ecclesiæ propter specialem doctrinam, & sanctitatem quibus fulgent Regulares viri, vt in prohemio multorum priuilegiorum constat, hæc autem causa non cessat, etiam si Religiosus fiat Episcopus, quare non cessat respectu illius indulgentia, & priuilegium. Quare † Sixtus IV. *concessio 365. inter monumenta ordinis Minorum,* dum requirit consensum ordinis Minorum, & Prædicatorum vt indulta concessa à S. Apostolica Beneficiariis Regularibus, vt habere vocem actiuam, & passiuam in Capitulis, Cameras habere in Monasteriis, & vt possint gaudere, vti, & frui priuilegiis, fauoribus, gratiis, & indultis præfatis ordinibus, & eorum professoribus concessis, duo requirit vt notat Suarez *cap. 18. lib. 3. cit. tom. 4. de Relig. Primum,* quod hoc non sit damnosum ipsi Religioni. Secundum, quod non sit sine consensu religionis, quæ duo requiruntur in illis, quæ ibi Pontifex exprimit scilicet habere vocem passiuam, & actiuam in Capitulis. Secundum in iis quæ ordinum dictorum sunt concernentia, id est ea quæ concernunt iugum, & distinctionem Religiosæ Regulæ,

& communitatem sub Pastore Regulari; quæ extendit ad Episcopos tam Diocesim habentes, quam ad Titulares, non tamen de aliis priuilegiis quæ ipsum statum Regularem secundum se recipiunt, vnde existi-

25 mo quod † Episcopi Titulares etiam si de facto non fungantur functionibus Episcopali- bus semel approbati possunt in virtute priuilegiorum sui ordinis absoluerè à reseruat- is, commutare vota, dispensare in impedi- mento petendi debitum, & alia quæ pos- sunt Religiosi sui ordinis virtute suorum priuilegiorum sibi primo concessorum, vel per viam communicationis, dubitari ergo non debet quod Episcopus maneat formaliter suæ Religionis filius.

26 Verum est quod † Religiosus factus Epif- copus, siue factus Cardinalis siue Abbas ex- tra Religionem, etsi vt dixi maneat illius verus, & formalis filius tamen ex vi præfa- tæ dignitatis emancipatur, & liberatur à pa- tria potestate, quam Superior Regularis exercebat, quæ emancipatio plenissimum robur administrandi bona Ecclesiæ, & de aliena potestate quasi à parentibus ex eman- cipatione liberatur, *leg. iubemus 5. C. de eman- cipat. liberorum*, vnde non Religionis, cuius est filius, sed Ecclesiæ cuius est sponsus, ac- quirat, & adit hæreditatem, vt latius alibi dixi, nec enim repetenda, quæ semel edo- cui.

Pium Monitorium ad Dominos Episcopos Regulares.

Ex quibus licet inferre quanta reueren- tia, quanto amore Religiosus assumptus ex aliquo ordine debet ipsum amare, & vere- ri tanquam filius parentem suum à quo ha- buit spirituale esse virtutis, & doctrinæ quod magis attenditur vt fiat Episcopus quam no- bilitas sanguinis, multi enim de plebe secun- dum carnem propter nobilitatem ex scien- tia, & virtute quã in ordine acquisiuit eue- ctus est ad dignitatem Episcopalem, si à Re- ligione habeat Episcopus Regularis motiua & causas vt dignitatem acquirat, quid re- cusat illi succurrere? cum Religionis debeat esse præcipuum quod habet, cur non mag- nificus in munificam matrem in cuius sinu fatus, cuius lacte pastus, cuius spiritu nu- tritus viuit? cur dignitate immemor efficitur tot beneficiorum? cur toruo aspicit su- percilio eam, quæ tanto affectu ipsum aluit ab incunabilis.

— *Quid est magis pium.*

Quam primum honorem, post Deum satori- bus

Præbere, per quos nos quoque Deum cognosci- mus?

ait Nazianzenus in *serm. de vita sua*, & qui-

dem Religio altius semen seminavit virtu- tis, cuius fructus est vita æterna, quam pa- rentes naturales qui semen plenum tribulis, & spinis ad mortem æternam destinans se- minarunt.

Audi Illustrissime Episcope religiose, qui multo altiori debito es adstrictus religioni tuæ, quam filius patri suo naturali, huius ob- ligationem ne refugas, illi rependere, quod teneris illi dare, & titulo filiationis, & so- cietatis inita, cum fratribus tuis quos ve- luti *deus* habes, etenim amor, & affectus, & beneficentia erga religionem matrem, in cuius vtero est quis gestatus non per nouem dumtaxat menses, sed per plura annorum lustra, voluntaria non est, non libertatis, sed necessitatis officium, non est libera affectio, sed naturalis, & quantumcunque crescat sè- per minor est, quam debetur, & crimen vi- detur incurrere parricidij qui cum religio- nem suam in dignitate positus toruo conspi- cit aspectu, & cum possit sine aliorum pau- perum iniuria non præbet alimenta, & sub- ministrat necessaria. *Aquilas enim fetuum ministerium pascit, & beneficium parentum. quod implumis nati, quum ouorum tunicis exu- untur adepti sunt quadam districti æquitate resti- tuunt, non putant volucres esse liberum accepta denegare, quale est ingenium, quod circa dili- gentiam suorum alites nescit imitari*, ait En- nodius *dictio. 17.* Hoc enim honestum pium- que filio est parentum, & tam bene merito- rium beneficia semper in recenti memoria habere.

Neque enim pauperum aliorum prætex- tu, quibus ex charitatis obligatione teneris succurrere, debitum aliud parentum extin- guendum est, vtrumque enim præstari po- test, seruare nimirum charitatis diuinum præceptum, & humanam beneficentiam in Religionem, neque enim virtutis opi- nione, & fucato zelo parentis cultus, & suc- cursus negligendus est, neque etiam stulto obsequio amplectenda est impietas. Vt enim bene Nazianzenus *orat. 3. quest. 1. contra Iu- lian. Honor. & reuerentia erga Parentes Ethni- cis ipsis præponitur*, hoc enim & ratio docet, & Theologia persuadet. Parentibus enim liberi non præstant alimenta, sed reddunt pro tot sumpibus, & alimentis acceptis, vnde illis tantum debetur affectus tâta ve- neratio, quod id quod impendent filij non est beneficium, sed debitum, & est crudele facinus si negetur à filiis, perduntque pul- chritudinem, & sanctitatem iure naturæ pa- rentibus exhibendam, hæc quidem obliga- tio adeo insita est naturæ humanæ antido- rali exhibitione vt pietate careat, qui caret affectu in Religionem, vt illi succurrat in necessariis, ipsam honoret obsequiis, & om- nibus aliis præferat, quod in æqualibus ne- cessitatibus

necessitatibus plus teneatur fauere, & fouere suæ Religioni quam aliis ex mendicantibus pauperibus, fratres enim sui, & pauperes sunt de solemnitate, & amplius sunt in Ecclesia operarij, & Episcopi coadiutores, & sic dignissimi mercede, & cibo suo, cur ergo non amandi? cur non colendi? cur non alendi? in altiori gradu, quam alij quantum substantia, & ingressus temporalis dignitatis sustinent, iuxta quos magna impenderunt beneficia suis ordinibus, à quibus assumpti fuere Summi Pontifices Eminentissimi Cardinales, Illustrissimi Episcopi, & Prælati, vt annales Regularium tam Monachalium, quam Mendicantium, & historiarum Ecclesiasticarum referunt, honorarunt enim, & illustrarunt temporalibus matrem quæ lacte suo spiritali alimentum præbuit, & temporali cibo vsque ad esse perfectum enutriuit, nec in hoc à sanctitate, bona opinione aut pauperum succursu defecere, hæc ex occasione dicta, plura dicenda alibi ex proposito contra ingratos.

in reformatione ordinis Præmonstratensis, & n. 17. 18.

Filiationis Religiosæ iura † cum vt sæpe dixi in professione, & Religiositate approbata à Sede Apostolica fundentur, & ratione huius Religio altum dominium, & patriam acquirat potestatem à qua religiosus professus nequit emancipari nisi dignitate Episcopali, vel simili, qua eximitur à iugo Monasticæ Regulæ, & conferatur à Summo Ecclesiæ Pastore, igitur etsi filiatio ista necessario dimanet posita professione, illique iura filiorum, non emancipatorum sint necessario connexa, tamen ultra hoc vinculum solemnium trium votorum potest superaddi aliud, quia expressius stricti sunt ex speciali voto solemnium, vt mea religio, & aliquæ aliæ habent, aut simplici, vt habet religio Societatis Iesu à professis suis duratant emissio, non prætendendi, extra Religionem dignitatem, aut prælationem aliquam nec præbendi consensum in sui electionem eam acceptando, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, quo voto ita astringitur quis ad filiationem sub iugo monasticæ Regulæ vt nullatenus liceat procurari ab ea diuelli, sed intra Religionem iura filiationis seruare eiusque emancipationem nullatenus prætere de cuius voti honestatem, & vtilitatem, quæ ex illo Religionibus resultat, late ostendit Suarez tom. 4. de Relig. lib. 6. num. 6. nec est huius loci disquirere, sed vt certum, & indubitatum utpote à S. Apostolica confirmatum, supponere.

Hæc igitur † filiatio ex voto connexa speciali, aut est respectu Religionis absolute, quia quis vouet non esse extra iugum Religiosæ disciplinæ, & Monasticæ districtiois, & hoc verum non est, quod quis maneat intra Religionem in qua primo professionem emisit, potest enim ex causa iusta ad aliam transferri, imo, etsi sine iusta causa transferatur non facit contra hoc quartum votum, quod est de non abiiciendo iugo Regulari, per assumptionem ad dignitatem extra Religionem non per assumptionem alterius habitus religiosi, facit tamen contra ius Religionis in qua professionem primo emisit, ex vi cuius religio acquisiuit patriam potestatem à qua emancipari nequit sine consensu eiusdem religionis, aut Summi Pontificis vtenis plenitudine potestatis, quod † intellige non de religionibus Militaribus, harum enim religiosi, & filij, quia veri religiosi non sunt etsi sint veri Ecclesiastici, vt transitum ad aliam religionem Monasticam, aut mendicantem faciant, videntur habere tacitam licentiam suorum Prælatorum, neque de his equitibus militaribus intelliguntur Bullæ Pontificiæ, etiam Urbana, præterquam quod

DIFFICULTAS V.

De filiatione qua quis adstringitur ex voto solemnium aut simplicium.

SUMMARIUM.

1. Filiationis Religiosæ iura in quo fundentur.
2. Vndenam sit filiatio Religiosa ex voto connexa speciali, & n. 3.
4. An possit institui, & confirmari vera, & propria Religio militaris tribus votis essentialibus constans, quatenus ordinatur ad defensionem diuini cultus.
5. An filiatio voto non acceptandi dignitatem extra Religionem nisi coactus quis sit obedientia Summi Pontificis sine hac emancipari nequeat.
6. Quid sit votum quo adstringitur filiatio Religiosa.
7. An votum stabilitatis iuxta suam extensionem sibi adiungat filiationem cum iuribus suis.
8. Votum stabilitatis duo imbibit, & numero 9.
10. Quodnam dicatur obiectum voti stabilitatis, & n. 12.
11. An si quis Episcopatum accipiat sine consensu Superioris contra votum stabilitatis peccet.
13. Pelusiotæ sensus adducitur, necnon Basilij, & n. 14.
15. Quenam sit materia voti stabilitatis siue in Religione siue in Monasterio siue explicitum sit siue implicitum, enucleat S. Bernardus.
16. Bode opinio assertur, necnon Gregorij XV.

si loquamur de equitibus Maltenfibus (& si qui sunt similes) hi enim verè, & propriè Religiosi sunt tria vota solemnna absoluta vouentes, sicut & monachales, & Canonici Regulares ac mendicantes, quare dubio-procul, et si sint militares nequeunt ad aliam Religionem, etiam strictiorem sine consensu, & licentia suorum Superiorum expressa iuxta formam Vrbanæ Bullæ (de qua late tom. 10. qui est Apologeticus contra ignominiam nouitatis, consultus respondi) etenim vt egregie vterque Thom. 2. 2. q. 188. art. 3.

4 † potest institui, & confirmari vera, & propria religio militaris tribus votis essentialibus constans, quatenus ordinatur ad defensionem diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum quos altissimos fines in ordine ad quos tria vota essentialia absoluta nuncupant Religio S. Ioānis Maltenfis, quare quantum ad exfiliationem suæ religionis, & nouam acquirendam in alia etiam strictiori forma Urbana in huiusmodi transitu obseruanda est, & sic respondi consultus ann. 1655. die 29. Iunij, & placuit aliis.

5 Igitur † filiatio alligata voto non acceptandi dignitatem extra Religionem nisi coactus quis sit obedientia Summi Pontificis, sine hac emancipari nequit, sed semper filius hic manet sub patria Religionis potestate, et si non expellatur iuridice, aut extra religionem quidquid habet quidquid acquirat religionis est, cuius filius semper perseuerat voto obligatus, ab vberibus maternis non sese gregandi, nisi ob delictum aut apostasiam, neque enim apostata contra hoc votum facit nisi occultus dignitatem acceptet.

6 Aut † votum quo adstringitur filiatio religiosa est stabilitas in hoc conuentu, & obediendi Monasterij huius Abbati, & præposito, quod votum valde vsitatum fuit antiquitus in religionibus Monachalibus, vt ex earum formulis profitendi constare cuilibet potest de Cisterciensibus, & Præmonstratensibus, ex dictis in superioribus constat, quare et si ob causam poterat Monachus de vnò in aliud Monasterio mutari, at semper manebat stabilis filiatio eius conuentus in quo professionem primo emisit, solumque eximebatur ab obedienciæ iugo respectu Abbatis illius conuentus, cum fieret subditus alterius, & duobus Abbatibus non subordinatis subditus esse nequibat actu.

7 Verum enim vero quia † votum stabilitatis iuxta suam extensionem sibi adiungat filiationem cum iuribus suis, & si supra Resolut..... Multa de stabilitate sint enucleata, videndum restabat, quæ comprehendat stabilitatis votum in conuentu speciali, nam de stabilitate respectu Religionis, quid eius votum comprehendat, diximus: stabi-

litas enim, & perseuerantia in Religione, eo ipso tacitè vouetur, quo expressè, aut tacitè, quis emittit professionem solemnem tria vota duntaxat nuncupans, vt ait D. Th. 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. vnde Turrecrem. tract. 127. in Regul. Sanctam. dixit per stabilitatem adstringitur Monachus, quod nullo modo deserat Monachatum, nec sine necessitate, & Superioris autoritate exeat Monasterium.

Vnde † votum stabilitatis duo imbibit: 8
Primum, in Religione, siue in Monasterio vsque ad mortem perseuerare. Secundum non excutere iugum Regulæ vtrumque explicuit S. Bernard. epist. 7. cit. Sic te stabilem in loco exhibeas, vt Abbati subiecti non contemnas, & sic obedias subiectus Abbati, vt stabilitatem loci non amittas, id est, etiam aliò vadas ex Abbatis imperio semper filius perseuerat, aut Religionis, aut Monasterij, siue discedat causa ædificandi aliud Monasterium, siue causa studij, siue prædicandi Euangelij gentibus, aut aliis rationibus conuertendi hæreticos, hæc enim consuetudo valdè viguit inter Benedictinos sic posse, non obstante voto stabilitatis in Monasterio declararunt Põrifices, & in Cisterciensibus, etiam temporibus S. Bernard. narrat Cæsar. in vita eiusdem lib. 1. cap. 16. vnde S. Doctor epist. 7. Soluens argumentum quod obiicere quis posset, illud sic proponit & soluit, Sed quæres forsitan, inquirens mihi: quid ergo, tu de stabilitate tua facis, quam apud Cistercium firmasti, & nunc alibi habitas? Ad quod respondeo: ego quidem Cisterciensis Monachus, ibidem professus, ab Abbate meo, vbi nunc habitus missus sum; sed missus in pace, missus iuxta consuetudinem, & communem institutionem. Hactenus Bernard. Quare † obiectum voti 10
stabilitatis est perseuerantia in Monachatu & statu, ac filiatione perfecta religiosa, à qua nullus mancipatur sine consensu Superioris, cap. si Religiosus. de elect. in 6. aut obedientia Summi Pontificis si quis emancipetur dignitate extra Religionem acceptata.

Quare † si quis Episcopatum accipiat 11
(etiam si non voueret non acceptare) sine consensu Superioris contra votum stabilitatis peccat, et si propriè apostata, & fugitiuus non sit, non tamen peccaret contra votum istud, si ex licentia Abbatis, quam hodie ex prohibitione Apostolica nequit dare, vel de Summi Pontificis facultate, vel alio legitimo Superiore extra claustra Religionis degeret, vt tenent Panormit. & Innocent. cap. ex rescript. num. 3. & 5. de iure iurand. vbicumque enim fuerit Monachus dummodo sit in pace, & iuxta obedienciæ institutionem, & imperium semper fingitur esse in claustra, argum. ex cap. insinuante, qui cleric. vel vouen. cap. cum illorum. de sent. excomm.

12 Quare † votum istud stabilitatis si explicum, vt in pluribus Monachalibus, vel implicitum ex vi professionis, vt in omnibus Religionibus, quæ solemnem emittunt professionem introductura est à Sanctissimis illis primis Patriarchis Monachorum contra quosdam, qui religiosis votis adstricti gyrouagant v' iuersum, & omnia Ordinis Monasteria, & tanquam circumcelliones, nullibi sedem figebant, nullique Abbati subdebantur, sed sub specie Religionis, & sub tegumento Religioso, veraces, & indomiti lupi circumlustrabant mundum, pinguiorem mensam, & feliciores calices magis quærentes, omni odoris ciborum vento circumacti, perpetua in stabilitate laborantes

13 † vt ait Pellusiotus de quodam Philippo Monacho Gyrouago lib. 1. epist. 4. *Circumeuntes Prouincias nusquam missos, nusquam fixos nusquam stantes, nusquam sedentes, ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrose egestatis, aut simulata pretium sanctitatis, & cum interea mali deprehensi sunt, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonorum, tam sanctum quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras sic per totam Africam pullulare, vt ait Augustinus lib. de opera Monach. capite 28. & Basil. in constit. Monast. cap. 9. de de istis circumcellionibus, & Gyrouagis Monachis quos excludit votum stabilitatis † sic fatur. *Illi enim deuitandi sunt qui instabiles identidem locum demutant, modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, & irrequietæ acti impetu se in collustrandis assidue monasteriis occupant, & per simulationem spiritualis charitatis carnis libidinibus obsequuntur, quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplina conueniat ordinis, nihil denique prudentiæ inest aut grauitatis, contraque summa curiositas, morum peruersitas, leuitas, inconsiderantia, dolus, hypochrasis, mendacis, & veteratoris orationis plenissima ostentatio in his redundat;* & plura alia infamia illis iure accumula, de his gyrouagis Monachis plura Synesius epistol. 67. Cardinalis Petrus Damiani opusc. 27. cap. 3. quos Synodus Constantino-pol. 3. can. 42. aut in Monasterio manere ibique stabilitatem seruare, aut ex vrbibus expelli præcipit.*

Hanc instabilitatem, & perniciosam circumuagationem, & Monasteriorum ac Prouinciarum tortuosum, & incertum volatum ac peragratiorem aspicientes Religionum Patriarchæ stabilitatem voto siue explicito siue implicito firmarunt, vt quieti, & stabiles Religiosi manerent in statione, & vocatione sua. Vn-

de egregie Bernard. † quæ sit materia voti stabilitatis siue in Religione siue in Monasterio siue explicitum sit, siue implicitum, his verbis enucleat, præscribit deinde stabilitatis pactum siue votum (quæ apud D. Melituum idem sunt in præsentem vt supra vidi contra Caramuelem qui vt nouitatem infectaretur noluit legere) *omni deinceps remisso dissensui, contentioso discessui vago, & curioso discursui, totius denique inconstantiæ leuitati: non tamen iis quæ in professionis serie sequuntur, morum videlicet conuersationi, & obedientiæ quæ secundum regulam fit.* Per quæ verba assignat per negationem materiam voti stabilitatis, primo, quod non possit ad sæculum redire, & in illum descendere; secundò, quod discedat ad aliud monasterium etiam strictius sine consensu Abbatis, ex contrario enim multæ lites, & contentiones oriri solent, quas & ipse Bernard. est expertus, tertio, quod vage, & curiose non circumeat alia eius congregationis Monasteria, vt bene viderunt alter Bernardus Cassinensis p. 1. specul. cap. 6. & Basilii vbi supra cap. 8. *illud cauendum est (inquit) ne quiuis prætextu viuendorum conueniendorumque fratrum crebro monasterio velimus egredi, quia artificio aduersarius noster vt solet ad disciplina stabilitatem, ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, peruertendumque, &c.* Vnde in Concilio Anglicano i. vt refert venerabilis Beda † lib. 4. Histor. Anglic. cap. 5. *Prouisum est vt Monachi non migrarent de loco in locum hoc est de Monasterio in Monasterium, nisi per dimissionem proprii Abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.* Ex quo constat quod antiquitus Monachi in professione sua votum stabilitatis in hoc monasterio mittebant, siquidem promittebant obedientiam solemnem voto huic Abbati, huius Monasterij, non tamen ita quod si ex causa transferretur ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, & instituti non maneret obligatus ad Regulam, quam professus est in hoc conuentu numero, seruare etenim votum stabilitatis in hoc conuentu, & obedientia promissa huic Abbati in particulari semper est subordinata Summo Pontifici, & Abbati Generali, cui subest Abbas huius Monasterij, quare tam Summus Pontifex, quam Abbas generalis potest hunc Religiosum ex causa ad alium conuentum transferre, & Summus Pontifex potest declarare, quod votum stabilitatis respectu huius conuentus in speciali non est votum essentialis, & solenne respectu professionis etiã emissæ sub obedientia huius Abbatis in hoc conuentu.

17 Sic enim ꝑ fecit Gregor. XV. in quadam Bulla reformationis Ordinis Præmonstratensis, quam refert Rota in Decisionibus, quas ad finem huius tomi inferam. Præmonstratenses enim iuxta formam professionis suæ, quam emittebant secundum antiquum vigorem suum promittebant stabilitatem in illo conuentu, in quo fiebat professio non secus ac Moniales cum promittunt, in vno conuentu in quo sunt clausæ, & in quo post Concilium Tridentinum adstringuntur clausura, à qua egredi nisi ex causa iustissima de licentia sui ordinarij nequeunt, ita erat in Præmonstratensibus secundum suum antiquum vigorem, & nihilominus præfatus Pontifex in Bulla præfata reformationis declarauit, quod votum stabilitatis, in hoc speciali conuentu factum à Præmonstratensibus, etiam seruata forma antiqui vigoris, intelligitur nisi aliter Abbas Generalis expediens indicauerit, hanc enim concionem etiam iuxta vigorem antiquum huius Ordinis votum præfatum continebat, quia ex ipso quod Generali promittatur obedientia ei subiicitur translatio de hoc conuentu in aliud, si expedire videbitur. Quare Pontifex nihil antiquo vigori contrarium disposuit, sed declarauit, & explicuit, quod in illo erat imbitum, quod valde est notandum pro intelligentia Decisionum Rotalium quas refert, & quas loco citato dabo ex Tamburino *de iure Abbatissarum*, à decis. 20.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum Conuersi laici, Donati, & Oblati sint vere filij Religionis, an Serui duntaxat veluti adscriptitij?

S V M M A R I V M.

1. Quot sint partes familie religiose.
2. An antiqui Monachi non ordinarentur sacris ordinibus, sed solummodo Monachismo essent contenti.
3. Caramuelus sensus adducitur.
4. Qui Monachi in priuilegiis, indulgentiis, & aliis filiationis iuribus nomine fratrum comprehendantur. & n. 5.
6. Diuersum genus personarum Regularium assertur. & n. 8.
7. Hastenij mens adducitur.
9. An Donatus vel oblatus sit verè Religiosus professus.
10. An conuersi magis adstringantur Monasterio, quàm Monachi, & numero 11.

12. *Variorum Doctorum sensus adducuntur.*
& n. 13.

14. *Quid ex præmissis veniat concludendum.*

Q Vot ꝑ sint partes familie Religiose & sicque gaudeant tam priuilegio canonis quam fori, nullusque nisi Superior cui saltem obediētiam promittunt de illorum excessibus possit cognoscere quantumcunque sint criminales est apud omnes indubitatum, vt bene Syluester *verbo Ecclesia. 1. num. 6. quest. 5.* vbi egregie de hac materia. Igitur Familie Religiose Monasticæ, demptis Monachis, Choris, & Sacerdotibus, quæ partes sunt principales, & nobiliores, & veluti oculi corporis mystici, aliæ sunt minus principales, necessariae tamen in Conuersatione Religioso-politica, & se habent veluti huius corporis pedes, atque huc illuc ad ministeria diriguntur, vnaquæque tamen harum partium communi deseruit corpori, & munus suum, quod ex professione accepit tenetur exequi, quid autem conueniat Monacho, quid laico Regulari egregie pro illis temporibus distribuit S. Isidorus *in Regula cap. 2.*

Igitur laici isti Regulares sic dicebantur, quia etsi Monachi essent destinati ad chorum, & contemplationem, quia clerici non essent, etsi Monachatu gaudent iuxta antiquum morem Ecclesie, quod ꝑ Monachi non ordinabantur sacris ordinibus, sed solummodo Monachismo erant contenti, & solum contemplationi diuinorum, & laudibus diuinis in Choro intenti, tria substantialia vota emittentes iuxta quod intelligitur Concilium Gallicanum *ann. 455.* congregatum vbi dicitur. *Quod Monasterij omnis laica multitudo id est Monachorum non ordinatorum ad curam Abbatibus pertineat; neque ex ea quidquam Episcopus vindicet, aut aliquem ex illa Clericum facere, nisi Abbate petente præsumat.* Alij tam in Monachalibus, quam in mendicantibus sunt conuersi vario professionis ritu diuersisque adstricta votorum obligationibus, quidam sunt qui solemniter tria substantialia vota emittunt, quidam, qui & si tria sint vota quibus ligantur, at non solemnia, sed simplicia, de quibus ꝑ Caramuel *in Regula Sanctam, disput. 36. §. à num. 406. vbi num. 408.* agit de laicis Monachis quo, supra memini, & dicit *Surdos* vesari, aut *sinistros*, qui in habitu, & tonsura & chori exercitiis pares sunt aliis Monachis, cum hoc solo discrimine, quod non cantant in choro, quia *Surdi*, & sacris ordinibus nunquam initiantur.

Et quidem certum debet esse huiusmodi laicos Monachos, vere, & perfecte si vota eorum solemnia sint esse filios suæ Religionis, vnde † in privilegiis, indulgentiis, & aliis filiationis iuribus, nomine *fratrum*, comprehenduntur, gaudentque plenissime immunitatibus, & concessionibus, & exemptionibus Monachis choristis Sacerdotio destinatis concessis, si tamen vota simplicia sint de illis eodem modo est philosophandum, ac superius de aliis Religiosis qui similia vota emittunt est philosophatum. Igitur conuersi vulgo laici, & non destinati ad chorum, eandem omnino professionem solemnem faciunt, quare solum differunt, ex parte finis, quia in destinatis ad chorum finis est altior, scilicet vita contemplatiua, aut mixta exercitium scilicet Mariæ, aut etiam Marthæ, at finis laicorum inferior est vita scilicet actiua, finis prior comparatur à Sancto Hierotheo *doctr. 6. oculo*, finis posterior, *pedi*, qui fines, etsi diuersi filiationem perfectam religiosam constituunt, cum quilibet ad suum finem procurandum votis solemnibus, adstringatur.

6 Aliud est † personarum Regularium genus, quod *donatorum*, aut *oblatorum* dicitur, istorum enim quidam habitum sæcularem dimittentes adsumunt regularem sub certa forma non deportantes coronam, imo ad ipsam nisi mutato habitu ex speciali, difficile tamen dispensatione Superiorum, præhabito nouitiatus anno, sunt inepti, alij non mutant sæcularem habitum, sed in honestiori, & ex viliori materia, sæculares tamen forma intra claustra officinis deseruientes, degunt, isti dumtaxat promittunt obedientiam, in ordine ad suum ministerium, votum autem castitatis, & paupertatis non emittunt, monentur tamen quod in virtute voti obedientiæ emittendi, iniungenda est illi perpetua continentia, & proprii

7 carentia. Quare optime † Hastenius *lib. 3. disquis. tract. 1. disquis. 8. in fine* ait, hic cum solummodo, votum simplex obedientiæ in manibus Prælati emittant, & ex vi voti non teneantur seruare castitatem, & paupertatem non sunt verè, & in rigore dicendi Religiosi, sed monasterij famuli Religiosi, adscriptitij tamen ex vi voti obedientiæ ex vi cuius adstricti sunt Religioni, velut glebæ, vnde non possunt se absentare sine licentia Superioris à Religione vel de domo in domum abire, nisi mittantur, possunt tamen dimitti ad sæculum absoluti ab obedientia, si tamen huic donato Superior iniungat

in virtute Sanctæ obedientiæ ne uxorem duceret, Caramuel *ubi supra num. 409* dicit posse, quod intelligo valide non tamen licite, hoc enim adfirmare intolerabile esset, facit enim contra præceptum Superioris, de materia quam illi potest prohibere, vt ministerium suum vt par est impleat. Refert tamen, & verè quod *anno 1233. in Capitulo Generali Cistercij* habitum fuisse decretum, nullum Donatum, aut familiarem admittendum fore, nisi se ad vota simplicia continentia voluerit obligare.

Alij Donati sunt, † qui habitu sæculari retento interius scapulare deportant, & tria vota emittunt sub hac forma, quam Nauarrus *consil. 50. in meis. de Regular.* posuit: *Ego. N. me dono & offero in oblatum Monasterio Sancti Benedicti vouendo obedientiam, paupertatem, & castitatem tibi eius Abbati, & non tamen profiteor Regulam Ordinis, nec me obligo ad ceremonias, & obseruantias eius, idque facit non mutato habitu, nec accepto habitu Regulari excepto scapulari paruo in signum obligationis.* Hæc Nauarrus, qui, hæc, inquit † an iste donatus, vel oblatus sit vere Religiosus professus; & respondet negatiue, sed ea quæ adducit solum probant non esse Monachum professum, cum non profiteatur Regulam, aut ceremonias Regulæ, nec esse conuersum, quia iste mutat habitum, vt notat Panormitanus, *cap. vt privilegia. de privileg. & in cap. non est dubium de Regularibus, Syluester verb. oblatus.* qui notat, iuxta ius Canonicum, & ciuile, quod † conuersi magis adstringuntur Monasterio, quam Monachi. Vnde nec etiam causa arctioris Religionis possunt transire ad alia Monasteria, quia efficiuntur quasi serui Monasterij Adscriptitij scilicet, de quibus toto ferè titulo, *de Agriculis & recensitis & colonis C. lib. 11.* quod intelligit si de licentia Superiorum non mutet habitum, vt bene idem Syluester, qui addit ex Panormitan. quod oblatus, secundum mentem Panormitani, est, qui se & sua dedit Religioni profutendo tria vota, non assumpto habitu Religionis.

Vnde manifestè fit quod iste, de quo loquitur Nauarrus, & se obtulit Religioni ni emittens tria vota, etsi non fuerit conuersus propriè aut Monachus, fuit tamen verè Religiosus solemniter professus, cum tria vota emisit in manibus Abbatis, qui illum poterat Religioni approbatæ incorporare, quamuis enim non fuerit professus sub forma qua profitentur Monachi, aut conuersi; professus est sub for-

ma qua profitentur donati; isti enim nec ad Regulam Monachorum, & conuersorum, nec ad cæremonias obligantur, vere tamen ligantur tribus substantialibus votis, in quibus consistit essentia status Religiosi, & qui illa emittit in manibus Superioris legitimi verè, & substantialiter fit Religiosus si vota simplicia sint emissa in Religione id habente ex priuilegiis Apostolicis, si vero sunt solemnia ex natura rei, non enim ex habitu integra Religioso fit quis verè Religiosus, sed ex tribus votis, vt tradunt cum communi sententia † Panormitan. Felinus, Decius, & alij *in rubric. de Regularib. & cap. Sancta Maria. de constitut. & in signum obligationis huiusmodi habitus, etsi occultus de permissione & concessione Ordinis, & constitutionum poterit deportari, huiusmodi enim scapulare videntur simile cruci, quam deportant Religiosi militares, qui similes videntur Religiosis oblati facientes tria vota solemnia, & nulum alium habitum religiosum portant, nisi crucem in pectore, quare si Superior Abbas, iuxta constitutiones suas approbatas à Sede Apostolica potest hunc de quo loquimur vota solemnia admittere sub ea forma relata non dubito, quod sit verè & propriè Religiosus Professus.*

13 Vnde in cõstitutionibus Benedictinis Vallesoletanis impressis Barcinonæ *ann. 1575.* Donati promittunt in professione sua tria essentialia vota, & iniungitur Patri Generali, vt à Pontifice perat diploma, quo Donatorum, & Familiarum vota declarantur solemnia, sic enim eorum stabilitati esset consultum, vt notat Hastenius, *vbi supra*, in alijs enim Benedictinis Congregationibus, de quibus est legendus Caramuel *vbi supra, disp. 37.*

14 Ex dictis constat † omnes oblatos, conuersos & laicos, qui tribus votis solemnibus professione nuncupatis verè & perfectè esse Religionis filios, dum in eius gremio foti & aliti sunt, & quidquid acquirunt Religioni, aut Monasterio acquirere, nec posse de aliquo sine iure disponere sine licentia potentis dare. Secus vero donati qui solum promittunt obedientiam, isti enim & testamentum condere, & donationes rerum suarum validè faciunt, etsi illicitè, quia impediuntur ex præcepto sibi imposito.

Episcopatum, nisi coactus obedientia Summi Pontificis, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto.

S V M M A R I V M.

1. *An Religionis filius qui voto Religionis se adstrinxit, non acceptandi Episcopatum extra Religionem, nisi Summi Pont. obedientia coactus, hæc obedientia debeat esse sub formali præcepto.*
2. *Difficultatis ratio adducitur.*
3. *Quid sit prætensio indirecta quæ voto non præcluditur sicut directa.*
4. *Authoris iudicium affertur, & n. 5. 8. 9. & 10.*
6. *Ambitionis diffinitio ex Bernardo.*
7. *Secunda obligationis pars in voto explicatur.*
11. *Quæ dignitas quocumque modo detur, sit ambitionis materia.*
12. *An acceptatio collationis, nominationis, & presentationis facta clerico minori, & consensus in electionem Episcopatus in rigore iuris diuersa significant.*
13. *Persenerantia, & ingressus an sint diuersa.*
14. *An sicut iuramentum in materia iuris recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas ipsum ipsum ius, recipit ita & votum.*
15. *An ex vi significationis propria huius nominis electio, an sit large interpretanda.*
16. *Vrbani VIII. sensus adducitur, & n. 17. & 18. & 19.*
20. *In quo voto per electionem intelligatur illa quæ fit à Pontifice, & simul sit confirmatio.*
21. *Variorum Authorum sensus adducuntur, & n. 22.*
23. *Quod votum murus & antematurale religionis tuenda, & conseruanda propugnaculum sit.*
24. *Vbinam electio idem sit quod assumptio ad dignitatem.*

Hanc difficultatem excito propter confratres meos sanctæ Matris Religionis filios, qui solemnibus votis adstringuntur, non curaturos, aut prætensuros nec per se nec per alium extra Religionem Prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensuros in sui electionem, nisi cogantur obedientia Summi Pontificis, an scilicet † hæc coactio fieri debeat præcepto formali obligate an sufficiat quod Pontifex, qui votum meum agnoscit ad dignitatem præfatam eligat, aut nominationem factam à Patrono laico Rege videlicet, aut alio Principe absoluto confirmet?

DIFFICULTAS VII.

An filius Religionis, qui voto solemnibus se adstrinxit non acceptandi extra Religionem

confirmet? votum hoc honestissimum esse, & de re valde necessarium ad quietam, & pacificam Religiosamque vitam ducendam nulli Catholico dubium, fatius enim, & sanctius est in matris gremio foueri, & eius auxilium iuuari, quam extra diuagari inter pericula, quæ secum conducunt dignitates sæculi, quare in hoc non iudico immorandum, quia illi qui contra sentire iam sunt correcti à S. Apostolica, nec sine graui censura, & pœna contrarium edoceri potest.

2 Verum enim vero † enucleanda est huius sanctissimi voti materia, prout à nobis nuncupatur in professione solemnem; non enim nimis clara, & difficultatibus expedita, in omnibus quæ in voto exprimuntur, & quidem quantum ad primam promissionis partem, non est difficile, nam materia illius est non curare, nec prætere agere actione externa, & diligentia aliqua siue à se exhibita, siue per alium executi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, quæ iuxta sacros Canones, & communem Ecclesiæ præxim dignitas reputetur siue in Ecclesia Cathedrali, siue Collegiali, siue Regulari, extra nostram Religionem. Hoc tamen votum procuracionem, & prætensionem iudirectam harum dignitatum, non comprehendit, vi bene Pellizzarius *tom. 1. Manual. tract. 4. cap. 5. sect. 7. num. 389.* Ne nimis voti obligatio ampliatur, quod semper interpretandum est vt obliget minus, quam attentis regulis prudentiæ, obligare possit.

3 Sed † quid sit prætensio indirecta, quæ voto non præcluditur sicut directa continetur non explicat, si enim indirecta est omnis illa, quæ expressa non est qua quis expresse sollicitat, vt sibi detur dignitas, extra Religionem sicut de iuramento de non ambiendo intra Religionem dicitur in eius formula, qua solum obligamur ad non expresse curandum vt nobis detur dignitas Præpositi, siue Localis, siue Prouincialis, siue Generalis: si enim etiam in voto solemnem solum continetur expressa procuratio dignitatis extra Religionem, nimium coarctatur votum solemnem, nec occluditur via ambitioni, quam occlusionem intendit Religio vt paci, & quieti attendat, & ne corpus mysticum membris principalioribus abscessis truncum remaneat. Quare existimo, nobis ex vi talis voti solemnem prohiberi, quamlibet actionem externam, quæ positiuè influat proximè siue per se, siue per alium, siue tacitè, siue expresse in acquirendæ dignitatis prætensionem, aut procuracionem, quare si quis alloquens Principem Patronum dicat intra suum Conuentum, de quo Princeps vult proponere Papæ, vt ei aliqua di-

gnitas conferatur, & dicat vix esse in ea Communitate hominem dignitatis capacem, quia omnes illiterati & inepti, & alias ipse vir sit publicè doctus tacitè & indirectè sibi procurat, dari dignitatem, rursus si quis nostrum alicui Principi Amico dicat valde molestari in Religione, & quod vellet ab illius iugo liberari quocumque modo, iste etiam reus est voti, quia indirectè influat in acquisitionem dignitatis, ipsamque procurat, & ambitiosus est, quod vitium intendit Religio hoc voto extirpare, & eradicare, si enim huiusmodi indirecta & tacita procuratio non præcluditur, vix quis puniri possit ob voti solemnem fractionem, cum vix sit qui à Principe expresse petat dari Episcopatum, si voto est ligatus procurandi, quia eo ipso tanquam manifestus voti fractor indignus redditur dignitate.

5 Quare existimo, quod omnis tacita, & indirecta dignitatis procuratio extra Religionem, quæ proximè influat in illius acquisitionem voto nostro prohibetur, quod sic intellectum est, etsi non exprimatur, imo eo ipso quod non excluditur indirecta, & tacita procuratio sicut excluditur in iuramento de non ambiendo intra Religionem, inclusus intelligitur quilibet positiuè proximus influxus in voto de non prætendendo dignitate extra Religionem. Hæc enim fuit legislatoris intentio obligandi Religiosos, quod ab Religione non exeant, nisi ob Ecclesiæ vniuersalis bonum, & necessitatem, & quemlibet influxum, qui ad exitum confert fecit voti materiam, quamuis in voto non exprimatur, itaque voti huius materia est quælibet actio exterior quæ proxime infertur ambitione, vt explicatum est, hæc Religionis nostræ intentio notissima cuique est, ex qua obligatio voti dimanat, quare ista ab illa mensuratur, etsi vt dixi totus ambitus obligationis, & materia voti non exprimatur, *leg. non dubium. C. de legibus vbi dicitur in legem committit qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem,* & vt dixi materia huius voti solemnem est ambitionis dignitatis extra Religionem exclusio, & extirpatio. Ambitio autem † (teste Bernardo *serm. 6. in Psalm. Qui habitat*) est secretum venenum, pestis occulta, doli artifex, virtutum erugo, & tinea sanctitatis. Quod enim in aliquibus Religionibus ponatur in voto quod nec indirectè quis procurabit, &c. hoc non est, quia necessarium erat exprimere, sed vt clarius innotescat obligatio, sicut inter nos ponitur, *nec per me, nec per alium* procuraturos, & tamen hoc *per alium*, non erat necessariū addere, quia quod per alium facimus, per nos facimus, & tamen ponitur ad maiorem

claritatem, quia etiam si non poneretur ex vi voti per alium non poterat quis dignitatem extra Religionem procurare, sed tamen quis me incio pro me procuret dignitatē, si postea sciam non teneor illum impedire, nec ad id aliqua obligatione ex vi voti teneor, nisi ille sit meus subditus, aut ex ignorantia voti mei id præstet, tunc enim teneor ignorantiam excludere, & subditum meum impedire.

- 7 Difficiliora † continent dubia verba quæ sequuntur in voto, & explicant secundam obligationis partem. *Nec consensurum in meæ electionem, nisi coactus obedientia Summi Pontificis*, circa quæ verba, quæ longè aliam obligationem continent, quam priora: ista enim materiam ambitionis præcludunt, & illam exterminant, vt vidimus, illa vero potius humilitatem respiciunt, & obedientiam Summi Pastoris à quo quis cogi vult, vt aptus fiat ad animarum regimen. & Ecclesiæ vtilitatem, dignitate assumpta coactus obedientia.
- 8 Igitur, quis primo dubitabit an si alicui nostrum sine præensione aliqua, imo ipso insciente, Summus Pontifex illi det dignitatem simplici collatione, aut Rex Catholicus tanquam Patronus nominet ad aliquem Episcopatum, vt Pontifex illum ei conferat, an teneatur ex vi voti quarti hanc collationem, & nominationem non acceptare, & vt eam acceptet necessaria sit Summi Pontificis obedientia. Pellizarius, *vbi supr. n. 390.* affirmatiuè respondet, dicitque de hoc viros doctos consuluisse, & maxime N. R. P. Raphaëlem D. Auerfa, cuius Religio & sapientia toti Ecclesiæ nota est, qui omnes idem dixere, & ducuntur sequenti discursu, quia alias huiusmodi votum esset inutile, & frustratorium. cum dignitates, quæ possunt ambiri, & obtineri à Regularibus plerique sint ex his quæ ab vno tantum conferri solent, non autem per electionem propriè dictam, quæ sit ab aliqua tota communitate per vota & scrutinia; alias non haberetur finis huius voti qui præcluderet omnem aditum ambitionis: cum ergo, ille sensus verborum eligendus sit per quem fortiamur legis effectum, *leg. cum quidam, ff. de verb. signific.* & hoc quantumuis oporteat verba impropriari, *cap. petitio. de Procurat.* sequitur nomine electionis hinc sumendum esse in latiori significatione, quatenus importat quamcunque collationem dignitatis, etiam si factam per voluntatem vnius, quomodo subsistit finis voti, & votum ipsum non est inutile, nec frustratorium, hæc fere Pellizarius.
- 10 Verum enim vero, etsi hæc sententia satis sit probabilis, sed quovisque vel Summus

Pontifex, vel generale Capitulum speciali decreto, à Papa confirmato declarauerit, quod per electionem intelligatur, quæcunque dignitatis collatio aut ad illam nominatio, aut præsentatio à patrono facta me non prætendente aut procurante directe vel indirecte, tacite vel expresse etiam per alium vt explicui, si enim non sit hæc declaratio, quod electio sumatur in larga significatione, vt vult opposita sententia, quantum est ex vi voti quarti, nõ tenetur clericus minor Chorista solemniter professus non acceptare dignitatem sibi à Papa collatam, aut non consentire nominationi, aut præsentationi factæ à Rege aut ab alio Principe habente ad hoc ius Patronatus præsentandi, & nominandi ad huiusmodi dignitates extra Religionem. Moueor sequenti discursu, quia, etsi nos ex vi voti solemnem quarti teneamur ad non procurandam neque per nos neque per alios tacite vel expresse, directe, vel indirecte quamcunque dignitatem extra Religionem quocunque modo conferatur, siue electione, postulatione, simplici collatione, nominatione Regia, aut præsentatione, siue intercessione, & Principum precibus, & instantia, dignitas enim † ista quocunque ex his modis detur ambitionis est materia, & inquietudinis præbet fomentum, quod est secretum venenum, occulta pestis, & tinea sanctitatis, cuius votum nostrum est alexipharmacum, & anti-venenum, & contra hanc pestem vnicum Regulare remedium efficac. Rursus, etsi ex vi voti solemnem obedientiæ, ex vi cuius non habet velle, & nolle nisi Superior consentiat *cap. si Religiosus de electio. in 6.* non possit consentire in oblationem dignitatis extra Religionem, vt supra vidimus *Resolut.* Cæterum quod ex vi voti quarti teneatur non consentire nominationi Regiæ, ac præsentationi Patroni, aut simplici collationi Pontificiæ non video, quia votum interpretari debet vt minus obliget, & semper in mitiorem significationem est interpretandum, vt est communis sententia, & dum verba quibus emittitur sortiuntur aliquem effectum, hunc dumtaxat intendisse vouentem iudicandum est, nisi vouens aliter intendat, aut Religio materiam voti suis constitutionibus declaret, hoc constat in voto solemnem obedientiæ ex vi cuius subditus non tenetur obedire si Prælati ei imperet, vt vadat ad infidelium conuersionem ultra mare & in longissimas Regionis, nisi constitutiones Religionis exprimant id posse mandari. Vnde professi Societatis speciali ad id se obligant, constat etiam in voto paupertatis, quod in diuersis Religionibus diuersas parit obligationes in aliquibus

bus ex vi illius non possunt habere peculium, in aliis tamen habent, quia materia huius voti diuerso modo coarctatur diuersis Regulis confirmatis à sede Apostolica.

- 12 Secundum, quia † acceptatio collationis, nominationis, & præsentationis factæ clerico minori & consensus in electionem Episcopatus, in rigore iuris diuersa significant, ergo qui vouet non consenturum in sui electionem, non censetur vouere non acceptare collationem, nominationem, aut præsentationem ad Episcopatum, consequentia est euidens, quia perseverantia in Religione diuersum, quid est ab eius ingressu, qui vouet ingredi Religionem etsi habeat propositum in ea perseverandi, dum emitit votum ingressus perseverantia non cadit sub voto, ut tenent Sanchez lib. 4. Summ. cap. 16. n. 85. D. Caiet. tom. 1. opuscul. tr. ult. qui est. 31. Respons. 7. & multi alij quia † perseverantia, & ingressus diuersa sunt, & sic qui vouet vnū non censetur aliud vouere, & sic ex vi voti ingressus non tenetur voto ad perseverandum nisi ad hoc saltem implicite intenderit se obligare, antecedens manifestum in iure in quo diuersa sunt electio, collatio, nominatio, seu præsentatio Patroni, potest enim quis eligere & alius conferre, potest etiam conferre absque electione, sed simplici collatione, & potest nominare & præsentare, & non eligere neque conferre, rursus potest postulare, & non conferre, rursus potest postulari, & non eligi, Episcopi enim & Cardinales postulantur in alium Episcopatum, & tamen non eliguntur. Ergo qui vouet, non consenturum in electionem, non vouet, non cōsenturum in præsentationem, postulationem, aut simplicem dignitatis collationem extra Religionem, nec ad non consentendum tenetur in hac ex vi voti.

- 14 Tertium, quia † sicut iuramentum in materia iuris recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas ipsum ius recipit, leg. final. de condict. in deb. leg. fin. qui satisdat cogon. ita & votum, si ergo absolutè quis iuraret non consenturum in sui electionem cum in iure electio distinguatur à simplici collatione, nominatione, præsentatione, & postulatione, non censetur obligari ex tali iuramento ad non consentendum simplici collationi, quia iuramentum habet strictam interpretationem sicut, & votum.

- 15 Quartum, quia ex vi significationis propriæ huius nominis electio, cui me non consenturum nisi coactus obedientia Summi Pontificis obliger, dubium est, an sit largè interpretanda prout comprehendit simplicem collationem & alios modos, atqui in hoc dubio non teneor sequi, quod tutius & perfectius est ex vi voti, ut cum multis te-

net Thom. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. n. 36. ergo.

Quintum, quia in aliis Religionibus specialioribus verbis exprimunt materiam huius voti. Bernabitæ, quod non accipient Prælaturam extra Religionem sine præcepto Summi Pontificis. Patres Societatis etsi eandem formam voti habeant, ac nos habemus, tamen constitutio eorum p. 9. c. 3. n. 13. explicat admissionem & acceptationem dignitatis extra Religionem. Clerici ministrantes infirmis, quod non consentient, ut promoueantur in aliquam dignitatem extra Religionem. Fratres Augustini excalceati, non accepturos extra Religionem dignitatem etiam oblatam, eandem formam in hoc voto nuncupando habent Patres Carmeli excalciati, cum ergo votum nostrum solum obliget ad non consentendum electioni, & hanc non explicet constitutio, de electione stricta est intelligendum votum nisi aliter declaret Sedes Apostolica. Vnde in facti contingentia Urbanus VIII. 16 in Bulla illa celebri quæ incipit Honorum edita 26. Februar. cum 1643. quam ad verbum adfero ad finem huius tomi, votum de quo dicit manere adstrictos, qui ad aliam se trāsferunt Religionem, est votum de non procurando, vel acceptando aliquam dignitatem, aut prælationem, aut prælaturam extra Religionem, quæ verba generalia sunt & comprehendunt acceptationem dignitatis quocunque modo ex dictis habitæ, vel oblatæ, non tamen si votum fiat non consentendi in electione, quæ in materia voti in propria significatione est admittenda nisi aliter explicetur in constitutionibus. Vnde fit, quod non 17 obstante voto nostro & Rex potest præsentare ad dignitatem aliquam ex nostris aliis dignum, quia ex vi voti non est incapax nominationis, cum non promittatur non acceptare, rursus si quis ex nostris licentia legitima transeat ad aliam Religionem etsi teneatur voto quantum ad primam partem non procurandi, nec prætendendi, potest tamen acceptare dignitatem, si ei simplici collatione conferatur.

Vnde in nostris constitutionibus p. 1. c. 6. ubi agitur de hoc quarto voto, quod emittitur à religiosis clericis in professione nihil 18 declarat legislator, de secunda parte obligationis non consentendi, solum enim dicitur num. 1. ambitionis vitio, quo regularis perfectio ruit, aditum omnem occludentes iure optimo cui libet ex nostris qui statui clericali sit adscriptus imponimus, ut quartum illud solenne votum in professione emittat, non scilicet se prætensurum, vel curaturum, siue per se, siue per alium prælationem aliquam, vel dignitatem extra Religionem assumi. hæc ibi, est de secunda parte materiæ voti istius, scilicet, Nec consenturum in

mei electionem nisi coactum obedientia Summi Pontificis, de hac inquam parte nihil explicat, sed eius obligationem inexplicatam relinquit iuxta rigorem vocis, *electio*, in iure explicata, cum in hac voto, ut explicat constitutio solum intendatur ambitionis vitium, quo regularis perfectio ruit, extirpare, possitque quis promoueri ad dignitatem extra Religionem, omnino immunis & liber ab ambitionis vitio ipso omnino inscio & ignorante, quia Summus Pontifex certificatus de eius scientia, & sufficientia, & aptitudine ad animarum salutem illi confert Episcopatum, & Rex Catholicus nominat, aut præsens ad illam dignitatem, si acceptet non inficitur ambitione, imo potius ipsam potest acceptare ex summisione, maxime, quod acceptare dignitatē Episcopatus, cum sit status euidenter melior & perfectior secundum se, & sit oblatas sine procuratore, aut prætensione quæ fere semper ambitiosa est, nisi expressè quis obligetur voto de non acceptando Episcopatu etiam oblato, non videtur prohibitum ex vi voti non consentiendi in electionem de se factam, nisi quis cogatur obedientia Summi Pontificis.

20 Vnde † per electionem intelligitur in hoc voto illa quæ fit à Pontifice, & simul est confirmatio, aut à capitulo Ecclesiæ cuius electio expectat confirmationem Pontificis ex vi cuius electionis electus acquirit ius ad dignitatem, qua eligitur si consentiat electioni, electio enim vno ex his modis facta communi usurpatione propriè dicitur electio, & in voto hoc in hac communi significatione sumitur electio, cui tenemur non consentire nisi coacti obedientia solius Papæ, non tamen tenemur ex vi voti quarti non consentire nominationi, aut præsentationi factæ à Rege, vel alio Principe, hæc enim distinctum quid omnino sunt ab electione, quia ut supra vidimus, obligatio voti semper interpretanda est, ut salua verborum proprietate obliget minus, quam fieri possit, vt † docent Canonistæ cum Abbate *cap. ex parte n. 4. de censibus. Azor tom. 1. lib. 11. c. 20. q. 3. Sanchez lib. 4. Summ. cap. 11. num. 3.* vbi hanc doctrinam, ut regulam certam in iure ponit, ut quam maxime fieri possit sacrilegæ voti transgressionis vitetur occasio & peccati periculum vitetur, id quod de iuramento late probat *lib. 1. de matrim. disp. 9.* & sequitur Bonacina *disput. 4. de leg. quæst. 2. punct. 6. n. 10.* Quare concludo, quod votum nostrum vti dixi omnem modum procurandi habere dignitatem extra Religionem, siue electione, siue nominatione, siue collatione, siue præsentatione præcludit, ut omnis ambitio eradicetur, quoad secundam vero par-

tem solum excludit electionem liberam, siue fiat ab electoribus Capitularibus, siue à Legato à latere, siue à quocunque alio potestate, fiat. Etiam si fiat à Pontifice, huic ergo libera electioni tenemur non consentire, nisi Summi Pontificis obedientia cogamur, non tamen tenemur ex vi voti quarti, non consentire nominationi, aut præsentationi factæ à Rege, & per consequens, nec collationi factæ ex vi huius præsentationis à Summo Pontifice, quia hæc proprie non est electio, sed collatio iuridica. Vnde constat nullius ponderis esse fundamentum Pellizarij, non enim frustratorium est votum nostrum, quantum ad hanc secundam obligationem, siquidem eius materia comprehendit electionem, siue fiat à Papa, siue à capitulo Ecclesiæ, vel ab alio quocunque qui eligere vallet ad huiusmodi dignitates extra Religionem, non enim votum nostrum est absolute de non accipiendo Episcopatu, aut dignitatem, sed de non consentiendo in electionem ad illum. Quare sic aliquando respondi cōsultus in solatium cuiusdam afflictī sub prudentum censura, & placuit viris doctis, & possem multis aliis principiis, ex materia de voto & iuramento confirmare.

Quia tamen velim huiusmodi ostium exeundi extra Religionem muratum semper esse & occlusum, nisi qui habet Ecclesiæ clauis aperiat: est enim † hoc votum murus & antemurale Religionis tuendæ & conseruandæ propugnaculum, non possumus acceptare regiam nominationem, aut præsentationem, quam Rex Catholicus tanquā habens ius Patronatus laici facit Summo Pontifici, ut collationem faciat Episcopatus, nominatio & præsentatio, hic enim inter multos eligitur à Rege, ut nominetur, & præsentetur ad dignitatem, & prælationem extra Religionem, cui electioni si consentit nisi coactus obedientia Summi Pontificis, iā consentit in sui electionem ad dignitatem extra Religionem, quam sicut non potest prætere multò minus in eius receptionem consentire. Vnde constitutio nostra verbis relatis, dicit votum nostrum esse nō prætere *assumi ad dignitatem extra Religionem.* quare dum in secunda parte dicitur, nec consensurum in mei electionem, hîc † electio idem est, quod *assumptio* ad dignitatem, & sic comprehendit nominationem, & præsentationem factam à Rege, à quo assumitur quis dum nominatur, aut præsentatur ad dignitatem extra Religionem, quare ex communi praxi, & intelligentia verba illa, *nec consensurum in mei electionem nisi coactum obedientia Summi Pontificis equipollent his non acceptaturum dignitatem, quam nullo modo curaturum, aut prætere*

resursum, nec per me, nec per alium promissum.

DIFFICULT. VIII.

Quæ obedientia sit necessaria, ut à nobis acceptetur dignitas extra Religionem.

SUMMARIUM.

1. *Quid denotent verba illa, nisi coactum obedientia Summi Pont.*
 2. *Vrbani V. II. mens adducitur.*
 3. *An votum, quod emittunt professi Societatis præceptum & rigorem obedientiæ exigat impositum ab eo qui præcipere potest sub pœna peccati.*
 4. *An professus Societatis non indigeat præcepto proprio & rigoroso, ut accipiat dignitatem extra religionem.*
 5. *An iuxta formam quarti voti nostri requiratur Pont. rigorosum præceptum, & num. 6.*
 7. *Obedientia est specialis virtus, & quoddam sit eius speciale obiectum, ex S. Thom. & num. 8.*
 9. *Obediens mouetur ad imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, ex eodem S. Thom. & n. 10.*
1. **S**ecundum dubium est, † quid denotent illa verba *nisi coactum obedientia Summi Pontificis*, ut enim supra dixi hanc obedientiam sibi reseruauit Sedes Apostolica, ut constat in Bulla Urbana de ann. 1643. sed superest, an ex vi horum verborum voti nostri quarti solemniter requiratur, ut ego non sim illius reus, quod Pontifex præcipiat sub formali præcepto obedientiæ, an vero sufficiat quod mihi insinuet expresse eius voluntatem esse, quod dignitatem accipiam quam confertur in multis enim Religionibus requiritur quod Pontifex sub formali præcepto id præcipiat, adeo quod non sufficiat si expresse dicit mando, quod accipias dignitatem, sic enim multis è societate Iesu contigisse, qui noluerunt dignitatem accipere ante formale præceptum, & in me ipsum (ait) omnium minimum exercuit felicis recordat. Urbani Papa VIII. † cui, usurpanti verbum illud mandamus, post repetitum sapius illud verbum, ego quidem aliquandiu non acquieui, sciebam quippe non deesse qui de obligatione saltem graui eo verbo significata dubitent, quos refert Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 4. n. 45. donec expresse dixit, se qua proculdubio pollebat potestate suprema præcipere, id mihi præcepto formali in virtute sanctæ obedientiæ, quod in exemplum sit potestatis ad præcipiendum & obligandum sub peccato graui, quam in

hac materia Pontifices Summi credunt sibi competere. Hactenus Cardinalis.

Qui formale præceptum ad acceptandam dignitatem expectauit, quia † votum, 3 quod emittunt professi Societatis illud præceptum & rigorem obedientiæ exigit impositum ab eo qui præcipere potest sub pœna peccati, quod Pellizarius ubi supra num. 255. intelligit, siue sit peccatum mortale, siue veniale, quare si Pontifex præcipiat alicui ex Societate sub pœna peccati venialis, quod accipiat dignitatem Cardinalitiam, aut Episcopatum tenetur illam accipere, sed quod superior possit præcipere in virtute sanctæ obedientiæ præcepto formali obligans in materia graui ad solum veniale si non obediat, omnino falsum existimo, sicut quod peccatum mortale, & veniale non distinguantur ex natura rei, sed à legislatoris voluntate à qua quidem oritur obligatio legis, tamen quod sit sub mortali, aut veniali non à voluntate humana pendet, sed à grauitate, aut leuitate materiæ præceptæ. Vnde miror eundem Pellizarium, qui ubi supra n. 260. dicit, quod † professus societatis non indiget præcepto proprio & rigoroso, ut accipiat dignitatem extra Religionem. In hoc enim & sibi contradicit n. 261. sequenti, & formæ vouendi, quæ requirit præceptum obligans sub pœna peccati, quam obligationem non inducit nisi præceptum proprium.

Igitur dubium superest, † an iuxta formam quarti voti nostri requiratur Pontificis rigorosum præceptum, cuius vi cogamur sub pœna peccati ad consentiendum, & acceptandam dignitatem extra Religionem, an verò sufficiat ordinarium præceptum & mandatum, quod est insinuatio expressa Superioris scilicet Summi Pontificis voluntas mihi manifestata, qua vult me accipere talem prælationem, quia iudicat, ita expedire, siue bono communi Ecclesiæ, siue quieti Religionis, siue ipsiusmet electi. Hæc tamen voluntas Papæ non est intimata præcepto, sed simplici ordinatione. Pellizarius num. 392. agens de nostro voto quarto explicans præfata verba dicit requiri formale præceptum, quod (ait) non reprobauit amicissimus Auersa à me de hoc in specie consultus, quia coactio violentiam & vim illatam designat, ut ipsum nomen sonat, at violentia moralis non infertur nisi moralis coactio intercedat media lege, aut formali præcepto.

Sed non requiri formale præceptum in 6 virtute sanctæ obedientiæ impositum nobis clericis minoribus verius iudico, sed sufficere, quod Pontifex qui verissimè superior noster est suam nobis intimet, & manifestet voluntatem esse, quod non obstante voto dignitatem acceptemus, quia ob rationes

tiones sibi sufficientes iudicat expedire, cui voluntati & simplici ordinationi obedire tenemur ex obedientia quam promissimus, virtus enim obedientiæ, & regularis obedientia ad hoc se extendit, quod egregiè nos docuit D. Thom. 2. 2. *quest. 104. art. 2. in corp.*

7 dicens, † *obediencia est specialis virtus, & eius speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum, voluntas autem superioris quocunque modo, innotescat est quoddam tacitum præceptum, & tantum videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.* Hæc ibi, quæ satis profundè enucleat ibi. Caiet. §. *ad huius evidentiam.* itaque quæcunque voluntas superioris, vt superior est nobis insinuata præceptum tacitum est obiectum obedientiæ, prout est specialis virtus, ex vi cuius obedimus dum voluntatem superioris, vt superior est exequimur, etiam si non sit formale, & expressum præceptum obligans sub mortali, imo nec sub veniali, ego enim obseruo silentium, ex virtute obedientiæ regularis, cogorque obedientia, quia cogor voluntate superioris volētis, quod si leam, quamuis de silentio non sit expressum præceptum formale, imò si hoc præueniens si leo perfectiori obedientia moueor. Hinc est, quod dum exequor consilia non exerceo propriè virtutem obedientiæ, nec cogor obedientia, quia consilium superioris non est voluntas beneplaciti illius, vt superior est, sed est voluntas signi, vt dicitur 1. *part. q. 19. art. ult.*

Igitur dum ante præceptum formale & expressum cognita volūtate superioris propria obedientia obedio, & exequor voluntatem Summi Pontificis, hac obedientia cogor, cuius rationem dedit D. Thom. *q. cit.*

9 quia † *obediens mouetur ad Imperium præcipientis quadam necessitate iustitiæ, sicut res naturalis mouetur ex virtute sui motoris necessitate natura.* Hæc autem necessitas iustitiæ est quæquam coactio moralis, etsi secundum virtutem, & rationis dictamen eo ipso, quod voto quis se alteri subiicit tãquam superiori & motori imperanti habenti potestatem, sine Imperiũ sit formale & expressum in virtute obedientiæ & Spiritus S. siue sit tacitũ & implicitum in volūtate Superioris volentis aliquid, quod iudicat expedire in ordine ad bonũ cõmune Ecclesiæ, aut Religionis, aut ipsius Religiosi, hæc enim volūtate est superioris, vt superior est, quare non sufficeret voluntas signi Summi Pontificis, qua mihi daret, vt acciperet dignitatem, quia hæc voluntas non est superioris, vt superior est, cui competit propriè præcipere. Vnde eius voluntas est tacitum præceptum si nobis innotescat, non sic voluntas signi, quæ est consilium; quare si exequor consilium Sum-

mi Pontificis non cogor obedientia eius, quia consilium, vt sic non est obiectum obedientiæ, quia nullam imponit necessitatem, vt egregiè adnotauit D. Caiet. *ubi supra §. cit.*

DIFFICULT. IX.

An votum hoc comprehendat saculares dignitates.

S V M M A R I V M.

1. *Votum generale est non procurandi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, ex Pellizario.*
2. *Votum absolute factum non obligat ad illud, quod raro, & rarissime contingit.*
3. *Dignitas Ecclesiastica non licite potest appeti, ex Syluestro.*

Sed nunquid inquireret aliquis? votum hoc & doctrinæ, quas de ipso adduximus comprehendat non tantum prælationem, prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas, sed etiam sæculares, ita vt ex vi illius teneatur quis non procurare dignitatem proregis, aut Præsidentis alicuius Consilij Regis, Regis Theaurarij. Pellizarius *ubi supra n. 269.* adfirmat, quia † *votum generale est non procurandi extra Religionem prælationem aliquam, vel dignitatem.* Vnde etiam si vnus ex nostris ad aliam Religionem transferatur ex Bulla Urbana supra relata inhabilis manet, tam ad Ecclesiasticas dignitates, quã ad sæculares. Ego quidem existimo non esse hoc certum, quia † *votum absolute factum non obligat ad illud, quod raro & rarissime contingit, Regulares autem raro, imò & rarissime prælationem, aut dignitatem, quam ambiunt Ecclesiastica est, ex vi cuius absoluitur à iugo monasticæ disciplinæ, & obedientia Regulari & subiectione à suo superiore, à quibus omnibus non absoluit dignitas sæcularis, vt Proregis, Præsidentis Consilij Regis, aut Gubernatoris alicuius ciuitatis quæ dignitates perpetuæ non sunt, sed temporaneæ, non enim comprehenduntur tanquam materia huius voti, neque ex vi illius tenemur illas non acceptare. Vnde teste Syluestro *verb. dignitas num. 5. quest. 2.* dicit, quod † *dignitas Ecclesiastica non licite potest appeti, aut quæri, bene tamen dignitas sæcularis potest quæri & appeti, quamuis ex aliis capitibus eas non deceat acceptare sine superiorum licentia & consensu, quæ danda non est nisi ob necessitatem boni publici.**

DIFFICULT. X.

An comprehendat votum non ambiendi officium Inquisitoris.

S V M M A R I V M.

1. *An sub materia voti comprehendatur officium inquisitionis.*
2. *Qui dicantur Prælati, Episcopi, & Superiores ex Nauarro, & n. 3.*

INquires secundo, † an sub materia huius voti comprehendatur officium Inquisitoris, siue in supremo consilio, siue in particularibus S. Officij Tribunalibus, & quidem officium qualificatoris, siue consultoris non comprehendendi praxis edocet. Sunt enim, tam in Societate, quam in nostra Religione plures his officiis honorati de inquisitore maius dubium est, quia Illustrissim. D. Ferdinandus Salazar è Societate Iesu, cum illi opponeretur Societas ne acceptaret Episcopatum in Hispania, effectus est inquisitor supremi Consilij Sanctæ, & Generalis Inquisitionis, quo officio per aliquos annos vsque ad mortem functus est. Vnde non videtur materia voti, si enim esset id non permitteret Societas, & quidem (saluo aliorum iudicio) non videtur hæc dignitas esse de illarum numero, quas non abire voto solemniter obligamur, cum non eximat à regulari obedientia, & iugo regularis disciplinæ, sed sub illa maneat sicut antea in iisque officio Inquisitionis non opponuntur, quare nõ est dignitas, aut Prælatura, quia attineant ad materiam voti etiam si copiosos habeat redditus, vt bene Nauarr. lib. 1. consil. 6. de filiis

2. *Præb. n. 4.* asserens † solos dici Prælatos Episcopos, & Superiores eorum præfectos Ecclesiis Collegiatis sæcularibus & Regularibus, & non alios & hic est (inquit) communis vsus loquendi qui attendendus est, quoad intelligentiam legum, (& per consequens votorum quæ leges sūt quas sibi quisque imponit) Rursus hoc officium est manuale & ad nutum Pontificis amobile cum sit delegatum. Vnde ex se non exiuit ab obedientiæ regularis iugo, & tandem, quia non est materia huius voti, quod quis prætendat beneficium Parrochiale sæculare, vt est communis sententia de qua Suarez tom. 4. de Relig. l. 3. c. 19. quia hæc non est dignitas, aut Prælatio, quam non ambire obligamur voto, nec illam recipere oblatam, quare Inquisitor nomen est officij, non dignitatis, quod etsi Ecclesiasticum potest licitè appeti, vt contra Angelum tenet Syluester ubi supra n. 7. q. 4. sed quid in hoc sentiendum Summi Pontifici & praxi curiæ Romanæ remitto:

DIFFICULT. XI.

Vtrum materia huius voti comprehendat Ethiopicos, & Indicos Episcopatus.

S V M M A R I V M.

1. *An materia voti, tam quoad receptionem, quam quoad prætensionem sint Episcopatus Indici.*
2. *Variorum Auctororum sensus afferuntur, & num. 3.*
4. *Iuramentum potest vergere in exteriorem exitum dupliciter, ex S. Thom.*
5. *Quid veniat dicendum de voto quo quis vouet non fore Episcopum.*
6. *Authorum iudicium adducitur, & nu. 9. 13. 24. & 26.*
7. *An iuramentum sit illicitum si quis iuret se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur.*
8. *Patris Thomæ Sanchez sententia propalatur.*
10. *An mortaliter peccet qui Episcopatum sibi oblatum non recipit, si dignum se credit.*
11. *Votum de non suscipiendo Episcopatu quomodo intelligatur, & n. 12.*
14. *Aug. mens adfertur.*
15. *Quandoviam votum quantum ad secundum vinculum non acceptandi dignitates non obliget.*
16. *An votum sicut & iuramentum de non acceptando Episcopatu sit impeditiuum maioris boni.*
17. *An possit esse obligatio, quod quis accipiat Episcopatum in utilitatem proximi & Ecclesiæ.*
18. *An votum & iuramentum seruandum non sit quum id quod promissum est voto, aut iuramento, non possit licitè fieri sine peccato.*
19. *D. Thomæ mens adducitur.*
20. *Necnon Patris Suárez, & num. 21. 22. & 23.*
25. *Expressum præceptum exprimit vim coactiuam.*
27. *Vrbanius VIII. sensus adducitur, & num. 28.*

INquires tertio, vtrum † materia huius voti, tam quoad receptionem, quam quoad prætensionem sint Episcopatus Indici, tam in India Orientali, quam in Occidentali nouus orbis dicta, Æthyopiæ, Iapponenses, & similes; qui magis sunt missiones ad seminandum Euangelium inter infideles, & dignitas datur, vt sint, qui functiones Episcopales exerceant, confirmandi, ordinandi, & similes, quam propter sumptus & redditus annuos quos habent. Vnde qui illos deside-

desiderant *bonum opus desiderant*, & sic & acceptare oblatos, & prætere, ut dentur & offerantur licitum est, & sic non potest esse voti materia illos non prætere, nec acceptare, & de his maxime videntur loqui multi & grauissimi DD. Antiqui, qui dicunt illicitum esse iuramentum de non acceptando

2. Episcopatu. † Ita Nauarrus in *Summa* c. 12. num. 16. Angelus verb. *Iuramentum* 5. num. 3. Syluester *Iuramentum* 2. q. 7. & clarius *iuramentum* 4. *quest.* 1. *vers.* 5. Antoninus 2. *part.* tit. 10. *cap.* 6. §. 4. Soto *lib.* 8. *de iust.* q. 1. *art.* 7. ad 2. quare idem de voto de simili materia, quia est de impeditio maioris boni, sicut si quis voueret de non ingrediendo religionem, quod teste D. Thom. est graue peccatum, quia præcluditur via Spiritui Sancto. Vnde Gregorius scribens Ioanni Episcopo *lib.* 12. *epist.* 6. & refert Ioannes Diaconus *l.* 3. *c.* 11. & refertur, *cap.* *Archidiaconum* 85. *dist.* quis repellitur ab Episcopatu, qui tactis Sacrosanctis Euangelis iusiurandum fecit, nunquam se ad Episcopatum accedere, quia iuramentum hoc temerarium fuit, ut notabili Glossa verbo *Sacro-sanctis*. vnde D. Thom. 2.

4. 2. *qu.* 89. *art.* 7. ad 2. quod † iuramentum potest vergere in exteriorē exitum dupliciter, siue quia est maioris boni impeditio, puta cum quis iurat, quod non fiet clericus, aut quod non accipiat prælationem in casu in quo expedit eum accipere. Huiusmodi autem iuramentum à principio est illicitum, differenter tamen, nam si quis iurat se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur peccat quidem iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni operis inspirator, non tamen peccat iuramentum seruando, sed multo melius faciet si non seruat. hæc S. D. qui sic commentatur alter Eminentissimus Thomas, *ibi.* §. ad hoc dicitur, quod non peccat nisi venialiter, nisi adeo pertinaciter iuraret, quod etiam in articulo necessitatis iuraret se non facturum, nam proculdubio mortaliter peccaret sic iurando, ut in *capit.* *Archidiaconum* 85. *dist.* de illo dicitur qui iurauit se nunquam fore Episcopum. Hoc enim est contra, debitum obedientiæ, vel charitatis, quod necessitatis non supererogationis est, & quidem, quod absolute iurans non fore Episcopum venialiter peccet, quia obicem ponit Spiritui Sancto probat, in sequentibus.

5. Quare idem † de voto, quo quis vouet non fore Episcopum, idem est prorsus dicendum, quia etiā hoc votum sicut & iuramentum obicem ponit secundum se Spiritui Sancto, sentiunt Palacios in 4. *dist.* 38. *disp.* 1. *ibi.* sed quid si aliquis ea lege vouet (non esse Episcopum,) ut eximat præcepti casum numquid culpabile esset votum. Respondetur iterum arbitrari esse culpabile, quia casus præcepti rarus est in hac materia, satis est, quod poterit esse salu-

bre Christi gregi, quod hic, vel ille fiat Episcopus, ideo non licet salubritati gregis Christi impedimentum offerre. Hæc ille, quod ante docuerat Syluester verb. *Episcopus quest.* 3. *n.* 4. *vers.* est autem mortale (ait) hoc recusare etiā si quis non adstringatur præcepto, sed consilio, & probabiliter credat, quod per alium eque bene prouideri non potest, quia est contra fraternam charitatem. quod ebitur è fonte Angelici Doctoris ubi supra. dicentes, quod † iuramentum est illicitum, si quis iurat se non facturum aliquid melius, quod tamen facere non tenetur, & peccat iurando in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni operis inspirator. Si enim subdiaconus voueret se non fore sacerdotem votum & iuramentum illicitum est. Ergo Sacerdos vouens non fore Episcopum absolute etiam est illicitum, quia utrobique Spiritui Sancto ponitur obex.

Propter, quæ † Pater Thomas Sanchez *lib.* 7. *Summ.* *cap.* 29. *num.* 67. tenet, quod præfatum votum non intelligitur, quantum ad Episcopatus, quibus honor & opes adnectuntur, non tamen quantum ad eos, quibus non honor, sed onus, non opes, sed paupertas maxime inest, quales sunt Patriarchatus & Episcopatus Æthiopiæ, & similes de his enim verificatur illud Pauli 1. *ad Tim.* 3. qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Quem locum explicans Diuus Gregor. 1. *part.* *Pastorib.* *capit.* 8. sic ait. tunc laudabile fuit Episcopatum querere, quum per hunc, dubium non erat, quempiam ad supplicia maiora peruenire & cum qui plebibus præerat primus ad martyrium ducebatur, quod similiter in prædictis Episcopatibus contingit, hæc fere Sanchez. quem sequitur Layman in *questiunc.* *Canonice.* *quest.* 192. iuxta quam sententiam existimo, quod Summus Pontifex declarat, quod quis sit valde utilis ad huiusmodi Episcopatus, quibus non cum tanta utilitate alius incumbat, etiam si Pontifex non præcipiat tenetur illos oblatos recipere, & satis vrgenter probant ea quæ adduximus.

Idem † puto esse dicendum si sacra Eminentissimorum Card. Congregatio de propaganda fide, consultatione habita cum Sanctissimo, idem declaret, vel propter virtutem singularem, vel idiomatis illius gentis, ad quam quis mittitur eruditionem, hac enim declaratione facta votum de non acceptando, obicem ponit Spiritui Sancto hoc est absque dubio, quod dicit Greg. *c. in Scrip.* 8. q. 1. si is qui valet omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem suum minime amare. & Aug. 1. 32. contra Faustum, c. 10. qui electus ab Ecclesia, ministerium Euangelizandi renuit, & qui curam lucratorum refugit aliorum, contemnitur & in opprobrium habetur ab Ecclesia. ubi etiam loqui S. Doctor. de

de Episcopis constat, quia ministerium Euāgelizandi iure diuino ordinario competit solum Episcopis, ut ait Trident. *sess. 5. c. 2. de reformat. & sess. 24. cap. 4. de reform.* alius verò ex delegatione. Vnde Glossa *cap. in scripturis.* dicit † *mortaliter peccare qui Episcopatum sibi oblatum non recipit si dignum se credit.* Quare eo ipso, quod quis dignus declaratur à Papa, vel à Sacra Congreg. iam votum non tenet & tenetur acceptare ex altiore obligatione & vinculo, neque enim semper requiritur necessitas, sed sufficit maior vtilitas, quia dignior quis declaratur, quam alius ad præfatam dignitatem, ut in alio simili docet Thomas Sanchez *vbi supra num. 68.* & sic quum D. Th. 2. 2. q. 185. *art. 2.* ad 5. quod † votum de non suscipiendo Episcopatu intelligitur, quod non suscipiat, nisi imminente necessitate, non intelligitur de necessitate extrema, ita ut nullus sit alius, sed de necessitate maioris vtilitatis, quam existere declarat Pontifex, aut Sacra Congregatio, ipso consulto, ob rationes speciales, quæ istum digniorem faciunt præ alio, quem iure diuino tenentur eligere iuxta Trident. *sess. 24. cap. 1. de reform.* quod asserit *mortaliter peccare nisi quos digniores & Ecclesia magis vtilis, ipsi (electores) iudicauerint.* Vnde eo ipso, quod quis declaratur dignior, aut aptior ad huiusmodi Episcopatus vtriusque Indiæ qui Missionarij potius sunt, quam honorarij, non videtur obligari voto de non acceptando si vltro offeratur & se iudicet probabiliter cum gratia Dei posse satisfacere.

Sed Pater Suarez *vbi supra cap. 9. num. 25.* dicit, quod † votum de non acceptando Episcopatum etiam intelligitur in huiusmodi Episcopatibus Æthyopiæ, quos sine obedientia & præcepto Papæ non licet ex vi voti acceptare, quia factò hoc voto nunquam, quis cogitur probabiliter iudicare esse maius Dei obsequium, at votum certum est de non acceptando sine præcepto, & sic votum possidet obligationem suam, quæ excludit obligationem dubiam, tum etiã, quia etsi certum sit, quod est maius Dei obsequium, in eo ipso, quod sit votum hoc obsequium non præstandi ob pericula sibi annexa nisi quis obligetur Papæ præcepto & facile sit Papæ illud imponere ex vi voti tenetur, quis præceptum imponere, quamuis enim regulariter non expediat, proprium præceptum superioris expectare, sed melius sit & altior obedientia simplici eius ordinationi & voluntati manifeste obedire, nihilominus in aliquibus rebus grauioribus in quibus, vel periculum animæ, vel affectus proprii honoris, aut commodi timeri potest consultius est, non moueri nisi ex proprio præcepto Superioris, quod egregiè adnota-

uit, Soto *lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 4.* dicens *quum res ardua est, eademque dubia, ut ad Indos navigatio, aut regimini onus suscipere, aut quid simile consilium est, ut Monachus non iustus, suo proprio iudicio tales subeat Prouincias, sed præfecti mandatum præstetetur.* Ex quibus liquet, quod potest sub voto cadere, maxime, quando à Pontifice Religio in qua est tale votum est confirmata, ut Societas, & N. Religio, quam doctrinam latè enucleat à n. 19. vsque ad fin. cap.

Ego vero in hoc grauissimo dubio dico, quod † cum votum hoc duplicem contineat obligationem, duplicique vinculo ex vi illius obligemur, altero non prætendenti, aut procurandi prælationem aliquam, aut dignitatem extra Religionem, hoc vinculum, cum ambitionem excludat quamcumque actionem externam procurandi, aut prætendenti circa quamcumque extra Religionem, Prælationem, aut dignitatem Æthyopica sit, vel Indica vtriusque Indiæ, aut alterius barbaræ nationis ligat & comprehendit, quia huiusmodi actiones ambitionem redolent dignitatum & honorum, quos per se adferunt etsi coniunctos laboribus, & ærumnis & occasione Martyrij, horum enim amor non constat sicut constabat in illis primitiuis temporibus de quibus Gregorius loquebatur *supra*, & sic nullus dixit, quod quis teneatur Episcopatum prætere, aut quætere, quamuis liceat de siderare, & appetere, ut quis eligatur tempore necessitatis vocatus à Deo tanquam Aaron. Vnde † August. dicebat. *Otium Sanctum* *quærit charitas veritatis negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit percipiendæ, atque intuepdæ veritatis vacandum est, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Hactenus S. D. *lib. 19. de ciuit. cap. 107.*

Dico secundo, hoc † votum quantum ad secundum vinculum non acceptandi dignitates huiusmodi non obligat, quando existit necessitas charitatis si sarcina Episcopatus imponatur, quia tunc suscipienda est propter charitatis necessitatē, hæc est Aug. expressa sententia verbis modo relatis, quam sequitur D. Th. 2. 2. q. 185. *art. 2. ad 3.* est ipsa mens Doctorum, quos adduximus asserentium, quod iuramentum de non acceptando Episcopatu etiam in necessitate charitatis, est iniquum, rursus est mens eorum, qui dicunt votum de non acceptanda hac dignitate esse nullum, quia loquuntur quum ad est iudicium probabile & prudentiale, quod sit obligatio charitatis & me acceptare futurum salubre gregi Christi.

Huius conclusionis fundamenta grauiora sunt. Primum, quia † hoc votum sicut & iuramentum de non acceptando Episcopatu, est

impeditiuum maioris boni non solum respectu mei, quia impedit ne satisfaciam obligationi charitatis, qua teneor succurrere vtilitati proximi, non solum existenti in extrema necessitate, sed etiam in vrgenti, tum etiam vtilitati Ecclesie vniuersalis, votum autem, & iuramentum, quod impedit maius bonum secundum se est vinculum iniquitatis, & non obligat, sicut votum de contrahendo matrimonium secundum se nullum est, sicut & iuramentum, nisi quis iuret homini, cui promisit.

17 Secundum, † quia potest esse obligatio, quod quis accipiat Episcopatum in vtilitatem proximi, & Ecclesie; ergo eo ipso quod quis probabiliter iudicet, quibus hic & nunc est talis obligatio tenetur illum acceptare, antecedens indubitatum est apud Patres & Doctores, quorum aliquos supra adduxi, & consequentia manifesta, quia obligatio charitatis potior & prior est, quam euertere nequit votum, quod semper habet imbibitam conditionem, si eius materia non est altiori precepto comprehensa, quare si sancti electioni suae resistere idē fecerunt, quia nondum formarunt prudens iudicium de obligatione charitatis, quia moti ex humilitate se ineptos iudicabant ad tantam dignitatem & postquam alij essent. Aptiores, digniores, vtiliores, postquam autem se obligatos ex charitate agnouere statim acceptarunt sarcinam, & onus dignitatis.

18 Tertium, quia † votum, & iuramentum seruandum non est, quum id quod promissum voto, aut iuramento, non potest licite sine peccato, *cap. quamuis pactum, de pact. in 6.* quia quod absque dispendio salutis aeternae, & peccato etiam veniali, aut impedimento maioris boni seruari non potest, obligare non potest, quia nullus obligatur ad iniquitatem: ergo eo ipso, quod quis prudenter iudicet, quod hic, & nunc est obligatus ex charitate ad acceptandum Episcopatum, votum istud euanescit, ex defectu materiae licitae, & honestae, vt ait S. Thom. 2. 2. q. 88. *art. 10. ad 2.*

19 Quartum, & rem concludens posuit † D. Thom. in *prafat. art. 10. in corpore*, his verbis: *Ille qui vouet quodammodo sibi statuit legem obligantem se ad aliquid quod est secundum se, & vt in pluribus bonum. Potest autem contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maiori boni impeditiuum, quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto: ergo si adsit hic & nunc obligatio charitatis de acceptando onere, & sarcina dignitatis extra Religionē suscipienda est propter necessitatem charitatis, quia materia voti sit illicita, inutilis & impeditiuua maioris boni.*

Quintum, quia etsi regulariter loquendo viri docti Religioni vtiliores sint Ecclesie in

suo humili statu immobiliter perseuerantes ministeria sua in docendo, predicando, libros cudendo, tamen possunt contingere plures casus, & occurrere variae circumstantiae, in quibus aptior; quis sit in regimine alicuius Episcopatus, in quo magis attenditur labor & ætuma in disseminando Euangelio, quam honor dignitatis, quæ per se non intenditur tantum, quantum vtilitas animarum: 20 in his enim & similibus necessarium non est expectare formale, & expressum præceptum Superioris, si est voluntas eius nota, quod acceptetur Episcopatus, quæ acceptatio altissima erit obedientia, hæc enim nihil habet de suo, nec sequitur proprium dictamen, aut prudentiam, sed dictamē & prudentiam Superioris, qui ipsum aptiorem iudicat, ad hoc ministerium, vbi autem obedientia in nihilo sequitur propriam prudentiam, & dictamen subditus obediens, procedit vt subditus nihil habens de suo, quamuis dignitas & locus Superior extra Religionem detur; subditus enim hic attendit in obediendo locum superiorem & dignitatē, sed *ex sola illusione*, tacita quæ est voluntas superioris, militiam Episcopalem ingreditur, quare non habet magis de suo, quam dum quis obedit superiori volenti, quod vadat ad Indos conuertendos; solum est discrimen, quod hoc subditus potest prætere, non vero dignitatē Episcopalem, quia in huiusmodi præensione multum habet de suo subditus, scilicet appetere honorem, at dum accipit: ex sola illusione appetit onus & sarcinam ex obedientia, & charitatis necessitate. Legantur S. Gregor. *lib. 35. moral. cap. 10. & 1. p. Pastor. cap. 6.* August. *serm. 5. ad Fratres in Eremito*, S. Clemens Papa *epist. 1.*

Sextum, ex doctrinâ P. Suarez *tom. 3. de 21 Relig. cap. 1. lib. 18. n. 12.* quam ad verbum referre decreui, est enim valde necessaria ad votum nostrum intelligendum: *Non est per se, & intrinsecè malum vouere acceptare Episcopatum: si ab illis temporalibus commodis præscindatur, & multo magis si contrariis incommodis iunctum sit vt erat in primitiua Ecclesia, & nunc in Sapponia, & China, & aliis similibus locis esse potest, loquor de voto acceptandi, quia tunc iudicium de dignitate personæ Superiori relinquitur, & ita tollitur periculum præsumptionis, alia vero pericula ex dicta conditione Episcopatus; ablata supponimus, unde procurare Episcopatum, etiam dictis conditionibus suppositis, quia tale desiderium supponit iudicium de propria sufficientia & dignitate, quæ existimatio de se ipsa periculosa est.* Quibus verbis rationem fundamentalem obtulit nostræ conclusioni: quia si validum est votum de acceptando huiusmodi Episcopatu ergo est de se meliori secundum se, ergo huiusmodi acceptatio non est materia voti nostri

nostri non acceptandi extra Religionem praelationem aliquam, nisi vouens cogatur præcepto eius qui præcipere potest sub peccato, vt vouent ipsi, vel nisi cogatur obedientia Summi Pontificis, quod *concl. 3.* amplius declaro.

- 22 Septimum ex alia eiusdem doctrina *ibid.* n. 13. explicantis materiam voti nostri solēnis, & sui simplicis. *Qui vouet non acceptare Episcopatum* (ait) *semper habet subiunctam conditionem nisi præcipiatur ab habente potestatem & ideo solum vouet non procurare illum, nec propria sponte, & quasi nixus suo iudicio de propria sufficientia illud accipere, nec propter temporalia commoda, sed propter solam obedientiam, vel necessitatem charitatis illum suscipere, & ita per huiusmodi votum non fugitur Episcopatus, vt status minus perfectus, sed fugitur modus minus perfectus ascendendi ad illū, & ita quoad hoc votum tale est de meliori bono, & non claudit ianuam maiori bono, quia semper patebit ingressus ad Episcopatum, si superior præcipiat.* Quibus verbis clarissime probatur nostra conclusio, quia quādo Episcopatum accipit quis non propria sponte, nec nixus proprio iudicio de sua sufficientia, sed propter solam obedientiam, aut necessitatem charitatis, hæc acceptatio non est materia voti nostri, quod semper habet conditionem imbibitam, nisi superior præcipiat illum recipere, aut declarat esse necessitatem charitatis, atqui præceptum superioris expressum & formale non requiritur, vt perfectissima obedientia, sed sufficit, quod Pontifex suam explicat voluntatem, qua ordina alicui, quod Episcopatum accipiat, vt ministravi *difficult. 8.* † quamuis non ordinet sub peccato, sed tanquam superior, rursus eo ipso, quod eligat in Episcopatum, iudicat, quod electus est aptior ad regendum oues, nam, vt vidimus ex Trident. semper eligendus est, ad Episcopatum aptior ad illius ministeria, & sic facto ipso declarat Pontifex, quod nullus alius aptius adimplebit munus suum, & succurret Ecclesiæ necessitati, certè quidem vt quis subditus nullatenus regatur proprio iudicio, sed totaliter subdatur obedientiæ sui superioris, actumque perfectissimæ obedientiæ exerceat, non videtur necessariū rigorosum præceptum, quamuis in pluribus requiratur potestas præcipiendi sub pœna peccati, vt simplici ordinationi propria obedientia obtemperet, quia ad obedientiam propriam requiritur præceptum saltem tacitum, ex vi cuius si quis non obedit, potest superior præcipere sub formali & expresso præcepto, quod sub pœna peccati obediat, quia
- 23 † expressum præceptum exprimit vim coactiuam quam habet superior, si ergo subditus perfectè obedit voluntati superioris sibi
- 24
- 25

manifestæ, ad quid exigitur formale & expressum præceptum, nam iusto non est positum præceptum, aut lex, vt dicitur 1. *ad Timot. 1. n. 9.* sed iniustis & non subditis, quia scilicet ad exequendam ordinationem superioris non exigit, quod lex ipsum cogat sub peccato, & pœna quantum ad vim coactiuam, vt est communis Patrum intelligentia Chrysoptomi, Euchumeni, Theophilacti. *ibi D. Th. lect. 2. Lyræ n. 1.* egregiè D. Aug. *in psal. 118. concio. 11.* Anselmi, Ambrosij, Iustini, & Cornelij à Lapide. Quare securè vnus ex nostris si Pontifex ordinet, quod accipiat Episcopatum sine formali & expresso præcepto accipit.

Dico tertio, † hoc præceptum tacitum, siue voluntas superioris ordinantis alicui ex nostris, quod Episcopatum Indicū, Æthyopicum, Iapponicum, Armenum, Chinensem & aliquos noui orbis accipiat, aut declaratio, quod obligat charitatis necessitas, à nullo alio superiore hodie dimanare potest, nisi à Summo Pont. qui sibi hoc præceptum, ordinationem, & declarationem priuatiuè, quod ad omnes alios reseruauit respectu Religiosorum quorumcumque ordinū habentium votum simplex, aut solemne, aut iuramentum. Hoc assertum hodie est indubitatum, quia definitum & decisum ab Urbano VIII. *in Bulla de ann. 1643. Pontific. sui ann. 20.* incipit *Honorum.* vbi habetur à nullo alio superiore Regulari, aut non Regulari posse hoc præcipi, aut ordinari sub quocunque motiuo etiam missionum.

Verum cum tam omnium superiorum (qui aliàs ante hanc Bullam poterat præstare) specificam imò & indiuidualem fecerit exclusionem, non tamen exclusit Congregationē, siue Regularium & Episcoporum, siue Congreg. de propaganda fide, quia videlicet huiusmodi Congregationes in rebus grauibus sicut est ista, nihil faciunt, aut decernunt inconsulto Summo Pontifice, qui si annuit cōsultus iam ordinatio ab ipso primo fonte dimanat de quo reseruatum est, solum bibere in hac materia, quare si huiusmodi Congregationes circa hoc aliquid decernant earum decretum tuto exequi potest, & debet quia Papa per has Congregationes declarat, aut præcipit, vt admittatur dignitas extra Religionem. Caterum aduerte, quod Bulla Urbana solum loquitur de Religiosis illis qui quartum votum de non acceptando extra Religionem praelationem, vel dignitatem emittunt, de alijs vero nihil innouat, sed suam vim relinquunt, sicut antea, nec sibi reseruauit Pontifex huiusmodi præceptum imponere, aut obligationem declarare.

DIFFICULT. XII.

Utrum Iuramentum Bernabitarum comprehendatur in Bulla Urbana.

S V M M A R I V M.

1. *An Bulla Urbana comprehendat Religiosos qui non sub voto, sed sub iuramento se obligant ad non acceptandum Episcopatum.*
2. *Ante quod decretum materia voti solum erat in hac Religione ad quam se extendebat intentio vouentis.*
3. *Secunda Bulla Urbana de quo voto loquatur.*
4. *D. Thom. & aliorum sensus.*
5. *An iuramentum factum Deo cum sit promissorium intrinsecè & essentialiter imbibat promissionem Deo factam, atque adeo sit votum.*
6. *D. Caiet. opinio afferatur.*
7. *An iuramentum Bernabitarum comprehendatur sub Bulla Urbana.*

Sed nunquid Bulla Urbana comprehendat Religiosos qui non sub voto, sed sub iuramento se obligant ad non acceptandum Episcopatum, sine Summi Pontificis præcepto, ut sunt Patres Bernabitarum, qui de hoc iuramentum & non votum emittunt Pellizarius t. 1. r. 4. c. 5. sect. 4. dicit, quod ex decreto Urbani VIII. quod habetur r. 4. & est in ordine 140. comprehenditur, ita ut Bernabita translatus etiam legitime ad aliam Religionem solus Summus Pontifex potest præcipere, quod accipiat Episcopatum, aut declarare, quod teneatur lege charitatis illum recipere & acceptare. Sed duo sunt decreta valde diuersa, vnum quod Religiosus translatus dimissus & expulsus qui voto, promissione, aut iuramento erat obligatus in priori Religione de non procuranda, aut acceptanda dignitate extra Religionem, manet etiam obligatus & ligatus in alia Religione, & hoc dicitur in decreto illo 140. iuxta quod in foro externo punietur, qui secus fecerit, at in foro conscientie non peccabit contra votum & iuramentum factum, qui iam cessabit cum cessauerit eius obligatio, quæ ante præfatum decretum solum erat, dum quis in illa communitate perseverabat, ut Suar. t. 4. de Relig. lib. 6. cap. 9. n. 12. & Diana p. 5. r. 2. Resol. 65. Pellizarius ubi supra vers. dixi in foro. dixi ego, ante præfatum decretum, ante quod materia voti solum erat in hac Religione, ad quam se extendebat intentio vouentis, at post præfatum decretum iam necessario ex vi constitutionum & huius decreti illarum declaratiui necessario votum, aut iuramentum extenditur etiam si quis sit translatus ad aliam religionem, aut

sit expulsus habitu regulari priuatus per sententiam damnationis ad triremes, teneatur enim in conscientia & non prætere, & non acceptare.

Alterum decretum seu Bulla Urbana est 3 de ann. 1643: quæ incipit *Honorum*. & hæc, ut legenti constabit, loquitur de voto solum, nec ullam mentionem facit de iuramento, & in iure, non ea quæ traduntur de voto traduntur de iuramento, & sic qui habet potestatem delegatam dispensandi in voto, vel ea commutandi, non habet eandem circa iuramenta soli Deo facta, ut tenent Azor 1. part. lib. 11. cap. 10. quest. 1. Nauarrus in Summ. Latin. cap. 27. num. 275. & lib. 2. consil. de iureiurand. consil. 3. aliàs 6. num. 6. Lopez part. 2. instructio. de claus. c. 9. vers. ad punctum. ergo cum Bulla Urbana solum loquatur de voto, siue solempni, siue simplici & nullam mentionem faciat de iuramento, sitque reseruatoria, & declaratoria, de voto intelligenda est, non de iuramento. Vnde reseruatio voti Religionis, aut castitatis respectu Summi Pontificis non comprehendit iuramentum etiam si sit factum Deo, † quia ut ait D. Thom. 2. 2. quest. 89. art. 8. & ibi D. Caiet. vers. sed differentia, quos sequuntur. Tabiena verb. iurare num. 21. q. 20. Nauarrus ubi supra num. 4. & 5. Ledesma 2. part. Summa tract. 11. num. 2. & alij doctissimi Neotrici, ut refert Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 13. n. 3. vinculum voti maius est, quam iuramenti, & sic videtur Urbanus VIII. solum reseruasse, votum non iuramentum.

Sed in contrarium est, quia † iuramentum factum Deo cum sit promissorium intrinsecè & essentialiter imbibit promissionem Deo factam atque adeo est votum, ut tenet Aragon 2. 2. quest. 89. art. 9. ubi D. Caiet. statim in principio. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 14. a num. 6. & Sanchez lib. 4. Summ. c. 53. num. 9. Soto lib. 8. de Instit. quest. 1. art. 9. Toledo lib. 4. Summ. cap. 23. num. 2. Azor ubi supra quest. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 4. & est communis sententia, quam eruditè confirmat Sayrus in clau. Regia lib. 5. cap. 8. nu. 9. & D. Thom. intelligendus est, quum iuramentum sit homini propter ipsum hominem. Quare hoc mihi arridet ex fundamento Caietan. ubi supra art. 9. §. in art. 9. Quia † cessante præiudicio hominis, ista iuramenta subiiciuntur Ecclesie potestati, sicut & vota, & cum iuramentum sit minus obligatorium, quam votum, consequens est, ut omnia iuramenta subsint inferioribus Papæ, quæ si essent vota subessent eisdem, quia concessum est posse ordinare in maius concessum est posse ordinare in minus, & similiter videntur reseruata omnia iuramenta Papæ, quæ si essent vota essent Papæ reseruata, ut iuramentum de castitate, & huiusmodi.

Hæc

7 Hæc Caiet. ex quibus liquet, quod † iuramentum Bernabitarum comprehenditur sub Bulla Urbana citata, vbi autem militat eadem omnino ratio, militat eadem iuris dispositio, vt est axioma inter vtriusque iuris Doctores receptissimum.

DIFFICULT. XIII.

Quis, & à quo possit cogi, vt dignitatem extra Religionem accipiat.

S V M M A R I V M.

1. An dignitatem intra Religionem accipere & in electionem ad illam consentire possit quis adstringi per electores Regulares præcepto sub mortali.
2. De coactione extra Religionem accipiendi dignitatem quid veniat dicendum.
3. Variorum Authorum sententia adducuntur.
4. An sede vacante in aliis Ecclesiis Canonici habeant iurisdictionem ordinariam Episcopi.
5. Ratio difficultatis assertur, & n. 6. 7.
8. An multo modis possit canonice electus in summum Pontificem cogi & obligari sub mortali, vt acceptet Sum. Pont. & n. 9.
10. Collegium Eminentiss. Cardinalium in conclauis inclusorū in quo tractatur de electione Summi Pontificis, habet potestatem precipiendi ei qui canonice est electus, vt acceptet summam dignitatem.
11. Societas & corpus mysticum Ecclesie compactum & institutum est iure diuino ex capite visibili Summo Pontifice & aliis membris.
12. An illis quibus ius diuinum concedit, quod plus est, concedat quod minus est.
13. Cardinales sede vacante si forte sit schisma possunt legitime conuocare Concilium vniuersale, ad sedandum schisma.
14. In Collegio Cardinalium in conclauis inclusorum, an resideat potestas iure diuino naturali sibi concessa ad precipiendum electo canonice, vt acceptet.
15. Prouiso de capite vniuersali corporis mystici Ecclesie vbinam stet.
16. An Cardinales electores facta electione ante acceptationem non sint Superiores electo.
17. Bonae mens adducitur, necnon Authoris iudicium, & n. 18. 19.
20. An Collegium Cardinalium durante sede vacante nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat in iis quæ pertinent ad Sum. Pont. dum viueret.

1 DIXI extra Religionem, quia † dignitatē intra Religionem accipere & in electionem ad illam consentire certum est posse electores Regulares Prouinciales, aut Ge-

neralem adstringere & obligare præcepto, sub mortali est hoc indubitatum, si enim nō esset potestas in Religione, qua cogeretur subditus præcepto formali ad acceptanda officia regiminis Regularis, sed expectandum esset, vt de foris hæc coactio adueniret, valdè difficile redderetur regimen regulare, cum meliores & aptiores ferè semper excusentur, nisi cogantur, & dubio procul est materia voti obedientiæ regularis, quod quis in huiusmodi acceptatione obediat, cum ad Regulæ obseruantiam dirigatur, ad quam potest obligari formali præcepto.

De coactione ergo † extra Religionem accipiendi dignitatem, certum etiam est, vt vidimus, quod si loquamur de illis Religiosis, qui habent votum, aut Iuramentum ex vi Regulæ est indispensabile, aut relaxabile tale votum ab alio quam à Summo Pontifice, sic decernente Urbano VIII. sua Bulla quæ venerata est & recepta in Hispania, cū sit decretum Regium, vt nullus suæ Maiestati proponatur, aut nominetur, aut præsetetur ad Episcopatum, ex his qui tale votum emisere, dixi ex vi Regulæ, quia si quis emisere votum particulare ex deuotione sua, aut humilitate non acceptandi dignitatem extra Religionem, poterit superior illud irritare, aut dispensare, aut commutare, & cogere subditum si alias aptiorem iudicat, vt ob bonum Ecclesie, aut specialem honorem Religionis talem dignitatem acceptet. Dixi etiam in Religiosis, qui habent quartum hoc votum, nam si nolint non obstante Bulla Urbana possunt cogi formali præcepto à suo superiore, vt acceptet, vt supra diximus.

Sed nunquid Religiosos habentes ex vi Regulæ votum præfatum, quod sibi declarandum referuauit Pontifex, qui solus cogere potest tales Religiosos, vt acceptent obedientia sua, tacito præcepto, aut expresso, id possunt Eminentissimi Cardinales in Sede Apostolica vacante, dum sunt in conclauis tractantes de electione conclusi, & congregati. † Negant Pellizarius num. 256. ex Sanchez lib. 2. Summ. cap. 10. n. 44. Valdelus infra citandus. Adfirmant Vgolinus lib. de censuris Papa referuat. 2. part. cap. 1. verb. ac eorundem libror. §. 1. n. 1. vers. 2. Henrriq. lib. 14. de Irregularit. cap. 18. num. 2. & alij quos refert Glossa cap. unico verb. sede de Schismati. in 6. qui textus, (ait Sanchez) huic sententiæ fauet Hostiensis, cap. cum ex eo in fine. de penit. & remissio. vbi id valdè neruose, & efficaciter confirmat non enim videtur esse ratio efficax, cur † sede vacante in aliis Ecclesiis Canonici habeant Iurisdictionem Ordinariam Episcopi, & non habent Iurisdictionem DD. Cardinales in Sede Apostolica vacante. Neque obstat, (ait Hostiensis) ex hoc posse schisma, scandalum, & vacationem diuinam

diutinam suscitari, quia id posset esse verum, si indistinctè concederetur, sed restringi debet ad necessaria vel vtilia Ecclesiæ, seu Reip. quibus omnino prouidendum est, *cap. scias. 7. quest. 1.* sed quid sentiendum dicam infra. De Concilio autem Generali legitime congregato in casu schismatis ad tractandum de electione veri Pontificis, & depositione schismatici, & Cardinalium, qui schisma fouent, & schismaticum defendunt, an possit hanc coactionem facere præcipiendo, vt quis Episcopatum accipiat, etiamsi ligatus sit voto de non acceptando, idem dicendum est, ac de congregatione Cardinalium in Conclau, Sede Apostolica vacante, de qua quid sit sentiendum iam enucleo.

- 5 Maior difficultas est, ¶ an si sacrum Cardinalium Collegium in Conclau inclusum aliquem ex Eminentissimis Cardinalibus in summam dignitatem eligant, & electus nolit acceptare, & consentire possit Collegium sub formali præcepto cogere, vt accipiat, consentiat, & acceptet. Cardinalis de Lugo, *lib. 3. responsionum Moral. dub. 5. num. 18.* dicit difficile videri hanc potestatem absolutam præcipiendi, vt acceptetur electio; quia huius potestatis exercitium nunquam legitur in historiis Ecclesiasticis, ad executionem reductum, etsi constet multos restitisse, precibus tamen, & instantia cleri, & populi Romani consensum præbuisse, vt constat in *Victor. 111. Ann. 1083.* nunquam tamen præcepto coactos inuenimus. Probatum secundò, quia nullus videtur esse in terra, qui id posset præcipere Summo Pontifici, cum nullus sit in terra superior illo, quamuis enim ante acceptationem non sit adhuc Summus Pontifex, atque ideo sit subditus Ecclesiæ, & eius legibus, ac præceptis teneatur, in ipso tamè momento in quo acceptat, eo ipso desinit esse sub eius potestate, & iurisdictione, atque adeo non apparet quomodo eodem momento possit tanquam subditus exercere actum propriæ obedientiæ, & acceptare Pontificatum propter obligationem obedientiæ, quam obedientiam eo ipso instanti exercere non potest cum iam tunc, si acceptat nullius in terris sit subditus, nec possit alicui propriè obedire.

Hæ rationes Doctissimi Cardinalis nullius ponderis sunt, & facile dilui possunt, vt ipsemet dicit in fine dubij, vbi indecisam relinquit dubitationem. *Ego enim (inquit) in hoc puncto nihil definire audeo, sed casu occurrente iudicio Ecclesia acquiescerem, que melius potestatem suam Deo illuminante agnoscere posset.* Hactenus Eminentiss. & quidem motiua adducta nihil in re, tam graui concludere. Mihi manifestum est: Non primum, quia etsi nūquam factum legatur, quod ele-

ctores Pontificis illi imposuerint præceptū, vt acceptet hoc ideo factum est, non quia non possint sic præcipere, sed quia non iudicabant necessarium, priusquam aliis modis suauioribus ob reuerentiā personæ, quæ futura erat caput Ecclesiæ vterentur, etsi aliquantulum differretur acceptatio, vt contigit in electione Victoris III. Præceptum enim vltimum est remedium ad iubendum. Præterquam, quod non est optimum argumentum, nunquam hoc est exercitium; ergo non potest exerceri, nunquam enim visum est, quod Pontifex dispenset in Ecclesia Latina, quod si ipse vel alius Episcopus habeat uxorem: ergo non potest dispensare, mala est illatio, vt pote à negatione exercitij ad negationem potentæ. Secundum etiam argumentum prorsus est inefficax, vt visum in simili supra, *difficult. 3.* vbi quam sit inerte multis monstrari, quæ hic repetenda non sunt.

Igitur existimo ¶ multis modis posse canonicè electū in Summum Pontificem cogi, & obligari sub mortali, vt acceptet Summum Pontificatum. Primò, si fiat Pontificia, aut Conciliaris Constitutio, quod electus canonicè non renuat, sed acceptet summam dignitatem ob Ecclesiæ bonum, & ne differatur electio, quæ dilatio si nimia est magnum infert Ecclesiæ damnum, & detrimentum in eius gubernatione, & regimine, quæ lex cum sit grauissima, & de re concernente vniuersam Ecclesiam, dubio procul vniuersos Cardinales obligat in casu quo illigatur quisque illorum, illique imperat sicut quælibet alia lex subditis legislatoris, & Cardinalis electus subditus est illius legis quousque acceptet, & acceptat (si vult) ex obedientia illius legis, quamuis in instanti, in quo acceptat desinat esse subditus, verum enim est dicere nunc non est subditus, & immediatè ante toto tempore antecedenti fuit subditus illi legi, ex vi cuius & ipsius imperio cogitur ad acceptandum, quia acceptatione fit non subditus.

Secundo si fiat Pontificia cōstitutio, quod propter pacem, & bonum vniuersale Ecclesiæ omnes Cardinales iurent, & promittant se non restituros electioni de se factæ in Summum Pontificatum, sed consensuros illi, neque ad hanc constitutionem faciendam nõ requiritur magna Ecclesiæ necessitas, sed solum sit præseruatiua, ne schismati locus detur, ne cū damno Ecclesiæ electio capitis vniuersalis differatur, ne Regum & Principum politicis prætensionibus ostium apertum sit, sed etiam ac Spiritus Sanctus mouit electores, vt hanc eligerent certificetur Ecclesia, quod hic & nunc, & in præsentibus circumstantiis hic electus aptior, & dignior est cum sit de fide per se secundo,

ut legi Romæ *anno* 1625. quod hic homo verbi gratia Alexander VIII. electus canonicè est Petri successor, quod enim electio hæc sit infallibiliter certa, non pendet ab acceptance electi, sed ab electione Cardinalium, quibus in hac electione spiritus Sanctus infallibiliter assistit, propter Ecclesiæ tam necessarium bonum quale est ipsius visibile caput in terris. Quare huiusmodi constitutiones, & leges canonicas, quamvis de facto non extiterint in Ecclesia, posse tamen existere de plenitudine potestatis Pontificiæ mihi adeo certum est, ut hanc potestatem negare mihi tutum non sit, quod sequenti discursu confirmabo.

10 Tertiò, existimo † Collegium Eminentiſſimorum Cardin. in conclavi inclusorum in quo tractatur de electione Summi Pontificis, & de providendo capite visibili Ecclesiæ, Christi Vicario, & successore Petri habet plenam potestatem (si ita expedire ad bonum commune, & rectum ouilis Christi regimen iudicauerint) præcipiendi ei, qui canonicè est electus ut acceptet dignitatem Summam sui que electioni consentiat. Hoc mihi certissimum est ex pluribus primò, ex demonstratione quam ponit S. Thom. *lib. 3. de Regim. Princip. cap. 11.* agens de Principe exigente tributa cui exigentiæ tenentur subditi parere, & Principi obedire, ubi sic ait S. Doctor. *Principes suis stipendium debent esse contenti, nec subditos suos grauari possunt in bonis eorum, & rebus nisi in duobus casibus videlicet ratione delicti, & pro bono communi sui Regimini. Quod pro bono Reipubl. possit exigere, sicut pro defensione Regni aut pro quacunque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune sui Domini. Ratio est in promptu quia supposito quod humana Societas sit naturalis omnia necessaria ad communem conseruationem dictæ societatis erunt de iure natura, sic supposito dominio regali potest Rex exigere à subdito quod ad bonum ipsorum requiritur, & infra. Rex qui est artifex Architectus dictæ societatis non debet deficere, sed omnem defectum supplere cum ipsa societate.*

11 Quæ demonstratio naturalis Politica in ciuilibus manifestas habet vires in presenti, quia † societas, & corpus mysticum Ecclesiæ compactum, & institutum est iure diuino ex capite visibili Summo Pontifice, & aliis membris ergo omnia necessaria ad communem, & integram hanc Ecclesiasticam societatem integre conseruandam de iure diuino est, ergo supposito quod Eminentiſſimis Cardinalib. in conclavi inclusis competit providere de capite, & quod corpus mysticum *zephaloticos* consistat habens visibile caput, ex vi huius potestatis electionis, si prudenter iudicent imponere præceptum electo, ut acceptet iure diuino

habent potestatem ad id imponendum, quia aliter Ecclesiæ corpus conseruari nequit, nisi expositum magnis periculis, & magnis detrimentis in regimine Monachico, quod instituit Christus, & quidem multo magis est hoc necessarium, quam quod Rex possit imponere subditis tributa, exactiones, & gabellas ad bonum commune sui Regni, & regiminis conseruandum, hæc autem potestas Cardinalium restringenda est ad necessaria, & vtilia Ecclesiæ quibus providere tenentur ex vi potestatis electionis sibi à Deo traditæ, si diu procrastinetur vacans Sedes Apostolica, & omnia negotia Ecclesiæ in suspenso maneat.

Secundum, quia † illis, quibus ius diuinum concedit quod plus est, concedit quod minus est maxime si hoc ordinatur ad exequendum id quod maius est, & ad quod per se datur potestas faciendi illud *cap. cui licet de Regul. iur. in 6. leg. non debet D. eodem.* Hinc est quod † Cardinales sede vacante si forte sit schisma, possunt legitime conuocare Concilium vniuersale, & præcipere Episcopis ut conuocentur in tali loco ad schisma sedandum, & Concilium hoc legitimum in ordine ad id ad quod legitime est conuocatum potest præcipere iis, qui prætendunt ius ad Pontificatum ut cedant iuri suo, ut provideatur de certo capite Ecclesiæ, potest priuare Cardinales qui schisma fouent, aut excitarunt, iure eligendi, imo, & ipsum Concilium simul cum Cardinalibus, qui supersunt potest eligere Pontificem, & in ordine ad hoc potest facere quidquid iudicauerint P.P. necessarium, ut Ecclesiæ caput visibile certum, & indubitatum sit, vnde si opus fuerit Concilium potest præcipere electo, ut dignitatem accipiat, ergo cum quantum ad hoc eadem potestas insit Dominis Cardinalibus in conclavi, sede Apostolica vacante, si ipsi iudicauerint expedire præcipere electo ut acceptet, id dubioprocul possunt præcipere, quia non solum habent ius suffragij ad electionem, sed etiam habent potestatem ad providendum de capite visibili Ecclesiæ, aliàs non esset sufficienter prouisum à legislatore Christo ad continuandum suæ Ecclesiæ caput. Relinquere autem hoc prouidentia extraordinaria ut signis, & miraculis factis mōstretur à Deo quod iste cōuenit, ut sedeat in Cathedra Petri, & talibus miraculis cogatur ad acceptandum sicut aliquando factum est tam respectu Summi Pontificatus, quam aliorum Episcopatum, hoc non est prudenter dictum, quia miracula nō sunt petenda, aut expectanda à Deo in rebus quæ ordinaria via possunt exequi, aliàs enim si expectatis miraculis ea Deus non operaretur, regimen humanum turbaretur, & esset occasio magnarum litium, &

14 schismatum, satis ergo multo est dicere † in collegio Cardinalium inclusorum in conclaui residere potestatem iure diuino naturali sibi concessam, ad præcipiendum electo canonice vt acceptet, si hoc necessarium iudicauerint, ad defensionem, & pacificationem Ecclesiæ, quia ea possunt præcipere quæ ad hunc finem possunt deseruire, vt bene Suárez *lib. 4. de legib. cap. 6. n. 4.* loquens de Concilio congregato tempore schismatis *in n. 7.*

Tertium, quia licet penes collegium Cardinalium iure Clementinarum, & nouo Pij V. vt dicam modo non resideat iurisdictio Pontificis, sed solum potestas ad prouidendum de capite vniuersali corporis mystici Ecclesiæ, cæterum hæc prouisio de capite non stat perfecte in præcisa electione Canonica, sed in hoc quod de facto sit caput, quod influat in membra, & non influit, ex hoc præcisè quod eligatur, nisi electus acceptet, & consentiat electioni; ergo cum potestas ad dandum caput Ecclesiæ non sit data imperfecta à Christo, necessario est concedendum quod perfectissime sit electoribus concessa, quam sic non habebunt nisi possint Cardinales in conclaui præcipere electo quod acceptet, aliàs non esset perfecte prouisum Ecclesiæ de capite suo constituendo ab electoribus, reducere autem quod Pontifex electus consentiat, ad lumen internum quo electus agnoscat se resistere diuinæ voluntati non consentiendo, & ad specialissimam, & extraordinariam prouidentiam Dei, qua Deus ipse disponit quod consentiat si electus est necessarius ad regimen Ecclesiæ potius est diuinare, quam asserere prudentius enim dicitur, & humano modo operandi conuenientius, quod Cardinales electores possunt præcipere electo vt acceptet. Et quidem omnino falsum est, quod

16 † Cardinales electores facta electione ante acceptationem non sint Superiores electi, & quod electus non est subditus Ecclesiæ, & eius legibus, siquidem ante acceptationem, non est re ipsa caput Ecclesiæ, nec est vicarius Christi, & Petri successor, nec aliqua omnino iurisdictio illi data est à Christo Domino, vnde si acceptationem contra aliquam legem Ecclesiæ qua tenentur etiam Cardinales operaretur, peccaret absque dubio, sicut & alij, & incurreret censuram sicut, & alij à qua si nõ acceptaret esset absoluendus, illi ergo potest Cardinalium conclaue præcipere vt acceptet, quod † tenent Bonac. *in pract. de electio. Summi Pontificis quest. 2. n. 1. 2.* Sopranus, Bonacin. Præceptor *in simili tract. lib. 1. cap. 18.* Quare miror Cardinalem de Lugo *ubi supra num. 15.* dixisse non inuenisse se aliquid ab Auctoribus definitum cum id antequam Cardinalis prælo mandaret re-

sponsa, Sopranus, & Bonacina hoc punctum desinierint.

Existimo quartò, si loquamur de iure Canonico Decreti, & Decretalium etiam in sexto libro, Collegium Cardinalium in Conclaui, Sede vacante habet iurisditionem in his quæ grandi necessitate euidenti, & imminenti expedire oportet. Hæc est sententia. Hostiens. *ubi supra*, & aliorum quos retuli, quorum fundamenta congeffit Glossa *cap. vnic. de schismati. in 6.* quæ valde vrgentia sunt, & videri quisque potest; & satis innuit Bonifacius VIII. *ibi*, vt notat Sanchez *citatus*.

Si tamen loquamur iure clementinarum, & aliorum Pontificum Summorum constitutionum à Pio V. & aliis successoribus eius irritum & inane decernitur, si cœtus Cardinal. duxerit exercendum (*Sede vacante*) aliquid iurisditionis, quæ pertineat ad Romanum Pontificem, dum viuuit, quod eleganter explicat vbi Glossa. Totum id clarissimè exprimitur in Bulla Pij V. quæ incipit, *In eligendis*, quam edidit super electione Pontificis *ann. 1562.* vbi decernitur. Quod † Collegium Cardinalium durante Sede vacante nullam omnino potestatem, aut Iuris-
28 dictionem habeat in iis quæ pertinent ad Summum Põtificem dum viueret, & quod, nec gratiam, nec iustitiam potest facere, aut executioni mandare, nisi iam erat facta per Pontificem. Quare ita tenent Suarez *de legibus, lib. 4. cap. 6. num. 5.* Salas *disput. 8. sect. 8. num. 45.* Bonacina *disputat. 1. quest. 1. punct. 3. numer. 26.* Azor *2. part. lib. 4. cap. 3. quest. 1. Diana part. 5. tractat. 2. resolut. 9.* vbi plures citat.

DIFFICULTAS XIV.

Vtrum si Pontifex sine causa vni ex nostris præcipiat, quod acceptet extra Religionem, aliquam dignitatem, teneatur, vel possit, eam acceptare?

S V M M A R I V M.

1. An si Pontifex sine causa, & pro suo libito vni ex nostris præcipiat quod acceptet Episcopatum ad quem non acceptandum obligatus ex voto existit, possit vel teneatur illi obedire.
2. Obligatio orta ex voto non est absoluta, sed dependens ex præcepto Papa.
3. Authoris iudicium adducitur. & n. 4. & 5.
6. Omnis dispensatio voti debet fieri ad honorem Christi in cuius honorem dispensat Pont. vel ad utilitatem Ecclesiæ qua est eius corpus. Ex S. Thoma. & n. 7.
8. Aliud est de dispensatione, & aliud de commutatione iudicium, ex Caiet.

9. *Quo dignius est votum, & ad observantiam regularem, vitamque Religiosam conservandam; eo maiorem causam dispensandi exigit. & n. 10.*

QVod inquiri de vno ex nostris etiam inquiritur de quocunque alio, qui ex vi Regulæ suæ emittit votum siue solemne siue simplex de non acceptando Episcopatu, non est ita facilis explicatu difficultas, etsi enim Pontifex si in legibus suis dispenseret teneat dispensatio, & ea subditus dispensatus licite uti valeat, & aliquando teneatur ea ut, tamen quum obligatio voti sit iure diuino, in quo Pontifex sine causa nequeat, dispensare, & in ista non subsistit, dispensatio nulla est, nec tuto ea quis uti potest, iure dubitatur, an si Pontifex sine causa, & pro suo libito mihi præcipiat, quod acceptem Episcopatum, ad quem non acceptandum obligatus ex voto existo, possim, & tenear illi obedire.

Pellizar. tom. 1. *Manual. tract. 4. cap. 5. sect. 4. n. 165.* ait, quod hoc potest fieri tuta conscientia, quia si obligatio orta ex hoc voto non est absoluta, sed dependens à præcepto Papæ, quare est conditionalis nisi ad sit præceptum Papæ, quare hoc præcepto posito non verificatur conditio, & sic obligatio non exerit vires suas siue præceptum ponatur cum causa siue sine illa quia in voto non exprimitur hoc, sed præceptum Papæ, quare præcipiente Papa voti obligatio evanescit, & sic possum acceptare, sicut votum Religiosorum factum ab ipsis de ieiunando, orando, & similibus, cum habeat hanc conditionem imbibitam, ut obliget, quousque Superior irritauerit, eo ipso quod irritet siue cum causa, siue sine illa huius voti vinculum omnino dissolvitur.

3 Sed hæc sententia non est usquequaque vera si quia vel Pontifex dum præcipit utitur potestate dominativa irritando votum emissum, & hoc dici non potest, quia alias sine præcepto posset irritare votum hoc, & omnino Religiosum ab illo liberare pro suo libito, sicut potest quilibet Superior Religiosus irritare vota quæcunque facta à suo subdito, etiam sine causa, hoc autem dicere de hoc voto siue solemni, siue simplici siue iuramento facto ex vi Regulæ omnino absurdum est, quia pertinet ad substantiam regulæ, ab ipsomet Pontifice confirmatæ, qua confirmatione stante votum hoc non potest irritari, quia confirmatio regulæ confirmat votum regulæ, quo stante implicat, quod irritetur, & quod non obliget, quia stante voto eius obligatio est de iure naturæ, ut egregie aduertit D. Caiet. 2. 2. quest. 88. art. 12. *S. ad secundam questionis evidentiam. ver. & propterea, & cum nullus Superior Regu-*

laris nequeat illud irritare, etiam nec Pontifex potest, quia ut Pontifex non habet (ut sic liceat loqui) potestatem dominativam (à qua dimanat posse vota irritare) sicut quilibet alius Superior Regularis in suos subditos, cum hæc fundetur in voto obedientiæ solemnis qua tenentur obedire Papæ tanquam altiori Superiori Regulari, ut bene aduertit Thom. Sanch. lib. 8. in Decalog. cap. 33. num. 13. non enim Papa quatenus Papa habens iurisdictionem in omnes fideles potest vota Religiosorum irritare, sed quatenus Papa, cui promittitur obedire secundum regulam.

Vel præcipit utendo plenissima potestate iurisdictionis, quam habet in omnem fidelem ut dirigat in finem supernaturalem, & secundum hanc potestatem procedit dispensando in voto, atqui ut huius dispensatio valida sit, requiritur causa, & sine illa dispensatio non subsistit, quia ut ait D. Thom. art. 12. cit. si *Omnia dispensatio voti debet fieri ad honorem Christi in cuius honorem dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ quæ est eius corpus, quod egregie enodavit ibi Dom. Caietan. S. cit. versic. ex hæc tamen parte.* Potestas autem à Christo data Prælati in ædificationem ex hac parte commutat, & dispensat. Vnde ut valida sit dispensatio causa exigitur, alias dispensandi potestas non esset data in ædificationem, sed in destructionem.

Cuius egregium, & solidum fundamentum posuit D. Thom. art. 12. cit. ad 2. contra quosdam qui asserbant, quod subditus absque omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere quicumque sibi à Prælato dicuntur: quia intelligitur conditio si placuerit Patri, vel Domino, vel si non renitentur, ait: *Sed prædicta positio falso innuitur, quia cum potestas prælati spiritualis, qui non est Dominus, sed dispensator in ædificationem sit data, & non in destructionem. 2. ad Corinth. 10. Sicut Prælati non potest imperare ea quæ secundum se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere, quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera, & ideo absolute potest homo vouere ea, ad prælatum autem pertinet diiudicare, quod sit magis virtuosum; & Deo acceptum, & ideo in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa nullâ apparenti casu obstante. quæ D. Caietan. ibi, S. ad evidentiam causa, mirifice enucleat dicens, sciendum est, quod si aliud est de dispensatione, aliud de commutatione iudicium. Nam quia dispensatio tollit ex integro votum tam quoad materiam, quam quoad vinculum, oportet causam obstantem executioni voti interuenire ad hoc, ut licite deseruatum votum non esse seruandum, alioquin dissipatio est; non dispensatio, nec obstat an causa obstat sit ex natura*

puta infirmitate, aut ex malitia hominum excitata, ut si bellum civile non potest sedari, nisi puella habens votum continentiam nuberet, & hoc intendit Author in littera O. 2. Concurrente autem obstante causa qua redderet executionem voti impeditivam maioris boni dispensatio ad honorem maiorem Christi, proculdubio fieret, quia facere maius bonum est magis honorare Deum, sed adverte quod debet esse bonum, quod est causa dispensandi maius non solum bono, quod erat materia voti, sed bono quod erat ipsum votum, quod est actus latria, quoniam utrumque cessat, scilicet votum, & materia.

Ex qua utriusque Thomæ doctrina, quæ certa est, & communiter recepta, ut videre est in Thoma Sanchez ubi supra cap. 45. n. 15. † quo dignius est votum, & ad observantiam regularem, vitamque religiosam conferuandam, eo maiorem causam dispensandi exigit, ex hac inquam doctrina colligitur, quod dum in quarto voto aut iuramento de non acceptando Episcopatu, aut aliâ dignitate extra Religionem, nisi interueniat præceptum siue tacitum, siue expressum Pontificis, hoc debet intelligi, quod sit prudentiæ actus ex ratione directus, quod ha-

bere nequit, nisi habeat causam rationabilem, præcipiendi attentio statu & aliis circumstantiis occurrentibus in subiecto, aliàs præceptum non erit, nec voluntas Superioris, ut Superior est, quare nec possum, nec teneor illi obedire, cum hoc præceptum, non sit de re ad regulam pertinente, imo sit contra finem regulæ, & Religionis, quæ intendit, ut filij sui semper eius vbera sugant intra suum finem, & gemium perseverantes, nisi adsit causa vrgens.

Veri est quod si mihi non constet certo moraliter, quod Pontifex non habet causam præcipiendi, vel de hoc dubito, & possum & teneor obedire Papæ præcipienti, tum qui non est præsumendum, quod non habeat causam, tum quia est in possessione præcipiendi à qua ob dubium meum excludi non potest. Vnde constat, quam friuolum est fundamentum Pellizarij, eo enim ipso quod exprimitur in voto conditio, nisi Papa præcipiat includitur, quod debeat interuenire causa, quia in hoc præcepto imbibitur dispensatio saltem tacita, quæ non subsistit, sine causa sufficienti ad dispensandum

FINIS LIBRI QVARTII.



LIBER QVINTVS,

Variarum Resolutionum casuum particularium circa iura filiationis Regularis, & exfiliatione ab Ordine per eiectionem.

Post Decretum Urbani VIII.



VCVSQVE calamus diuagatus est circa substantiam filiationis Religiosæ, de qua nec vulgaria, nec inuocunda dedimus, aliqua alia supersunt circa iura huius filiationis quantum ad plura, de quibus pro varietate temporum interrogatus fui à multis diuersarum Religionum filiis, quæ quia possunt multoties iterum occurrere, visum est mihi ea typis dare.



RESOLVT. I.

Cui acquirant Religiosi professi, iure filiationis regularis.

SVMMARIVM.

1. *Filiatio Religiosa in professione solemnè fundatur, remissive.*
2. *Qui filij iure diuino sibi nihil tanquam proprium acquirere possint.*
3. *Qui acquirant Religiosi professi ex vi iurium filiationis.*
4. *An in multis Religionibus non sint iura filiationis introducta respectu alicuius Provincia, aut domus.*
5. *Qua Religiones veniant excipiendæ.*
7. *Fama Religiosa factis puris non fucatis verbis acquiritur.*
6. *Seneca lumine naturali ducti dictamen afferunt.*
8. *Authoris iudicium adducitur, & n. 9.*

PRIVS QVAM ad singulares casus deueniamus aliqua quæ apud omnes recte sentientes indubia sunt prælibare oportet. Primum, quod quamuis vt supra vidimus † filiatio religiosa in professione solemnifundetur, radicetur, & nitatur (nam filiatio nouitiorum imperfecta est, sicut, & filiatio, quam habent scholares societatis post vota simplicia emissa expleto biennio, nam quomodo hæc perfecta filiatio esse potest si scholares isti vna cum tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ faciunt, quartum votum ingrediendi societatem, ergo adhuc non sunt intra societatem, ratione qua vouent illam ingredi, ergo non sunt perfecte filij societatis, sed erunt, de facto ingrediantur iuxta societatis constitutiones quod valde notandum pro his quæ in superioribus dictum est, hos scholares esse vere Religiosos ex privilegio Apostolico, non ex natura votorum simplicium, quæ emittunt antequam ingrediantur Societatem professorum quam ingredi vouent), vnde

² † huiusmodi filij iure diuino sibi nihil tanquam proprium acquirere possunt, ex vi voti solemnitis paupertatis, quod secus est ex vi voti simplicis in Societate emissi ab scholaribus, qui sibi dominium acquirunt, etiam post emissa vota transacto triennio.

³ Sed † cui acquirant Religiosi professi ex vi iurium filiationis, certum est quod hæc sit determinatio iuris humani siue Pontificij, siue municipalis cuiuscunque religionis iuxta harum decreta, & constitutiones, quæ variæ sunt pro Religionum diuersitate, quæ si sint contra ius commune canonicum nullæ sunt, & nullius efficaciam, nisi cum illius derogatione confirmentur à Summo Pontifice, verum est quod † in multis Religionibus non sunt iura filiationis introducta respectu alicuius Prouinciæ, aut Domus, sed eo ipso quod quis à Generali aut Prouinciali, assignetur alicui Prouinciæ aut Domo est illius filius habens vocem in Capitulo, tam actiuam, quam passiuam, & quidquid acquirat est illius domus in qua habitat qua inconsulta, & sine Capituli localis consensu, nec Generalis, nec Prouincialis possit de his quæ habebat talis Religiosus disponere, sic habet nostra Religio in qua stricta filiatio non est introducta, quamuis in aliis Religionibus vsus, & iura filiationis laudabiliter sint introducta, vt habent Gregor. XIV. in constit. quæ incipit. *Circumspecta*, apud Quaranta in *Summa Bullarum pag. mibi 316.* & Clemens VIII. in *instit. Nouitiorum quæ incipit nouit.* §. *quia vero*, quæ filiationis iura varia vt dixi sunt, & sic ipsis non visis vix dici potest, quid sentiendum in casibus occurrentibus nisi secundum vniuersalia iuris, & Theologiæ moralis principia, quæ cedunt

particularibus cap. vt periculum de constitut. in 6.

Excipio tamen † Religiones illas in quibus Generalis habet generalem, & immediatam administrationem bonorum omnium suæ Religionis, quæ habent domus, collegia, aut conuentus, iste enim potest pro sua voluntate disponere de bonis cuiuscunque etiam particularis, & si decedat bona magna relinquens, quibus vtiebatur potest ea generalis applicare cui voluerit domo, aut collegio, imo, & potest disponere quod omnes domus, aut collegia, aut alicuius Prouinciæ vel totius Religionis contribuant ad soluenda debita, quæ aliqua domus, aut Prouincia contraxit siue culpabiliter dissipando bona in sumptus extraordinarios, siue inculpabiliter propter temporum infortunia, imo hoc forsitan alicui videbitur sanctius, & prudentius, quam litigare ad non soluendum, & sic creditores maneat insoluti, vociferantes in consistorijs in vicis, & plateis contra creditum, & famam bonam Religionis, quæ pluris æstimanda quam omnes diuitiæ temporales. Fama enim † Religiosa factis puris non fucatis verbis acquiritur. Religiosi enim magistri sunt morum qui disputare, & litigare non docent, sed bene moraliter vivere sine alterius iniuria, aliàs quæ Philosophia moralis ab ipsis introduci debet in animis fidelium Philologia erit vana. Valdè enim Religiosi viri Magistri virtutum, & doctrinæ sanæ vt iis qui ex aduerso sunt possint inculpare arguere, & conuincere, curare debent, vt verbis opera concordent, vt ipsi sibi vbique pares sint.

Quod præceptum lumine naturali ductus Seneca *epist. 108.* suo Lucillo intimaui, docuit, & declarauit dicens. *Sic ista discamus, vt quæ fuerint verba sint opera.* Nullus autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui Philosophiam velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter viuunt quam viuendum esse præcipiunt, exempla enim se ipsos inutilis disciplina circumferunt. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor quam gubernator in tempestate nauis abundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. *Quid me potest iuuare rector nauigij attonitus, & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempestate iactari quam vllam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum, omnia quæ dicunt quæ turba audiente iactant aliena sunt.* Hæc ibi, hæc enim ratione fit quis Magister efficacissimus ad suadendum, doctrinaque factis roborata summam, & grandem vim habet ad mores introducendos, quod luculenter probat S. Gregor. *lib. 4. Moral. cap. 24.* neque enim mos introducitur virtutis ab eo qui opposito vitio est infectus, vnde de quodam

dam qui Antistitem moralis Philosophiæ se esse gloriabatur dixit Lactantius *lib. 5. instit. cap. 2. Ad amicitias iudicium miro ambitu penetrabat eosque sibi repente auctoritate nominis obligabat, ut confines suos quos sedibus, murisque pellebat à suo repetendo, hac potentia retardaret. Hic vero suas disputationes moribus destruebat, vel mores suos disputationibus arguebat ipse aduersus se gravis censor, & accusator accerrimus.*

- 8 Hæc digressiuncula in vniuersum † à me proposita est, vt agnoscant religiosæ Communitates, quanta obligatione teneantur ad soluendum debita ab ipsis contracta, vel à Religioso eius filio, quo mortuo bona temporalia, quibus vtebatur acquisierunt, non enim debent ea sibi vsurpare, sed si constat quod re ipsa, quod religiosus ipse debita contraxit, soluant, quia debent, excusata lite, quæ vix non denigrat familiam religiosam, imo si debita sunt contracta pro communitate, Superior tenetur omnibus modis curare vt soluantur, melius est enim bonum nomen quam diuitiæ multæ, vnde audiui, quod vir ille prudentissimus, & Religioso-Politicus valde Reuerendissim. P. Claudius Aquaviva, sub cuius Regimine magna in spiritualibus, & temporalibus acquisiuit Societas incrementa cum collegium Vlisiponense ingentia habuisset debita, vt in creditu defuerit, ne creditores insoluti manerent ex prouentibus illius totius Prouinciæ, & Indiæ Orientalis præcepit vt soluerentur hæc audiui vt dixi fides sit apud auctorem, quod si fecit prudentissime, & iustissime fecit, & forsan ad hoc ob bonum nomen Societatis conseruandum consensum Pontificis requisit.



RESOLVTIO II.

Quis possit iura filiationis alterare?

S V M M A R I V M.

1. *Summus Pontifex tanquam supremus Regularium omnium independens Prælatus an possit iura filiationis alterare,*
2. *An plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesie temporalia non debeat exire limites potestatis dispensatiuæ, & n. 3.*
4. *Ius tertij acquisitum non auferitur à Principe sua lege nisi in casibus lege expressis.*

S V M M V S Pontifex † etiam tanquam Supremus Regularium omnium independens Prælatus, potest iura filiationis alterare, & de rebus, quæ Religioni contin-

gunt ex vi filiationis alicuius Religiosi professi solemniter, disponere, & cui voluerit ex rationabili causa applicare, etiam extra Religionem. Hoc est certum sicut, quod Pontifex habeat plenam, & absolutam administrationem bonorum omnium Ecclesiarum, tam sæcularium, quam Regularium, quare de illis tanquam dispensator, & administrator nullis legibus humanis subiectus ex causa rationabili potest disponere, & cui libuerit causa subsistente applicare, vt bene D. Thom. 2. 2. *quest. 100. art. 1. ad 7.* & ibi D. Caiet. §. *tertio nota, quod cum potestas Papa, quoad res temporales Ecclesie sit potestas non Domini sed Dispensatoris, consequens est vt † plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesie temporalia non exeat limites potestatis dispensatiuæ, sicut in naturalibus plenitudo potentia calefactiuæ non exit limites potestatis calefactiuæ, & in politicis plenitudo potestatis Regiæ non exit limites potestatis Regiæ. Ac per hoc non potest Papa ad libitum donare res Ecclesie, sed potest tanquam habens apicem dispensatiuæ potestatis multo plus de eisdem dispensare quam quicumque alius proximus Ecclesie alicuius Prælatus, &c.* Itaque Summus Pontifex etiam, vt Prælatus Regularium nullis legibus, aut constitutionibus Regularium adstringatur, sed etiam tanquam Prælatus Regularium habeat supremum ius in illorum bonis, & iuribus, & in illis possit dispensare cui supremo iuri nullatenus potest renuntiare sicut nec iuri Summi Pontificatus, quia vtrumque accepit à Christo Domino, potest vtens plenitudine hac potestatis vt Prælatus Supremi Regularium iura filiationis alterare, mutare, & alteri conferre, & bona, quæ communitati Regulari cuius est filius aliquis obtingere iure communi, vel suarum constitutionum deberent alteri communitati, aut conuētui applicare. Hinc est quod per Apostolicas Bullas bona Religiosorum extra conuentum habitantium, & decedentiū, vt sunt Apostatæ, & fugitiui, vel qui etiam habitum retento habitant in sæculo titulo sustentationis parentum, aut Sororum &c. non tamen si tempore pestis de licentia Superiorum fugiant, ad locum à contagio liberum vel si causa recreationis per aliquod determinatum tempus, vel causa infirmitatis curandæ sint extra Monasterium. Idem iudicium esto si negotiorum Religionis causa sint in Curia Principis tam Ecclesiastici, quam sæcularis, in qua non est erectum Monasterium, hi enim omnes omnino non comprehenduntur, in Bullis Apostolicis de spoliis Religiosorum ad Cameram Apostolicam attinentibus, quas sic esse intelligendas praxis, & praxi ipsa intellecta Pontificia mens declarant. Ius enim † Tertij acquisitum non auferitur à Principe sua lege nisi in

in casibus lege expressis, & facta de illis expressa mentio, ut est indubitatum inter vtriusque iuris Doctores, quæ doctrina mēte est retinenda pro decisione cuiusdam casus, de quo infra. An vero Legatus à Latere, hæc iura possit alterare in Prouincia suæ legationis, non inuenio apud DD. decisum, decidi tamen potest iuxta iura huius legationis, de quibus latè Azor *p. 2. lib. 5. cap. 28. & 29.* similiter de Nuntio Apostolico, cum potestate Legati à latere, iuxta ipsius delegatam potestatem, an eam habeat dispensandi in constitutionibus Religionum iudicandum est.



RESOLVTIO III.


Potestne Capitulum generale, iura filiationis immutare?

S V M M A R I V M.

1. An Capitulum Generale possit immutare filiationis iura.
2. Quid veniat aduertendum. & n. 3.

S i iura filiationis sint introducta ex decreto Capituli Generalis, quod Decretum non sit speciali confirmatione Apostolica firmatum, cum † idem Capitulum generale manus non liget Capitulis Generalibus succedentibus, cum æquè resideat in omnibus potestas ligandi, atque soluendi, leges statuendo, & decreta circa iura ipsius Religionis, ea quæ ratione filiationis semel sunt statuta potest alterare, & immutare, dummodo iura ista non concedant extra religionem, quia ad hoc non habent potestatem Capitula generalia sine expressa Papæ licentia, quia sine illa nequeunt iura, & res Ecclesiasticas alienare, & dare extra religionem, quod si Generalis habet ex vi constitutionum potestatem dispensandi in constitutionibus, & Decretis capituli Generalis, poterit etiam dispensare in huiusmodi iuribus sicut, & ipsum Capitulum Generale absque consensu Capituli localis aut Prouincialis, nisi aliter disponatur in constitutionibus ordinis. Vnum aduerto † circa moniales quod, si sint subditæ Prælati Regularibus isti possunt disponere, de bonis, quæ obueniunt Monasterio ex vi filiationis alicuius monialis, etiã cōtradicēte Abbatissa, quæ in moniales nō habet veram iurisdictionem, sed œconomicam gubernationem ut alibi ostendi, quare Superiori Regulari de iuribus filiationis cōpetit disponere, requiritur tamen magna causa, ut bona vnius Monasterij sine consensu eius alteri, etiam pauperi applicet, quia Monasteria Monialium valde sunt incommunicabilia inter sese, qua-

lia non sunt Monasteria virorum, si vero sint Moniales subditæ locorum Ordinariis, isti possunt dumtaxat disponere de iuribus filiationis circa idem Monasterium extra quod nequeunt, hæc iura extrahere etiam ad alterum Conuentum, nisi sit eiusdem ordinis, & subditum ipsi ordinario, immo nec Monasterium in id potest consentire, sine licentia Papæ.



RESOLVT. IV.

De Apostatis & fugitiuis.

S V M M A R I V M.

1. Quid de Apostatis, & fugitiuis veniat dicendum.
2. Camera Apostolica non habet ius questitum iure, ad bona quandiu Religiosus viuit.

Q V A R T V M, quod † licet apostatæ, fugitiui, & expulsi à religionibus semper perseuerant ipsarum filij substantialiter quia semper manent solemniter professi, est enim professio solemnis omnino indelebilis vsque ad mortem naturalem, hac enim sola perditur filiatio ista. Cæterum iura à legislatore humano introducta nō eodem modo perseuerant ex Pōtificia dispositione, nam si apostatæ, fugitiui, & expulsi bona quæcūque dū perseuerant sic acquirāt cuius sint futura, & cui applicari debeant, indrientia sunt, nam si isti ab apostasia fuga, & expulsionem correcti ad religionem redeant, ibique commoretur sicut antea bona quæcūque habeāt ex quocunque titulo acquisita, siue cū peccato siue sine illo, sed arte honesta, & nō cōtra iusticiam commutatiuam, furto, aut vsura, aut Symonia, & similibus) & etiã illa quæ ex negotiatione licita, tamē secūdū se prohibita religiosis sūt iuxta sacros canones, ex iuribus filiationis irreuocatis ad matrem suam religionem, & ad monasterium, cuius est filius iure pertinet. Ratio quia † Camera Apost. nō habet ius, quæ sitū in re, ad hæc bona quandiu Religiosus viuit, quia semper manet membrum, etsi separatū Communitatis, & quidquid acquirit quadiu viuit religionis, & Monasterij est, iuxta antiquos canones, ut bene Nauarr. *in comment. de spoliis* §. 7. à num. 4. quæ doctrina infra magis enodabitur vltimo calculo.



RESOLVT. V.

Dua Bullæ, vna Pij V. altera Gregor. XIII. enodantur.

S V M M A R I V M.

1. Circa iura filiationis dua Bulla enodatur. n. 2.
3. Quid nomine negotiationis illicita veniat.
4. Circa constitutionem Pij IV. quid veniat notandum ad iura filiationis enucleanda. n. 5.
6. An clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda.
7. An Equites Religionis militaris sub Bulla Piaua comprehendantur.
8. An ad Cameram Apostolicam pertineant bona parta à religioso professo ex illicita negotiatione.
9. Ratio difficultatis assertur, necnon Authoris iudicium, & n. 10. 11.
12. Summo studio Principes fouere debent omnia media quibus perstringantur religiosi, ne negotiatores contra sacros canones fiant.
13. Quid ex traditis sit deducendum, & n. 25.
14. Nauarri mens adducitur.
15. An bona ex illicita negotiatione comparata tanquam male acquisita à religioso professo ante condemnatum crimen, & latam à iudice sententiam debeantur in foro conscientie ipsi Summo Pont.
16. Quid veniat aduertendum, & n. 17.
18. An bona lucrata à Clerico ex negotiatione illicita quia prohibita sibi, non quia sit contra iustitiam, non sint spolia titulo hereditario debita Camera Apostolica post mortem lucrantis.
19. Pius IV. in quibus solum induxit nouum ius.
20. Quid intelligat Pius IV. per bona acquisita contra sacros canones, & n. 21.
22. Bulla Gregorij XIII. intelligenda de quibus veniat, & n. 23.
24. Inter Pij IV. & Gregorij XIII. diplomata discrimina adnotantur.

NTamen doctrina Resolutionis prudentis qua valde necessariū est, † ad plurimos casus circa iura filiationis religiosæ decidendos, clarius innotescat, aduertere licet, quod Pius IV. const. sua 19. alias 5. incipit decens esse censemus, Nonis Nouem. 1560. habetur tom. 2. Bullar. & de ea tractat Seorz. in select. Summ. Pont. const. 76. eiusdem Pontificis refert aliam Nauarr. ubi sup. & incipit. Romanus Pontifex, & est 31. eiusdem, & est confirmatiua prioris, sed limitat quod nō intelligatur de Card. nec de illis, qui habent licentiam testandi, & vt eis ab intestato succedatur, ubi dicit. Decernimus & declaramus omnia, & singularia, res, & bona cuiuscunque qualitatis, & quantitatis existentia, ac in quibusuis regionibus, & regnis, ac dominiis, tam citra, quā ultra montes, & maria consistētia per quosuis Clericos tam seculares quam quorumuis etiam mendicantium ordinum, ac militarium regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos cuiuscunque status, ordinis, & constitutionis fuerint, & Archiepiscopali Episcopali, & alia maiore dignitate præfulgent

(si Cardinales fuerint excipiuntur Bulla secunda) ex negotiatione illicita aut alias contra Sanctos Canones quomodolibet acquisita, que pro tempore post obitum eorum, qui etiam ex facultate quam habuerint testandi condito testamento. (Hi etiam sunt excepti in secūda Bulla) ubiuis locorum decesserint, & decedant, aut quibus illos etiam eis viuentibus priuari, & eis destitui constiterit, &c. spectasse, & spectare, ac sub nomine spoliatorum venire, illaque vt spolia ad ipsam Cameram Apostolicam pertinentia, perpetuo colligi, & recuperare potuisse, posse, ac debere. Hæc Pontifex.

Circa quæ notat bene Pellizar. tom. 1. tr. 7. 3. c. 6. sect. 2. n. 9. 2. quod sicut † nomine negotiationis illicitæ venit, ea quæ exercetur vilius emendo, quod immutatum, carius postea vendatur, vt habetur tota dist. 88. & tota q. 4. causa 14. & quidem ex cupiditate lucri consistenti in studio ditescendi. Sic negotia à sacris Canonibus interdicta Ecclesiasticis sunt ea, quæ eorum statum dehonestant, aut contra eos inuidiam excitant. Quod latius profequitur quidam Modernus in libello de Religioso negotiatore.

Cæterum † circa hanc Pianam constitutionem aliqua sunt notanda, quæ non parum conducent ad filiationis iura enucleanda, extendenda, aut limitanda: Primum, contra Suarez tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 2. n. 24. quod hæc constitutio comprehendit Religiosum professum, etiam si non sit choro destinatus, nec prima tonsura intra Religionem initiatus, sed sit laicus, vel quicunque Ecclesiasticus fori gaudens priuilegio, qui non sibi, sed Monasterio acquirit. Ita Syluest. verb. Clericus 3. n. 3. q. 3. vers. quamquam, citans Paludanum. Ratio est clara, quia vt ait Pater Azor in re morali nulli ex Auctoribus Societatis secundus p. 2. lib. 8. q. 4. hæc constitutio pœnalis non est, sed fauorabilis respectu fisci Apostolici, nec constituit absolutè nouum ius, sed antiquum declarat, vt bene Rodoanus de spoliis, q. 2. n. 82. & constat ex verbis Bullæ ibi, decernimus, & declaramus, &c. quare ly contra sacros Canones, verbum, Canon, non stricte prout est sacra Constitutio in Cōcilio generali sancita, vt dicit Gloss. cap. Canon. dist. 3. qualiter erat interpretandum si constitutio esset pœnalis, sed nomine Canon intelligitur omnis iuris cōmunis Canonica Constitutio quocumque vocetur nomine, siue Decretum, siue Decretalis epistola, præceptum, mandatum, &c. Deinde, quia etiam comprehendit Religiosos militares, quamuis non sint Choristæ, quia sunt Ecclesiasticæ personæ, & sunt etiam fratres laici professi in Ordinibus mendicantibus, & Monachalibus. Tertio, quia Pius IV. statuit ius nouum, vt olim cum Religiosi suis monasteriis acquirerent, quidquid acquirēt cap.

cap. cum olim de privileg. Authent. ingressi de sacros. Eccles. cap. non dicatis 12. quest. 1. Et
 6 † clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda *cap. qui habetis 12. quest. 5.* vt docet Panormit. *cap. relatum el. 2. de testam.* Quem sequitur Azor *quest. 2.* fit quod Pontifex iure optimo potuit declarare hæc esse spolia ad sacram Apostolicam Camera[m] attinentia, & loco pauperum aut Monasterij fiscum Apostolicum constituere, & de facto constituit, ad quod faciendum parum refert quod Monachus extra Monasterium degens sit Chorista, aut Laicus, & sicut in clericis respexit Pontifex decentiam status clericalis, vt faretur Suarez etiam respexit, & tuetur decentiam status Religiosi imo multo maiori, & altiori motiuo hanc respexit cum longe indecentius sit quod Religiosus mancipatus diuino seruitio negotietur, etiam si non sit ordinibus destinatus, quare Religiosus laicus dubio procul sub hac Bulla continetur, & bona ex illicita negotiatione acquisita Camera[m] Apostolicæ, & Fisco Ecclesiæ Romanæ adiudicanda sunt sicut, & aliorum Religiosorum.

7 Secundum, quod licet † equites Religionis militaris sub hac Bulla comprehendantur, si iam sint professi (nam Nouitij non ligantur) vt constat ex eius tenore, ceterum iudico quod quantum ad hos militares Religiosos non est Bulla hæc in Hispania introducta, & recepta, nunquam enim visi sunt collectores Camera[m] Apostolicæ horum spolia ex acquisitis hoc modo collegisse, & Azor *ubi supra q. 10.* ex Redeon etiam *ubi supra q. 1. n. 49.* iure optimo dicit quod hac bulla non comprehenduntur Equites Hierosolimitani, quod ex eorum statutis à sede Apostolica specialiter confirmatis, constat.

8 Tertium, quod in vi huius constitutionis Pianæ tenet Suarez *ubi supra n. 30.* & videtur clare ex illa colligi quod † ad Camera[m] Apostolicam pertinent bona patta à religioso professo, ex illicita negotiatione, & contra sacros canones extra Religionem existente, sed etiam intra Religionem, ita quod Religiosus etiam de consensu suorum Prælatorum negotietur contra sacros canones, habens publicas merces venales in hypothecis, & locis publicis, quas emit vt immutatas reuendat, bona acquisita ex huiusmodi negotiatione illicita ipsi statui Religioso, cui per accidens est quod fiat immediate per Religiosos vel per ministros suos quos adhuc finem habet conductos, & assalariatos cum principalis mercator religiosus sit, & eius directioni ad lucrandum subordinantur, sicut nostris temporibus non cum paruo Ecclesiæ plactu vidimus, & manus nostræ contractauere bona in quâ ista etiã intra religionem acquisita

Camera[m], & Fisci Apostolici sunt ad dicta, & applicata à Pio I V. si post mortem Religiosi extent in propria specie, vt in pretiosis mobilibus mercibus, vel copiosa pecunia.

Ratio est, † (ait Suarez), quia Pius I V. non loquitur de Apostatis, sed in vniuersum de clericis siue Regularibus, siue sæcularibus illicitè lucrantibus, & sane in sæcularibus indistinctè id accipimus etiam si Apostata nō sint, ergo eodem modo intelligendum est in Regularibus, est enim eadem ratio, nimirum quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere valemus, quum nec ius nec ratio aliquid cogit. Adde præterea † Gregor. XIII. etiam non loqui de solis Apostatis, sed de omnibus Religiosis extra claustra degentibus, etiam de licetia legitima suorum Prælatorum, & velle vt bona ab eis lucrata ad spolia Pontificia pertineant, saltem si apud eos tempore mortis extra eadem claustra inueniantur, ergo à fortiori constitutio Pij I V. ad non apostatas extendenda est, & post plura decidens concludit, *ideo merito loqui potuit (Pontifex Pius I V.) de regulari sic lucrante extra claustrum, quia illa culpa, & indecentia, quam in ea lege maxime respexit Pontifex in totum Monasterium, & Prælatum eius redundat, quum Religiosus eius vel illicitè negotiatur, vel contra sacros Canones lucratur, videntur enim sane hæc bona prædicta constitutione comprehendendi, saltem cum dicta limitatione legis pœnalis, vt scilicet possint à Pontificio collectore recuperari modo explicato num. 27.* qui mihi non aridet propter dicta, quia hæc constitutio non est pœnalis, & propter dicenda modo.

Hæc doctrina Suarezia valde est commendanda etiam Principibus sæcularibus, vt Regaliis suis non impediunt collectores Apostolicos, vt recolant huiusmodi bona, ex illicita negotiatione, & contra sacros canones acquisita à Religiosis negotiatoribus, de quibus sapienter Petrus Cardinalis Damiani. *Apologetico de contempt. sæculi cap. 10.* *Cum laici contemplantur eos qui nuper cuncta quæ mundi sunt cum magno seruore contempserant, nunc ad secularium negotiorum turbinem inhiante[m] redigi, & in eisdem quam euaserant cænosa voluptari face versari, obstupor mirantibus oritur, suspirium, ab imis visceribus trahitur, & in eorum mentibus desperatio generatur, ergo † Summo studio Principes fo-* 12
 uere debent omnia media, quibus præstringantur Religiosi, ne negotiatores contra Sacros Canones fiant, ex quorum negotiatione, non parum, & indecoratur Ecclesia, & depauperatur ærarium regium, vt experientia ipsa monstrauit occulte introducetes aurum, argenti & merces valde pretiosas quas etiam extra mittunt forsan ad inimicos

intuitu maioris lucri, defraudantes vectigalia, tributa, gabellas regias, quæ cum minorentur horum fraude, & occultatione, & non sufficiant ad Regni tutamen, pauperes & alij sæculares gemunt sub aquis multitudine impositionum, quæ quotidie ob Regiam angustiam, & depauperatum ærarium imponuntur, multiplicantur, augetur, quid ni? in soluendo deficiunt, & litem faciunt creditorum qualem fieri in Ecclesia à Communitate Religiosa nunquam visum est simile exemplum, & speramus Pontificia, & Regia diligentia adhibita non visuri in posterum, non enim similem visa est, nec habere sequentem confidimus: hæc ex occasione dicta sint, & sufficiant alibi longius enucleanda in libello speciali, *vita duce.*

13 Ex quibus constat, † quod si Religiosus Apostata extra Religionem multa ex negotiatione illicita, aut contra sacros Canones bona, acquisiuit & ad cor reuertens, iterum reuertitur ad Religionem secum illa conducing ex vi Bullæ Pianæ talia bona ea quæ in specie restant post mortem istius Religiosi non pertinent iure filiationis ad Monasterium, vel Religionem cuius est filius, sed ad Camera Apostolicam, quam Summus Pontifex hæredem constituit, auferendo ius, quod habebat Monasterium secundum iura antiqua de hoc constituens nouum ius. Ita tenent † Nauarr. *de spoliis, ubi supra*, dicens ita, consuluisse cuidam Religioni, cuius quidam Religiosus Apostata in Apostasia viginti millia Ducatorum negociando fuerat lucratus, consuluit inquam, ut Religio se componeret cum Camera Apostolica, ut posset illam quantitatem pecunia firmo iure exigere, & ne se intramitteret Camera Apostolica. Satis insinuat Suarez *ubi sup. n. 26. in fin.* quia Apostata priuatus est iure huius Bullæ Pianæ bonis istis, applicanturque Camera Apostolicæ eo ipso quod lucrata sint contra sacros Canones, vel iniusta negotiatione, quamuis ea non recuperet Collector Apostolicus, nisi post mortem: quare ea quæ ex dictis bonis, siue intra, siue extra Religionem Camera Apostolicæ debentur in conscientia, quia Religio post hanc Bullam nullam habet actionem nullumve ius ad illa titulo filiationis, vel alio, omnes enim quantum ad hæc bona, quæ supersunt Summus Pontifex vtens plenitudine potestatis abstulit Religioni, & eius loco substituta Camera Apostolica, quod posse facere Summum Pontificem in hoc casu nullus Catholicus dubitat.

Quare doctissimus Ioannes Azor. *cap. 2. cit. quest. 3.* dicit, quod † hæc bona ex illicita negotiatione comparata tanquam male acquisita ante condemnatum crimen, & latam à iudice sententiam debentur in foro

conscientiæ ipsi Summo Pontifici, qui ea tanquam spolia sibi reseruauit, & se constituit hæredem illorum auferens ius, quod habebat Religio, quare ista cum nullum, habeat ius, sed Apostolicus fiscus, isti tanquam sua restitui debent, & semper transeunt cum hoc onere, & obligatione, vt restitui debeant Camera Apostolicæ, tanquam sua, quia eo ipso quod in pœnam declarata sunt spolia Summi Pontificis, iste acquirit ius, ante omnem sententiam, quia ex vi spoliationis auferitur à quocunque alio ius ad illa bona, & quasi confiscata manent fisco Apostolico.

Vnde valde est aduertendum † id quod 18 non bene vidit Pater Suarez *ubi supra n. 28.* quod aliud est quod in pœnam illicitæ negotiationis contra sacros canones, bona ista sic lucrata fiant spolia Pontificia, aliud quod vt ista spolia debeantur Pontifici requiratur sententia iudicis declaratoria criminis, vt ea restituat qui post mortem negotiatoris ea retinet. Primum est verissimum, quia in pœnam illicitæ negotiationis Pontifex declarat bona ex illa lucrata pertinere ad Camera Apostolicam tanquam spolia. Secundum vero falsum est omnino, quia supposita illicita negotiatione, eo ipso Pontifex declarat talia bona esse spolia sua sibi que iure deberi tanquam hæredi, nec requiritur declaratio iuridica negotiationis illicitæ, quod ex eo est manifestum, quia si iste apostata extra Religionem decederet bona lucrata debentur Pontifici in conscientia ante omnem declarationem criminis, ita nec Religio nec quilibet alius possit ea tuto retinere, ergo etiam si conuersus ad Religionem redeat secum portans talia bona cum iam sint spolia Camera Apostolicæ ad quam iure nouo hæreditario pertinent, nequit Religio tuta conscientia illa sibi retinere, sed ante omnem sententiam restituere, neque enim potest ius suum auferre Camera Apostolicæ.

Verum est quod † bona hæc lucrata à clerico ex negotiatione illicita, quia prohibita sibi, non quia sit contra iustitiam, non sunt spolia titulo hæreditario debita Camera Apost. nisi post mortem lucrantis, vnde valide ea donare potest Religioni, sicut & cui libet alteri, quæ donatio valida erit, nec à Collectore poterit repeti res donata, quia bona ista lucrata cadunt sub illius dominio, vt bene Azor *ubi supra*, quare in vita potest de illis licite disponere non vero in morte, nisi ad id habeat speciale indultum. Cæterum Religiosus solemniter professus cum ex vi voti paupertatis nequeat validè donare, aut de rebus acquisitis disponere sine licentia sui Superioris, etsi possit donare bona ista parta Religioni suæ, quod Pius IV. non prohibet, neque abstulit Religioni potestatem


statem dandi licentiam Apostatae reuertenti ut faciat donationes eorum bonorum, & sic potest facere donationes ipsi Religioni, quæ non tenetur res istas ex turpi negotiatione partas restituere, eo ipso quod sibi incorporauit, nam si pars est bonorum, ea sibi
 19 acquisiuit. Quare † Pius IV. solum induxit nouum ius, in sequentibus primò, si Religiosus apostata extra Religionem moriatur quidquid habet tempore mortis, siue pecuniam, siue iura, & actiones, siue bona in specie etiã si dicat Religiosus, quod sepeliatur in suo conuentu cuius se filium declarat, nequit religio horum omnium in conscientia aliquid accipere, sed totum est Camerae Apostolicæ ante quancumque sententiam, secundo, si Apostata ad Religionem reuertatur, & plura siue debita siue merces, siue pecuniam in sæculo relinquat, non manifestando Religioni, sed ea occultando, sunt tamen ista omnia acquisita contra ius commune Canonicum, & ex illicita negotiatione, ista omnia post mortem huius non ad Religionem, sed ad Fiscum Pontificium in utroque foro attinent, eique debentur restitui, quia non erant incorporata Religioni, nec ista illorum possessionem adquisierat, tertio, si Religiosus nunquam apostata aut fugitiuus, sed in gremio Religionis perseuerans, negociator sit, & contra sacros Canones acquirat in scia religione, bona ex ista negotiatione parta post mortem illius si ante mortem Religioni non incorporauit, Camerae Apostolicæ debentur, & tanquam spolia Pontificis debentur ei dari, ut supra vidimus, quæ omnia valde notanda quia non vulgaria,
 20 Quartum, † quid intelligat Pius IV. per bona acquisita contra sacros canones Azor ubi supra sic bene respondit; huiusmodi (inquit) sunt quæ clerici perceperunt ex beneficiis contra iura possessis, ex officiis ciuilibus, aut regularibus contra canones administratis, & exercitatione medicinae chirurgiæ, aliarumve artium ad corporis curam pertinentium, quæ nimirum sine sanguinis effusione non exercentur. Nam cap. sententiam ne cleric. vel Monach. Dicitur nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus,
 21 vel Sacerdos exercent, quæ adustionem vel incisionem, & ex multis aliis obsequiis, quæ clerici Regibus, Principibus, aliisque primariis uiris contra quam statuerunt Ecclesia canones exhibere solent. cap. 1. & 2. & cap. sed nec procuratores, & cap. sententiam sanguinis ne cleric. vel Monach. multa officia contractus, & obsequia clericis, & Monachus interdicitur. Item cap. 1. & 2. de postulan. Interdicitur clericis, munere, & officio aduocati, ac proinde etiam procuratoris apud indices seculares cap. Clerici de uita & honestat. Clericor. prohibentur clericis arma deferre; ac proinde illis est interdicta uentatio, vel aucupium ministerio canum, vel

armorum presidio fieri solita. Hæc ille, quæ plura alia adnotat circa præfatam Bullam Pij IV. sed prænotata ad nostrum sufficiant intentum.

Sed præter hanc Pianam Bullam est alia Gregoriana circa eandem materiam spoliolorum editam à Gregorio XII. incipit officij die 21. Ianuar. 1577. quæ est in Bullario Laertij tom. 2. huius Pontific. constit. 43. quam † sic ad compendium reduco uerbis ferè eisdem cum Paulus I V. Bulla incipiente. Postquam editam..... statuisset ut bona Regularium Apostatarum, & degentium extra claustra suorum Regularium tempore, quo extra huiusmodi claustra fuissent acquisita ab ipsis professis, ex redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum, aut ex propria industria, artificio, mercatura, vel ex testamento, vel ab intestato, quorumuis consanguineorum, affinium, amicorum, vel quorumcunque aliorum deberentur Monasteriis, in quibus primo professi fuissent, idque non seruaretur. Gregorius XII. §. 3. dictæ bullæ definit, ut res, & bona quæcunque per dictos Regulares extra claustra Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum regularium degentes, quocunque iure, ex actione, siue ex causa testati, siue intestati acquisita, & in posterum acquirenda vel ad eos delata in quibuscunque regnis, & locis consistant, nisi iidem ad quos illa spectauerint sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitime usi fuerint ad Cameraam Apostolicam pleno iure pertinuisse; & spectare, & bona quæcunque eorundem Regularium extra claustra degentium sub spoliolorum nomine comprehensa, per ipsam Cameraam, quæ cæteris successoribus ampliori est munita priuilegio, eiusque nomine à quibuscunque illa detinentibus potuisse, & posse recuperari, iuxta Pauli III. & aliorum prædecessorum litteras plumbatas, hæc in Epitome.

Sed † inter horum Pontificum diplomata sequentia discrimina adnotaui. Primum, quod Pius IV. loquitur de clericis regularibus, & secularibus, Gregorius tamen loquitur expresse de Religiosis, & Regularibus. Secundum, quod Pius loquitur solum de bonis illicite acquisitis, Gregorius uero de bonis simpliciter acquisitis. Tertium, quod Pius loquitur de bonis siue usque ad mortem retentis siue in uita ablatis, at Gregorius de bonis usque ad mortem dumtaxat retentis. Quartum, quod Pius statuit nouum ius circa bona illicite acquisita siue intra, siue extra Religionem Gregorius uero de bonis acquisitis extra Religionem, etiam extra eam habitent de licentia legitima suorum Superiorum.

Ex quibus liquet, quod istæ duæ Bullæ in negotiatione, aut posterior limitat priorem, sed enucleat, & explicat. Prior enim suam retinet materiam, scilicet bona illicitè acquisita ex negotiatione, aut contra sacros Canones, quæ tanquam malè acquisita determinat Pontifex esse spolia sua, & sic eo ipso pertinent ad Cameram Apostolicam, Posterior vero Gregoriana vult quod bona cuiuscunque Regularis acquisita extra claustra si ibi moriatur. Cum ex iure non possit testamentum facere constituit Cameram Apostolicam tanquam hæredem bonorum illorum, & sic esse Apostolica spolia, ad quæ nullus alius, nisi solus Pontifex priuatiue, quoad omnes alios ius habet, nec titulum, possidendi.



RESOLVT. VI.

Plurium consultationum, circa iura filiationis Regularis.

HVC præcipuè debet tendere Moralis scriptor, ne Consultationes morales inclusæ maneant. In principiis generalibus, quæ æquiuocatione laborant, latent enim in genere æquiuocationes, quas vitare debet Moralis, & ad species vsque descendere casuum, vt lector, & instruat, & dicat ex vniuersalibus deducere, in similibus, similes specificas decisiones.

SVBRESOLVT. I.

De translatione filiationis ab vno in alium Conuentum.

S V M M A R I V M.

1. *An licita sit translatio filiationis de vno conuentu ad alium.*
2. *Generalis an non possit aliquem adfiliare alicui conuentui sine huius consensu, & exfiliare ab alio Conuentu.*
3. *Nullus est filius duplicis Monasterij, aut Conuentus.*
4. *An filiationi adoptiua adsimiletur filiatio Religiosa.*
5. *Qua admissio ad filiationem debeat fieri per maiorem partem suffragiorum, aut per duas partes.*
6. *Ratio difficultatis enodatur. & n. 7.*

DE translatione filiationis ab vna in aliam Religionem siue strictiorem, siue laxiorem *tom. sequenti*, dum de vitiis oppositis Residentiæ agam, plura dicam: hæc de translatione filiationis vnus Conuentus

in aliam consultus respondeo, † licitam esse hanc translationem quæ fieri debet iuxta Constitutiones, & Decreta Religionis in qua translatio declaratur. Hoc certum debet esse, quod vbi iura filiationis in viridi sunt obseruantia, quantum ad hæreditatem bonorum: vocem in in Capitulo, elationem ad officia illius Conuentus etiam in alternatiua ad maiores dignitates Prouinciæ, & similia præter consensum Prouincialis, aut Generalis exigitur Capitularis consensus, tam Conuentus *ad quem*, quàm Conuentus *à quo*: argumento, ex his quæ nouo iure Urbani VIII. de translatione ab vna Religione in aliam, vtriusque enim requiritur consensus, vt hæc habitus transmutatio fiat. Ita etiam dum filius vnus Conuentus, ab eo exfiliatur, & ab altero adfiliatur, cum vterque Conuentus interesse habebat in hoc exfiliatione, & adfiliatione vtriusque consensus exposcitur necessario.

Neque † Generalis potest aliquem adfiliare alicui Conuentui, sine huius consensu, & exfiliare ab alio Conuentu, quia vtrique damnum resultat, nisi ita videat expedire bono regimini totius Religionis, aut Prouinciæ, quia Generalis se solo nequit facere sine consensu Diffinitoris generalis, neque Prouincialis, sine consensu diffinitorij Prouincialis, cum quo Generalis totam Religionem, & Prouincialis totam Prouinciam repræsentant. Ita Bordonus *resolut. 79. num. 16*. Sed ego puto, quod quam quamuis hic consensus capitulariter exhibitus, & in definitorio sit requiritur, non tamen sufficit, vt quis habeat iura filiationis, siue in tota Religione, siue in tota Prouincia in Communitatibus in quibus est filiationis ius introductum, quia de iure communi in quo solus Papa dispensat, est quod † nullus sit filius duplicis Monasterij, aut Conuentus, *cap. final. de Relig. Domibus*, sicut iure communi non licet Clerico esse intitulum in duabus Ecclesiis, *cap. 1. 21. quest. 1. cap. cum singula. de præbendis*. Vnde Religiosus adfiliari duplici Conuentui non subordinato, & independenti nequit, nam si vnus Conuentus ab alio pendet vtrique potest adfiliari, quia cum vnus sit propter alium, & ab eo pendens vnus censetur Conuentus, vnaque Communitas, *cap. 1. de priuileg. in 6* neque enim ius permittit, quod quis habeat duos Patres adoptiuos, filiationi autè † adoptiua adsimilatur filiatio Religiosa, an vero Pontifex de plenitudine potestatis possit duobus Conuentibus plenariè adfiliari aliquem Religiosum, existimo, quod sic, sicut potest aliquem duobus beneficiis etiam residentiam requirentibus intitulare.

Quod iure ordinario adfiliatio de vno conuentu in alium debet fieri capitulariter,

& admissio per vota secreta, facta prius iuridicè dimissione vnus & admissione alterius Conuentus, vt vult Urbanus VIII. in decreto. de translatione ab vna Religione in aliam. rursus † hæc admissio ad filiationem, debet fieri per maiorem partem suffragiorum, aut per duas partes, vt volunt aliquæ communitates, quod enim omnes tangit ab omnibus debet approbari, approbatur autem ab omnibus, quod à maiore parte fit, vt est certum in iure.

6 Igitur consultus fui, tan si cum dum quis filius alicuius conuentus alteri adfilietur de consensu vtriusque conuentus à quo & ad quem, & in conuentu cui adfiliatur renouans professionem suam expressè & ouet obedire Priori eiusdem, & suis successoribus, an si iste iterum velit redire ad suum Conuentum, à quo se transtulit, possit ex eisdem conuentibus & licentia Generalis, aut Prouincialis non obstante præfato voto licitè se transferre. Ego quidem dixi votum illud, vel extensio voti, quantum ad filiationem non esse votum solemne distinctum à voto solemni obedientiæ emissi in professione, sed solum esse expressionem circa hunc superiorem cui obedire tenetur vbicumque habitauerit, aut commorauerit, ad quod nõ tenebatur ex vi voti absoluti emissi in professione, ex vi cuius solum tenebatur obedire superiori suo, dixi vltèrius, quod cum hæc voti extensio, aut expressio sit simplex quoddam votum ab hoc non potest absolui, sine causa rationabili, quam esse talem determinare pertinet ad superiorem, & sic iste potest in illo dispensare, quia conueniens iudicauerit, quod adfiliatus vni conuentui ex alio iterum refilietur Priori, & eius Communitati reincorporaretur amittet statim filiationem alterius Conuentus, quia vt vidimus iure communi nullus Religiosus potest habere duos conuentus patres in integrum, sed vna filiatio excludit aliam, vtpote incompossibiles cum sint. Quare iam visum, quod ille qui ex vno conuentu alteri est adfiliatus, iterum regressus est ad priorem filiationem in qua iterum debet exprimere obedientiam Priori. Sic respondi, & placuit viris doctis.

SUBREOLVT. II.

An quis filius alicuius Conuentus possit admitti in aliquo alio, vt hospes perpetuus exhibita dote conuentui pro hospizio huiusmodi.

S V M M A R I V M.

1. Vtrum alicuius conuentus filius admitti in aliquo alio possit, vt perpetuus hospes, conuentui exhibita dote, pro hospicio.

2. An sit tacita licentia qua sufficiens sit ex communi & certa sententia.
3. Cuiam Religioso non liceat repetere dotem suam.
4. Cuius quantam licentia contractus factus in nullo superiore etiam generali possit irritari.
5. Generales Mag. nequit sine urgentissima causa cogere Collegium, vt restituat, dotem.

CAsus consultus hic fuit, in Illustrissimo Collegio S. Thom. Aquinatis huius ciuitatis Hispalen. vniuersitate Cæsarea Ordinis S. Dominici, est consuetudo præscripta orta ex declaratione statutorum suorum ad quæ declaranda est potestas in Rectore, & Consiliariis in simul Congregatis, quod si qui aliorum conuentuum Religiosi velint præfato Collegio incorporari, non tanquam Collega, sed tanquam portionista, qui actibus Capitularibus non interfit, sed in temporalibus commoditatibus, victus & vestitus, illi præstentur necessaria, sicut vni ex Collegis, præstita tamen dote sufficienti in pecunia numerata, quæ incorporatur Collegio, cuius manet mortuo portionista. Inquirebatur primò, an hoc liceat. Secundò, an iste qui hoc titulo incorporatus est Collegio possit iterum repetere dotem suam & reuerti ad domum, cuius est filius. Tertiò, an Pater Generalis possit ad hoc cogere & conuentus, cuius est, petere huius pecuniæ restitutionem.

Respondi, ad primum quod dubio procul id sit licitè, tum quia fit videntibus & non repugnantibus superioribus. Vnde † est tacita licentia, quæ sufficiens est ex communi & certa sententia, vt ait Nauarrus de statut. Monach. consil. 3. n. 64. tum, quia habens peculium, aut depositum licitè cum hac licentia, illud expendit in vsus licitos & honestos, qualis absque dubio est iste, cum ordinetur ad victum & vestitum. Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 9. & consil. 14. n. 5. & 6. de stat. Monach.

Ad secundum respondetur, quod † non licet Religioso isti repetere dotem suam. Ratio est, quia hic fuit contractus vltro citroque obligatorius, de licentia tacita superiorum factus, ergo nisi mutuo contrahentium consensu nequit dissolui, vt est iure vtroque indubitatum, ergo quandiu Collegium est paratum adimplere obligationem suam dandi necessaria victui & vestitui, & habitationi nequit alter repetere dotem suam, sed Collegium illam tuta conscientia retinet. Imò addunt Sanchez (& benè) lib. 7. Summ. cap. 31. num. 42. cum multis, quos citat Pellizarius in Manuali tract. 8. c. 7. n. 82. quod † contractus factus cum præfata licentia,

ria, à nullo superiore etiam Generali potest irritari, quia induxit obligationem naturalem, & civilem.

- 5 Ad tertium respondetur, quod † Reuerendiss. Generalis Magister nequit sine urgentissima causa cogere Collegium, vt restituat dotem, quia contractus celebratus est cum requisitis, vt pariat obligationem iustitiae, cum adfuerit sufficiens licentia & materia expensa fuerit in vsus licitos & honestos, legendus Bordonus *Resol. 59. num. 26.* cuius verba dabo infra *casu 4.* quare sicut nequit rescindere alios contractus rite, & recte celebratos, ita neque istum, vnde multo minus potest domus aut conuentus, cuius erat filius Religiosus eam summam reperere, quia ad eam expendendam in vsus licitos, & honestos dederat tacitam licentiam, an vero possit petere restitutionem in integrum alterius negotij est, cum etiam Collegium idem habeat priuilegium, sic respondi, & placuit viris doctis, saluo, &c.

SUBRESOLVT. III.

De Religioso Missionario apud Mauros cui acquirat, an Monasterio, an Camera Apostolica, si ibi moriatur.

S V M M A R I V M.

1. Cui Religiosus missionarius apud mauros acquirat sibi ibi moriatur.
2. Ratio difficultatis assertur.
3. Ea quae acquisiuit ex negotiatione, vel arte prohibita missionarius, ad quem spectent.
4. Si Religiosus à principio ad mauros mittatur tanquam missionarius ad conuersionem infidelium, ibique acquirat bona licite, an acquirat conuentui.

1 **C**onsultus fui anno 1648. † de quodam Religioso qui missus est ad consolationem captiuorum inter Mauros, vt eis Sacramenta administraret, verbum Dei praedicaret, opera pia exerceret, vt Catholicos in fide solidaret, & similia, iste ibi degens plura acquisiuit ex donationibus fidelium, industria, & arte sua licita, interrogatus fui cum iste in fide requiesceret, cui haec omnia erunt? Conuentui, aut Religioni, cuius est filius, an Camerae Apostolicae? quae consultatio vniuersalior erit si fiat de omnibus missionariis earum Religionum, quae in communi aliquid proprium possunt habere, (nam de aliis non est difficultas,) siue mittantur à Religione sua, siue à Sacra Congreg. Eminentissimorum Cardinal. *de propaganda fide.*

- 2 Ratio difficultatis est, quia † vel ista bo-

na sunt acquisita ex negotiatione, aut alio modo prohibito à Sacris Canonibus, & haec iuxta Bullam Pij IV. pertinent ad Camera Apostolicam, vt vidimus, aut sunt acquisita arte honesta, aut donatione, & industria, & haec si Religiosus finiat vitam extra Conuentum, etiamsi extra illum habitauerit de licentia legitima suorum Praelatorum ad eundem Apostolicum fiscum, cuius sunt spolia, vt constat ex Bulla Gregorij XIII.

Respondi, quod † ea quae acquisiuit ex negotiatione, aut ex arte prohibita à Sacris Canonibus, haec dubio procul tanquam male, & peccaminose acquisita sunt spolia Camerae Apost. illique debentur in conscientia, ante omnem sententiam, iuxta ea quae diximus supra cum Redoano & Azor & hoc clarè determinat Bulla Piana.

De aliis vero bonis licite acquisitis à praefato Religioso distinguebam, quia aut iste à principio fuit captiuatus à mauris se ipsum redemit, ibique videns, quod necessarius sit ad aliorum consolationem, vitam miseram degentium de licentia tacita suorum superiorum inhabitat, & iste talis si moriatur ibi, bona eius si quae huic transmittantur spolia sunt Pontificia ad fiscum Apostolicum attinentia, quae Religio, aut conuentus retinere nequit, sed tenetur integrè restituere, nisi antequam adueniant, cum collectore Apostolico fideliter conueniat de quota reddenda, sicut fit in multis aliis Apostolicis spoliis.

Si verò iste † Religiosus à principio illuc mittatur tanquam missionarius ad conuersionem infidelium, ibique acquirat bona licite, ista acquirat conuentui, cuius est filius, aut Religioni suae, si in illa non est introducta conuentualis filiatio. Ratio quae me mouit haec est, quia iste missionarius formaliter non est extra conuentum, aut vitam Regularem, imò ad eam in illis partibus introducendam simul cum Euangelio, mittitur. Ergo Religio sua ob bonum, quod Ecclesiae impendit, non debet priuari iuribus Paternitatis, nec Religiosus iuribus filiationis, nec est iudicandum, quod Summus Pontifex priuet iuribus suis, eos qui vitam, & commoditatem patriae, relinquunt ob bonum fidei & Religionis Christianae. Quare dubio procul Gregorius XIII. loquitur de Religiosis qui ob speciales fines particulares de licentia suorum Praelatorum extra conuentum inhabitant siue habitu retento, siue non retento. Non tamen de his qui ob bonum Ecclesiae inter Barbaros militant ibique ad militandum pro fide disseminanda mittuntur: sic respondi, & placuit multis, saluo, &c.

SUBRESOLVT. IV.

De Religioso, qui adfiliatur alteri Monasterio, quæ secum portare possit? an libros quos ad impressionem habet paratos? an quantitatem pecunia?

SUMMARIUM.

1. An quando conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem, & nihil actu habet ex bonis professi, eo casu secum transfert eam speciem in secundum conuentum, cuius de nouo efficitur filius.
2. Census, pensiones, aut libelli fundati de pecuniis acquisitis à professo de licentia superiorum quantum ad ius fundi seu census capitale remanet ad primum monasterium.
3. Generalis resistente conuentu, an non possit bona acquisita professi transferre in secundum conuentum, & n. 4.
5. An non sit idem iudicium faciendum de iuribus filiationis in transitu de vna religione in aliam, ac de transitu de vno conuentu in alium.
6. Authoris iudicium propalatur, & num. 7. 8. & 9.

Pari modo videbitur alicui in hoc casu fore philosophandum, ac de Religioso transeunte de vna Religione in aliam, de quo plura dixi tom. 2. de congrua sustentatione Ecclesiasticorum omnium, & tractant latissime Sanchez in Sum. lib. 7. cap. 1. 2. n. 7. Bordonus ubi supra n. 21. qui dicit, quod † quando conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem & nihil actu habet ex bonis professi, eo casu secum transfert eam speciem in secundum conuentum, cuius de nouo efficitur filius, quia primus conuentus habet solam spem illorum bonorum, quæ euanescit statim ac professus desinit esse filius prioris conuentus, vt docet Glossa cap. vnic. 18. q. 1. & cum ea Sanchez ubi supra per inst. de acquisit. per arrogatio. §. Mortuo. Quod si in Religione probatus adsit vsus, vt professus de licentia superiorum habeat aliquos redditus, pensiones, libellos, seu census ad vitam huiusmodi secum transfert, quia prior conuentus illorum nullam acquisiuit proprietatem, aut dominium, sed solum quoddam ius permissiuum, vt professus dependenter à voluntate superioris possit illos redditus recipere ad suos licitos, & necessarios vsus, conuentu non potente in totum occurrere omnibus indigentis, consequenter ea bona nullo modo incorporata transeunt ad secundum Monasterium.

Et infra dicit, quod † census, pensiones, aut libelli fundati de pecuniis acquisitis à

professo de licentia superiorum, quantum ad ius fundi, seu census Capitale remanet, apud primum monasterium, exactio transit cum professo ad secundum vsque ad mortem postquam consolidatur fructus cum capitali, apud primum conuentum. Quia prius monasterium habet ius acquisitum, quo priuari non potest, fructus vero transeunt cum professo cum de licentia superiorum, sit destinatus ad vsus, & necessitates professi.

Et infra numer. 26. dicit, quod † Generalis, conuentu resistente, non potest bona acquisita professi transferre in secundum conuentum, vtique vero si consentiat. Primum suadetur. Quia Generalis non est Dominus absolutus suæ Religionis, sed eorum supremus administrator, tutor, & conseruator, ergo non habet plenam potestatem dispensandi de illis, consequenter indiget consensu eius conuentus à quo immediate possidentur eius bona. Tum, quia bona particulari conuentui addicta, & propria spectant ad totum illum conuentum, & consequenter sine consensu totius illius conuentus transferri non possunt, quod enim omnes tangit ab omnibus approbari debet. Tum, quia sicut Episcopus non potest auferre vni Ecclesiæ, & donare alteri sine consensu Patroni & Capituli, cap. nuper & cap. Pastor. de his quæ fiunt à Prelatis. Ita neque superior Regularis, quod dictum valde concludit ad resolutionem casus secundi vbi citati Bordonum hic.

Secundum, quod id possit de consensu conuentus probatur, tum quia id colligitur à pari de Episcopo ex citatis textibus, tum ex Glossa verbo à quocunque in fine cap. constitutus de Religiosis domibus. tum quia auferendo vni Ecclesiæ & dando alteri de consensu eius à quo fit ablatio non est alienatio prohibita, quum vtraque Ecclesia est sub eodem superiore auferente. Glossa cap. Ecclesia 45. 16. quest. 1. per leg. voluntas. Cod. de fidei iussoribus. Tum, quia licet cap. vni. §. finali. de Relig. dom. in 6. prohibeatur transitus vnus conuentus ad alium & consequenter alienatio vnus ad alium: intelligitur de conuentibus sub diuersis superioribus & ordinibus, vt inde colligitur. Tum, quia maior est alienatio personæ, quam bonorum Glossa verb. à Priore cap. post translationem 11. de renuntiatio. Cum ibi allegatis, sed de consensu vtriusque potest alienari persona, ergo & bona vnus conuentus in alium, de consensu vtriusque hætenus ferè ex Bordonum.

Ex quibus liquet, † non esse idem iudicium faciendum de iuribus filiationis in transitu de vna Religione in aliam, in quo totaliter alienatur persona, ac in transitu de

de vno contentu, cuius est quis filius in quo promisit stabilitatem, in alium in quo de nouo affiliatur, nam in priori transitu, vt quis secum transferat, ea, quæ habet & alienentur à religione ad quam fit transitus non sufficit consensus religionis, à qua, sed est necessarius consensus Pontificius sicut requiritur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, vt latè monstraui *lib. 1. de congrua Ecclesiastic. omni. Resolut. 2.* at in transitu ab vno conuentu in alium sufficit consensus capituli conuentus à quo vna cum licentia Generalis, aut Prouincialis, vt ibidem cum multis docui.

- 6 His positis consultus fui, † quidam Religiosus filius alicuius monasterij de licentia requisita & cum omnibus necessariis affiliatus est alteri monasterio eiusdem ordinis habens plures & graues libros paratos, vt prælo sudent, dubitatum est, an possit renuente Priore Conuentus à quo, secum libros hos, & manu scripta pretiosa secum deferre? quid in simili de transitu vnus Religionis in aliam sit sentiendum *tom. 2. de congrua docui*, aut in præsentis transitu vnus conuentus in alium, eiusdem Religionis nullus tetigit in terminis, & mihi videtur dicendum, quod etsi Doctores variant, an dū fit transitus ad aliam Religionem libros manuscriptos secum quis possit deportare sine licentia superioris eius Religionis à qua. Vt videre est in *Diana part. 3. tract. de paupert. Relig. Resolut. 25. Sanchez lib. 7. Summ. c. 32. à num. 13. Rodriguez tom. 2. quest. 79. art. 2. Bonacina quest. 2. de clausura punct. 9. difficult. 2. num. 5. Suarez tom. 2. de Relig. l. 6. de voto c. 13. nu. 11. Cardin. de Lugo tom. 1. de iust. & iur. disput. 8. sect. 4.* Cæterum dum fit transitus vnus conuentus in alium, cui de nouo affiliatur mihi videtur dicendum, quod Religiosus transiens secum adsportare potest libros, quos paratos habet impressioni, nec posse superiorem localem, aut capitulum hoc prohibere. Ratio quæ me mouit est, quia ad hos libros publicandos semper est tacitus consensus Religionis in cuius honorem publicantur, à Religione enim à capitulo, aut superiore locali petitur licentia, quare libri isti potius sunt totius Prouinciæ, aut Religionis, quam huius conuentus particularis, quare Generalis, aut Prouincialis possunt etiam renuente conuentu à qua, licentiam dare, vt qui alteri conuentui Religionis, aut Prouinciæ affiliatur secum illa scripta potest, cum intersit vtilitas totius Religionis, imò aliquando totius Ecclesiæ interueniat: sic respondi & placuit responsio. Adde, quod si liber prælo sudet cum laude & publica fama, ita vt pluris diuendatur prætium, quod resultat, demptis expensis, & aliis, quæ necessaria sunt ad sustentatio-

nem commodam Auctoris in victu & vestitu pertinent ad priorem conuentum ad quem iure pertinebant scripta illa.

Ad secundam consultationis partem de 8 quantitate pecuniæ, quam Religiosus habet, vel in deposito communi, vel extra de licentia superiorum, an dum affiliatur alteri conuentui possit sine consensu alterius conuentus à quo, secum adsportare. Respondeo, † quod si huius pecuniæ vsus non excessiuæ quantitatis concessus est ad commoditates, & sumptus licitos, & honestos, & res ad victus, & vestitus necessarias, tam in salute, quam infirmitate, potest secum adferre, quia talis vsus pecuniæ sequitur personam, cui concessus est ab eaque pendet in fieri & in conseruari, siquidem datur intuitu, vt suis necessitatibus, & indigentis occurrentibus, quibus conuentus non succurrit, dixi nisi excessiuæ sit pecuniæ quantitas, tunc enim prior conuentus ius habet ad excessum, sibi que competit cum eius filius ipsi acquisierit, sed quæ sit pecuniæ excessiuæ quantitas non potest certa regulâ definiri, sed hoc dependet ex vsu & consuetudine Religionis, ex ætate, salute & qualitate personæ Religiosi & aliis honestis circumstantiis, quibus valdè est attendendum.

SVBRESOLVT. V.

De Religioso, qui plura ex ludo prohibito à iure Canonico, & arte similiter prohibita Sacris Canonibus, acquisiuit? an debeantur Camera Apost.

S V M M A R I V M.

1. An quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisiuit arte, vel ludo prohibito à Sacris canonibus sit spoliū Camera Apostolica.
2. Auctoris iudicium adducitur, & numer. 4. & 5.
3. An Monachi, aut Religiosi quotiescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirant contra canones intelligantur acquirere.
6. An si aliquis Religiosus professus non destinatus choro, nec sacris ordinibus, sed sit frater laicus possit artem medicam exercere de licentia superioris, & lucrata ex illa Religionis, non Camera sunt.
7. Constitutio Piana limitanda venit in clericis in sacris non habentibus vnde uiuant.
8. Quid ex dictis veniat deducendum.
9. Syluestri sensus adducitur.

Suprà dixi cum communi & certa sententia, quod quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisiuit arte, vel ludo prohibito à sacris canonibus est spoliū cameræ Apostolicæ, ludus autem prohibitus, est ludus alex & taxillorum, *cap. clerici offic. de vita & honest. cleric.* artes vero prohibitas superadde ex textibus iuris canonici quos congeffit Azor, ex quo desumpsi loco cit.

Igitur tria fuerunt mihi consulta. Primū, an Religiosus si ludo prohibito à sacris canonibus aliqua lucretur, ludens de licentia sui superioris, ista sint spolia fisci Apostolice. Secundum, si sine licentia etiam tacita Prælati lucretur aliqua ludo non prohibito, vt tabularum, ad par, impar, per digitos qui Italicè dicitur *la Morra*. pertineat ad cameram. Tertium, an si quis Religiosus clericus, aut laicus vtens medicina, aut aliquo remedio medicabili corporis humani plura lucretur, sint Religionis, vel cameræ, hæ consultationes à transmarina ciuitate mihi remissæ *ann. 1644.*

Respondi, ad primum, quod † cum superior Regularis non possit dispensare in iure communi canonico, vt est indubitatum, ludusque ille taxillorum prohibitus sit Religiosis personis professis semper illa, quæ lucrata fuere sunt illicitè acquisita vt potè cōtra sacros canones, & sic sunt spolia Cameræ Apostolicæ, cui iuxta dicta in superioribus ante sententiam sunt danda Cameræ Apostolicæ, cui iuxta dicta in superioribus, ante sententiam sunt danda Cameræ Apostolicæ, apud quam est dominium priuatiuè ad alios huiusmodi acquiritorum ludo illicito, vt constat ex Bulla Pij IV. vt notant Nauarrus *de spoliis*. §. 7. n. 5. Azor *ubi suprà* p. 3. Scott. *in selectis Sum. Pont. epito.* 76. *Theorem.* 194. irritat enim Pontifex, quidquid in contrarium fuerit attentatum, vnde si quid acquisitum ex ludo demptis expensis victus vestitus religiosi ludentis post eius mortem superfit tenetur superior Cameræ Apostolicæ restituere, quia illi reseruatam est, quod aduertit Nauarrus *ubi suprà*.

Ad secundum respondet Azor *ubi suprà* **3** *quest. 8.* vbi ait † Monachi verò, aut Religiosi quotiescumque citra superioris consensum ludunt, quidquid acquirunt contra canones intelliguntur acquirere, quia in illis velle, vel nolle non est, absque superioris consensu, sed fundamentum huius doctrinæ sic vniuersaliter prolatum, verum non est aliàs omnis contractus licitus ex natura sua nulloque iure prohibitus, in speciali illicitus esset Religioso solemniter professio, & sic quidquid ex illo esset acquisitum pertineret, vt spoliū Cameræ Apostolicæ, quod **4** nullus dixit, quare existimo, quod † si Religiosus acquirat ludo licito, etiam si aliàs

prohibito à sua Regula sub peccato, ipsèque contra paupertatem peccauit, exponens pecuniam periculo, eam perdendi si tamen nõ perdidit, sed lucratus est lucrum non ad Cameram Apostolicam, sed ad suam pertinet communitatem & Religionem, quia Pontifex solum loquitur de bonis quæ acquisita sunt ex arte, aut ludo contra Sacros canones, in quibus sunt specialiter prohibiti vsus illorum, non de illis quæ generaliter prohibentur in Regulis generalibus, qualis est, quod Religiosus non habet proprium velle & nolle.

Ad tertium respondetur, quod ibi duo tanguntur, primum an Religiosus vtens arte Medicinæ, aut Chyrurgiæ aliãve prohibita, & certum est, quod lucrata istis si post mortem superfit sunt spolia reseruatam Cameræ Apostolicæ, vt constat ex dictis. Secundum, an si Religiosus habet aliquod remedium occultum, vt herbam, lapidem, cōfectionem à se inuentam contra aliquas infirmitates, quales, plures habere, cognoui si ex istorum remedium venditione de superiorum suorum licentia aliqua acquirat sint inter spolia Cameræ computanda, dixi quod non quia ista donare, aut vendere propriè non est vti arte Medica, quia vt benè Azor *ubi suprà quest. 6.* nomine artis Medicæ, & Chyrurgiæ intelliguntur artes ad corporis curam pertinentes, quæ sine sanguinis effusione, incisione, adustione, non exercentur, *cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

Verum est, quod † si aliquis Religiosus **6** professus non destinatus choro, nec Sacris Ordinibus, sed sit frater laicus potest artem medicam exercere de licentia superioris, & lucrata ex illa Religionis non Cameræ sunt, quia in præfato, *cap. causam.* de clericis in sacris altaris ministerio dicatis, est sermo, vt de Subdiacono, Diacono & Sacerdote. Vnde notat Nauarrus *comment. de spoliis* §. 7. n. 5. quod non sunt inter spolia computanda ea quæ ex negotiatione illicita, & alia arte contra Sacros Canones, quis clericus sæcularis existens in minoribus, non habens beneficium sufficiens ad congruam lucratus est, sed solum clericus in sacris etiam sine beneficio, & in minoribus habens beneficium sufficiens. Vnde † constitutio Piana etiam **7** limitanda est in clericis in sacris non habentibus. Vnde viuant, qui possunt vti artibus præfatis, tenentur tamen se abstinere ab altari propter periculum irregularitatis incursum ob defectum lenitatis. Censeo tamen, quod superiores non debent huiusmodi fratribus laicis licentiam dare, vt arte Medica, aut Chyrurgica, qua pollent, vtantur ex quo sequuntur magna inconuenientia & statui regulari valde incongrua, vt experientia mihi

mihi monstravit, quare cuidam Patri Provinciali consului ne permitteret, vt quidam frater laicus Chyrurgus curaret, & paruit consilio, quare nisi in casu grauissimo pro aliqua persona illustri hoc nullatenus est permittendum.

- 8 Ex dictis deducitur decisio alterius consultationis mihi factæ de quodam Religioso professo, qui apostatauit à Religione & in apostasia per aliquot annos perseueras multa lucratus in histrionatu, & arte musica qua eximie pollebat, ad cor reuersus ad Religionem rediuit, an bona ista si supersunt post mortem sint inter spolia Apost. computanda & Summo Pontifici reseruata. Respondi quæ ex publico histrionatu acquisiuit Religiosus iste si post mortem supersunt spolia sunt Camerae Apostolicæ, quia ars ista omnino est prohibita clericis, & religiosis, *cap. clericis.* cum Glossa *de vita & honest. cleric.* vbi Archidiano. & Geminianus dicunt, quod perdit priuilegium canonis, *si quis suadente* 17. *quæst.* 4. cum ex illa contrahatur iuris infamia, vt benè Syluester *verb. infamia quæst.* 5. *num.* 9. *leg.* 2. vbi Glossa *ff. de his que notantur infamia.* & qui est infamis iure ciuili est etiam infamis iure Canonico, vt idem Syluester probat *quæst.* 6. *n.* 11. ea vero quæ lucratus est arte musica, aut edocenda, aut quia ad conuiuia & nuptias & alias festiuitates profanas vocabatur non sunt spolia, ars enim ista licita est secundum se vt benè aduertit Syluest. *verb. ars q.* 9. *n.* 7. *alioquin* (inquit) *totius mundus damnaretur.* Vnde non potest esse illicita, nisi ex intentione, vel circumstantia loci, temporis, & huiusmodi, quæ tam sint peccatum mortale videre non est facile, quamuis si publicè in theatro vtatur quis huiusmodi arte citharista, quia sic est prohibita clericis, & Monachis. Ioann. Andreas *cap. donare* 86. *dist.* Syluester *verb. clericus.* 3. *num.* 5. *quæst.* 8. *vers.* & *facit.*

SVBRESOLVT. VI.

Cui debeat restitui furtum factum de re lucrata à Religioso per negotiationem, & contra Sacros Canones?

S V M M A R I V M.

1. *Cuinam furtum factum de re lucrata à Religioso per negotiationem & contra sacros canones restitui debeat.*
2. *Authoris iudicium adfertur.*
3. *An furtum, aut res quacumque acquisita etiam licitè si debeantur Religioso inhabitante extra claustra sua Religionis, extra que vitam finiat debeant restitui Religioni, an Camera.*

CONSULTUS fui in hac specie. † Quidam Religiosus lucratus est plura per negotiationem illicitam, & arte prohibita iure canonico, & Petrus ab eo suffuratus est duo millia scutorum, quæ restituere non valuit ante mortem illius Religiosi, qui intra Religionem defuit, aut extra de licentia legitima suorum superiorum existens, pluraque etiam licite lucratus est, & acquisiuit industria, & artificio suo quæ commodauit, aut mutuauit alicui dubitatum est in vtraque specie consultationis, cui facienda est restitutio Religioni, an Camerae Apostolicæ.

Respondi, quod † Camerae, hoc mihi indubium est, & ex Bullis Apostolicis in prima casus forma constat ex Bulla Piana applicante fisco Pontificio *bona acquisita per negotiationem, aut contra Sacros Canones, quibus (bonis) illos viuentes priuari, aut destitui contigerit eatenus remanserunt, aut in posterum remanent, &c.* atqui per furtum, quis priuatur & destituitur bonis quæ possidet, ergo fur mortuo religioso, non Religioni, sed Camerae Apostolicæ tenetur restituere, quia iam res furto erepta spoliū est Pontificiū, & ad fiscum eius iure pertinet, quod etiam tenet verum etiam si talis Religiosus negotiator in Religione vitam finiat, quia per hoc non aufertur ius dominij acquisitum ex iure nouo Pij IV. qui huiusmodi bona acquisita illicitè suæ Camerae applicuit, maxime si ista bona, extra Religionem manent, id quod notauit Suarez *vbi supra.*

In secunda specie casus etiam dicendum, quod † furtum illud, aut res quacumque acquisita etiam licitè si debeantur Religioso inhabitante extra claustra, suæ Religionis extra quæ vitam finiat (etiam si sit intra claustra alterius religionis, ad quam sine requisitis licentiis iuxta decretum Urbanum) debent restitui, non Religioni, sed Camerae, quod si Religioni restituat ista tuta conscientia non retinet, nec restitutor satisfecit obligationi suæ. Hoc constat clarè ex Bulla Gregoriana cuius resumen supra dedi.

SVBRESOLVT. VII.

De Religioso negotiatore per alium, & de illo qui vnica tantum vice negotiauit.

S V M M A R I V M.

1. *An quum Religiosus vnica negotiatione plura est lucratus, ista sint spolia in conscientia debita post mortem danda Camerae Apostolicæ, & n. 2.*
3. *Authoris mens adducitur, & numero 4.*

5. *Acqui*

5. *Acquisita à Religioso ex negotiatione illicita sunt spolia Apostolica, ex constitutione Piana.*
6. *An liceat Religioso per alium lucrari.*
7. *Clerici debent non solum abstinere ab his quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, ex S. Doct.*
8. *Negotiatio est Clericis & Religiosis professis prohibita iure Canonico.*
9. *Vera negotiatio quæ est illa quæ habet pro fine lucrum, & huius causa fit est prohibita Religiosis, siue exercentur per se, siue per alium.*
10. *Alexandri III. sensus adfertur, & n. 15.*
11. *An non lucri cupiditas & diuitiarum amor compatiatur cum totali abrenuntiatione rerum secularium, quam habent solemniter factam Religiosi professi, n. 12.*
14. *Azorij & multorum aliorum opiniones adducuntur.*
15. *An conuentus Religiosus nequeat etiam ad recuperandum debitum, officium mercatoris exercere, carius vendendo id quod vitius emit, & n. 16.*
17. *Quid ex præmissis veniat colligendum.*

Non est ita peruia vtriusque partis huius casus septimi decisio, & incipiendo ab vltima, an Bulla intelligatur, quæ Religiosus vnica negotiatione plura est lucratus, an ista sint spolia in conscientia debita post mortem danda Camera Apostolicæ, adfirmant Azor lib. 8. cap. 2. q. 5. versic. dubitauit. Rodoanus quæst. 2. de spoliis num. 65. Scortia vbi supra Theorem. 194. vers. sed quid si simul, quia licet negotiatores vel mercatores non intelliguntur in iure, qui semel tantum aut iterum negotiantur, attamen Pontificia cõstitutio absolute dicit spolia censeri, quæcunque maxime ex illicita negotiatione, acquisiuit, atqui negotiatio semel exercita à clerico etiam est mala & illicita, quia prohibita: sicut semel frangere ieiunium malum est, quia prohibitum, ergo bona per illam acquisita spolium est Apostolicum.

Sed et si pro foro externo hæc sententia indubitata sit, at si loquamur in foro conscientia, poterat quis non improbabiler dicere, quod ea quæ quis Regularis, siue sacerdos sit, siue non obligatus non sit, nec ipse, nec Religio, nec eius creditor restituere, nisi petatur à collectoribus Apostolicis, sitque virtualis sententia criminis semel cõmissi. Fundor primò, quia licet cõstitutio Piana simpliciter pœnalis nõ sit, vt supra vidimus, tamen cum per illam corrigatur ius commune ex vi cuius bona Religiosi negotiatoris debebantur Religioni, cui acquirit quidquid acquirit, auferaturque ius tertij scilicet Religionis, ratione vtriusque tituli limitada est cõstitutio, & vt ait Molina. t. 1. de iustit.

tract. 2. disp. 96. exigitur, quod verba legislatoris sint luce clariora explicantia suam mentem, vbi autem potest esse explicatio aliqua rationabilis, si lex est correctoria iuris communis, & derogatoria iuris tertij hæc explicatio est admittenda. Vnde cum lex quadam Hispana s. l. 5. tit. 11. nouæ Recop. dicit. *Por eso mismo hecho sin proceder a ello, ni para ello conocimiento de causa ni otra sentencia, ni declaracion alguna ayán perdido las mercaderias*, quas applicat Fisco, Azcuedo, Matienzo, & alij Regnicolæ, quos sequitur Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 90. n. 11. sentiunt nõ deberi hoc in conscientia ante declarationem. Rursus Auth. de restit. & ea quæ parit. et si propter vnicum stuprum factum à vidua intra annum luctus, vt communis sententia, quam sequitur ipse Thom. Sanch. n. 2. amittat nuptialem donationem, & quidquid ex virorum liberalitate consecuta sũt, & tamen hæc lex imperialis non intelligitur pro foro conscientia, vt multis citatis tenet ipse Sanch. n. 11. & validissime probat. Cum ergo cõstitutio dicat Piana, quod acquisita ex negotiatione illicita, sint spolia Apostolica, intelligi potest, quum negotiatio cõtinua est aliquibus vicibus sufficientibus, vt religiosus negotiator & mercator dicatur, sicut vt mulier vidua anno luctus fornicans amittat donationem dotalem, cui succedunt hæredes mariti quos assignat, lex requirit consuetudinem fornicandi, vt tenent Bart. Ripa, Dec. Angel. Hippol. Rosel. Nauar. & multi grauissimi Doctor. quos citat Sanch. vbi supr. n. 2. vers. & quamuis plerique. Sed hæc subicio Ecclesiæ sapientioris iudicio.

Circa primam casus partem, an liceat Religioso per alium negotiari? fui consultus nõ multis ab hinc diebus, supra enim insinuauimus non licere, quod hic explicatius est enodandum D. Th. 2. 2. q. 77. art. 4. duplicem rerum commutationem quæ ad mercatores pertinet, distinguit cum Ar. lib. 1. Polit. c. 1. 5. & 6. *vna est quasi naturalis, & necessaria propter necessitatem vitæ, & hoc proprie nõ pertinet ad mercatores, & negotiatores, sed magis ad æconomicos & politicos, qui habent providere domui, vel civitati de rebus necessariis ad vitam, & est laudabilis, quia deseruit naturali necessitati. Altera est commutatio denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum querendum, & hæc iuste vituperatur, quia quantum est de se deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit, & ideo negotiatio secundum se quamdam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione aliquid honestum, vel necessarium, lucrum tamen, quod est negotiationis finis, et si in sui ratione nõ importet aliquid honestum, vel necessarium nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel*

virtuti contrarium, & sic nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel honestum, sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando, querit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus, vel propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessaria ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris.

Ex qua doctrina in solutione ad 3. dicit, 7 quod † clerici non solum abstinere debent ab his que sunt secundum se mala, sed etiam ab his que habent speciem mali, quod in negotiatione contingit. Tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores. Tum, quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens ab spiritualibus retrahit. Vnde Apost. dicit 2. ad Timoth. nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. hæc D. Thom. quæ multo magis vrgent in viris qui professione solemnibus votis se totaliter Deo dedicarunt, & sæcularibus abdicarunt.

Et propter hanc turpitudinem ratione, cuius negotiator dicitur, attendere ad lucrum, vt ad finem & se implicat negotiis 8 sæcularibus, † negotiatio est clericis & Religiosis professis prohibita iure canonico, à Deo, quod nisi interueniat commutatio œconomica propter domus & personæ necessitatem, aut politica propter publicam utilitatem, aut charitatiua, vt subueniatur indigentibus, in quibus lucrum, non attenditur, sed succursus necessitatis, vel propriæ domus, aut patriæ, aut pauperum, negotiatio omnino sit prohibita, cap. consequens dist. 88. vbi Gelaf. Papa clericis ab indignis quæstibus abstinendū, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandum, c. Negotiatorem. c. fornicari. eodem & cap. final. de vita & honest. cleric. & cap. secundum 6. dicitur sub interminatione anathematis, ne Monachi, vel clerici causa lucri negotientur. Horum omnium rationem dedit Apost. 1. ad Timoth. 6. Habentes alimenta ex quibus tegamur his contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua que mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, scilicet lucri & diuitiarum, vt communiter ab expositoribus intelligitur.

Ex quibus solidis, & veris principiis colligitur manifestè, quod † vera negotiatio, quæ est illa, quæ habet pro fine lucrum, & huius causa fit est prohibita Religioni, siue exerceatur per se, siue per alium, amicum, fratrem, socium in negotiis, aut similem personam, non enim solum prohibetur negotiatio illis, quia indecorum sit, quod personaliter negotientur carius vendendo immu-

tatum, quod vilius emerunt, sed quia Religiosi cum sint Deo totaliter mancipati, totaliterque rebus sæculi abrenuntiarunt sub anathematis pœna illis est prohibitum causa lucri negotiari, vt ait † Pontifex Alexand. 10 III. rescribens Loudonens. Episcopo, quod dicit esse instituta Prædecessorum suorum, addit Pontifex, & ne Monachi à clericis, vel laicis suo nomine firmas, (id est obligationes, vales) habeant, quia, vt ait Gloss. verb. firmas, suspicionem habet cupiditatis, & quasi negotiatio est, hoc intellige suo nomine, vt hic dicit, sed nomine monasterij causa necessitatis licitū est, ergo manifestum est, quod Religioso prohibitum est negotiari causa lucri, siue per alium, quamuis enim dum negotiatur per alium non sit personalis indecentia, est tamen lucri cupiditas, quæ est præcipua ratio prohibitionis.

Non enim † lucri cupiditas & diuitiarum 11 amor compatitur cum totali abrenuntiatione rerum sæcularium, quam habent solemniter factam Religiosi professi, siue hoc lucrum emendo vilius, & vendendo rem immutatam carius, cupiatur & ambietur illud exequendo per se, siue per alium non dimittit cupiditatem, imò forsan auget & multiplicat inutilia & nociua desideria, que demergunt hominem in interitum & perditionem, inciduntque in tentationem, & in laqueum Diaboli. vt aiebat Paulus.

Quis enim dubitare quit quantum diuertat Religiosum mancipatum totaliter diuino seruitio hapothecas mercium rerumque venialium, ad quinquaginta millia ducatorum habere, vt lucretur in eis immutatis reuendendis, commerciæque habere in nouo orbe, aut India Orientali, quò mittunt res venales eodem modo ac alij mercatores sæculares, quamuis hæc mercimonia non exerceant immediatè per se ipsos, sed per suos ministros & consocios sæculares: sic † enim Alexander III. prohibet Religiosis 13 ne nomine suo habeant firmas sæcularium. quia suspicionem habent cupiditatis, quanto magis prohibent per sæcularium administrationem, mercaturam, & negotiationem, certè enim non video, qua ratione id fieri possit non solum in foro exteriori in quo & scandalum magnum generat & subibit pœnas clericis, & Religiosis negotiatoribus impositas, sed in foro conscientie cum faciant rem prohibitam nisi Religiosus, aut communitas Regularis pauper sit, tunc enim cessat ratio legis, & D. Thom. quia lucrum, quod intendit ordinat ad necessitatem conuentus, aut personæ, & sic est negotiatio œconomica, aut politica, quæ non prohibetur à sacris Canonibus, cum non intendat lucrum, sed naturæ necessitati succurrere.

14. Hinc enim est † Azorium *part. 2. lib. 6. cap. 14. quest. 2.* Lessium *lib. 2. de iust. cap. 21. num. 6.* & alios dixisse esse licitum Clerico, aut Conuentui Religioso, si ille habet pecunias ex patrimonio, & iste ex suis redditibus, & bonis eas colligit, dare eas mercatori ad negotiationem, quod licet Lessius dicat parum esse decorum statui Ecclesiastico, & non faciendum, sine iusta causa excusante; sed ego hanc doctrinam, quam sumpsere ex Medina *Cod. de restit. quest. 31.* veram dumtaxat intelligo, quum hæc pecuniæ dantur ad negotiationem non spe lucri, quia hoc est omnino illicitum, sed cum datur intuitu alicuius necessitatis æconomice præsentis, vel futuræ, & ad sustentationem decentem familiæ, aut succursum pauperum, hæc enim ipsa datio pecuniæ alicui, vt ipsa negotietur, & danti retribuatur interesse negotiatio est, & firmas habere à laicis, quam prohibet Alexander III.

15. Vnde egregiè respondet Cardinalis de Lug. *lib. 3. respons. Moral. dub. 20.* quod † Conuentus Religiosus nequit etiam ad recuperandum debitum, officium mercatoris exercere, carius vendendo, id quod vilius emerunt, v. g. ex facultate Regni, aut Ciuitatis, quæ id prohibet statuto, aut lege emerunt triticum pro decem Iuliis, aut Regalibus mensuram, quam immutatam alio transferunt, & vendunt viginti, quia hoc est vera negotiatio Religiosis prohibita, quare possunt vendere facultatem illam extrahendi triticum, aut ipsum triticum vendere carius quam emerunt non licet, sicut si fiat facultas vendendi carnes in Macello, aut cartas lusorias, non licet hoc facere Religiosis, etiam per suos ministros, bene tamen possunt vendere facultates has laicis, vt ipsi vendant, quod si non sit, qui facultates has emat, potest Conuentus mutare pecunias ad emendum triticum, etiam

16. si Communitas subeat periculum damni: nam vendito tritico alibi asportato, ex pretio recuperatur mutuuum, & ex lucro debitum antiquum, quod bene explicat ibi Cardinalis, quod ego intelligerem, nisi Conuentus ad sustentationem familiæ indigeret debiti recuperatione, nam tunc negotiatio est æconomica, aut politica, vt dicebam ex D. Thom.

17. Ex dictis, & decisis in hoc casu colligitur, † quam sancte & prudenter Urbanus VIII. in Constitut. in ordine 126. & incipit..... anno..... die..... mense..... interdixerit sub pœna excommunicationis; vna cum priuatione vocis actiua & passiva officiorum, graduum, & dignitatum, & inhabilitatis ad ea, & amissione mercium, ac lucrorum ex eis factorum, quamcunque mercaturam,

seu negotiationem exercere, Missionarios ad Iaponiam, & alias gentes Orientalium Indiarum, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue Communitatis nomine, siue indirectè, siue directè, aut alio quouis pretextu, causa, & colore. Maxima enim turpitudine est, vt tractans de animarum lucris, temporalibus lucris inhære. Quæ ratio procedit etiam si Religiosi alibi gentium intuitu lucri negotientur, siue per se, siue per alium.

SVBRESOLVT. VIII.

De Religioso eiecto à Religione iuridice, negotiatore?

S V M M A R I V M.

1. An eiectus à Religione sit subditus Episcopo originis, & illi acquirat.
2. D. Thome sententia adducitur.
3. An Religiosi ad trirèmes damnati acquirant Camera Apostolica.
4. Urbani VIII. sensus assertur, & n. 5.
6. Eiectus à Religione ex vi voti obedientie solemnis, quod emisit in professione, an teneatur obedire Episcopo, cui sententia expulsionis notificata est.
7. Authoris iudicium propalatur. & n. 8. & 9.

PLura dixi de eiectione Religiosi à Religione sua, habitusque exspoliatione explicans Decretum Urbanum, de hac materia editum anno 1624. sub die 27. Septembris, tom. 2. de congrua sust. Ecclesiast. omnium. Sed hic cui, dum in eiectione incorrecti extra Religionem perseuerant, acquirant: breuiter videndum, vt post diggrediar aliquantulum antequam ad alios casus descendam: & quidem si loquamur iure communi. Nauar. comment. 2. de Regular. num. 2. dicit, quod † eiectus est subditus Episcopo Originis, & quod illi acquirat, quod latè probat; & subdit: Cui autem acquirant, & subijciantur Regulares exauthorati, & habitu religioso priuati, & ad trirèmes damnati, si quid in eis querant commissum aliquo prælio nautali, vel inde fuga, & pretio redempti in partes remotas deuenientes, questionis implexæ videtur: & satis æquè responderi posset eisdem Episcopis subditos fore, quibus trirèmes ipsa, & alij eis adducti suberunt, donec in eis manserint, postea vero finito tempore ibi remanendi, vel redempti debent redire ad Episcopatus suarum originum, & subesse Episcopis illarum, vel impetrata ab eis facultate, transire ad alios. Quæ limitanda sunt ne procedant in iis, qui non solum eieciuntur à Monasteriis, sed etiam relegantur à Prouinciis suarum originum, illi enim non possunt etiam si maxime velint subesse Episcopis Episcopatum Prouinciarum illarum, quia

tenentur etiam in foro conscientie ad imple-
dam penam sibi à iudice competente latam, ut
2 determinat † D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 3. quos
de rigore arbitror solius Papæ obedientie & iu-
risdictioni spirituali subiectum iri, eique soli
quæcumque acquisierint quæsitum iri, quamvis
ex quadam equitate & tacita mente Papæ si
longè ab urbe exterminarentur, satisfacerent
forè suis conscientis de eligendo aliquem Epis-
copatum, cuius Episcopo obedirent argumento.
cap. nihil de elect. an autem huiusmodi Prælati
possint subditos Regulares ad triremes damnare
tangetur in comment. cap. nullum. 18. q. 2. n. pen.
Hactenus vir doctissimus.

Cuius doctrina quoad omnia, quæ dicit
verissima est iure communi, etsi post decre-
tum Urbanum, & ius nouum Gregor. XIII.
in aliquibus non subsistat. Primò, quantum
3 ad acquisitionem rerum, isti enim etiam ad
triremes damnati acquirunt Camerae Apo-
stolicæ, etsi extra Religionem decedant
quæcumque bona, sunt spolia Pontificia, ut
habet in sua Bulla Gregor. XIII. ut vidi-
mus. Secundò, quod eiectus non est subie-
ctus necessario Episcopo Originis, sed Epif-
cupo loci in quo fit eiectio, & sententia eie-
4 ctionis datur, ita † Urbanus VIII. in suo de-
creto §. 7. ibi. Sic verò eiecti quandiu non re-
dierint ad Religionem in habitu clericali ince-
dant atque Ordinarij loci iurisdictioni & obe-
dientia subsint. Proindèque Generalis illico ex-
pulsionis sententiam eisdem ordinario notificare
teneatur. Quare admittendum non est, quod
dicit Pellizarius tom. 2. Manual. tract. 8. c. 8.
n. 8. quod eiectus audita sententia eiectionis
debet eligere domicilium, & id indicare
Generali, ut sic isti constet, cui ordinario
debeat notificare sententiam eiectionis, hoc
inquam admitti non debet, quia videtur cla-
rè contra decretum, quod dicit Ordinario lo-
ci utique in quo fertur sententia debet ea noti-
ficari, posset enim eiectus dicere se velle
subiici Episcopo Manilæ, aut Iapponensi,
vel alij longiori, cui moraliter est impossi-
bile notificari, & sic nullius obedientie, aut
Iurisdictioni maneret subditus, quare noti-
5 ficanda est sententia Episcopo Originis (si
commodè fieri potest) cuius domicilium est
immutabile, leg. assumptio ff. ad Municip. nec
perditur per accessionem, aut amissionem
dignitatis quæ non aufert, sed cumulat do-
micilium, leg. senatores. ff. de senator. vbi Bart.
Decius leg. cum quadam puella ff. de iurisdic-
t. omnium iudic. etenim domicilium quæ situm
per beneficium, Abbatiam, aut Monacha-
tum tandiu durat, quandiu hæc durant, ut
notant Barth. leg. 1. ff. de municip. & ad eli-
gendum Episcopum Originis habet ius eie-
ctus, quod si isti commodè notificari ne-
quit, sufficit, quod notificetur Episcopo loci,
in quo fertur sententia, & in quo eiecitur

Religiosus & spoliatur habitu, eo enim ip-
so, quod spoliatur subditur Iurisdictioni &
obedientie Episcopi loci, nisi antea ipse ele-
gerit subdi Episcopo domicilij.

Sentio enim cum Nauarro & aliis quos
citatur Sanchez lib. 6. Summ. cap. 9. n. 29. quod
† eiectus à Religione ex vi voti obedientie &
solemnis, quod emisit in professione tene-
tur obedire Episcopo, cui sententia expul-
sionis notificata est, contrarium sentiunt
Molin. tom. 1. tract. 1. disp. 140. Azor p. 1. l. 12.
cap. 16. q. 11. Lessius lib. 2. cap. 41. n. 114. Pel-
lizar. vbi supra. asserentes, quod huiusmodi
eiecti non tenentur specialius obedire Epif-
cupo, quam obediunt alij clerici, quorum in-
star, dumtaxat tenentur obedire. Vnde ad
libitum inconsulto, & repugnante Episcopo
potest Diocesim & domicilium mutare, id
quod tenet Suarez tom. 4. de Religio. tracta-
tu 8. lib. 3. cap. 6. num. 15. quia non sunt mul-
tiplicandæ obligationes absque sufficienti
fundamento.

Sed, † ut dixi ego contrarium prorsus ve-
rum existimo, fundor in decreto Congre-
gat. Urbanæ dicentis, quod huiusmodi eiecti
in habitu Clericali incedant atque ordinarij lo-
ci iurisdictioni & obedientia subsint, quibus
verbis manifestè, id quod dico, docet, et-
enim sicut expulsus ex vi voti paupertatis
omnino incapax est dominij & proprietatis,
etsi eorum, quæ acquirat habeat liberam
administrationem, & per votum castitatis
est incapax contrahendi matrimonium, &
quocumque luxuriæ peccato etiam peccat
contra religionem voti. Ergo ex vi voti so-
lemnis obedientie non habet proprium velle,
aut nolle, ut dicitur cap. si Religiosus de
elect. in 6. Ergo ab alia voluntate superiori
debet dirigi in proprio velle & nolle non
superioris regularis à quo eiecitur, & à cu-
ius iurisdictione absoluitur per eiectionem
iuridicam, ergo Summi Pontificis cui ma-
net subditus, non solum in quantum fidelis
& sicut omnes alij agni, quos pascit tan-
quam vniuersalis Pastor totius ouilis Chri-
sti, sed etiam tanquam Religiosus ratione
voti obedientie, atqui ita dum Pontifex eie-
ctum à religione subdit Episcopi loci iurif-
dictioni & obedientie, ipsi Episcopo delegat
iurisdictionem specialem, ut eiectum dirigi-
gat, ut præcipiat, non solum tanquam
vnum ex clericis, sed tanquam Religiosum
obligatum triplici voto solemnem ad quorum
obseruantiam potest obligare & in ordine
ad illam præcipere ea quæ media necessa-
ria iudicauerit, quæ nequit præcipere cleri-
cis sæcularibus, qui tribus istis votis non sūt
adstricti, quare potest præcipere ne à Dice-
cesi sua discedat, aut domicilium mutet,
quia hoc iudicat expedire ad obseruantiam
votorum. Vnde corruunt ea quæ contrarij
obiiciunt

obiiciunt & quæ Nauarrus docuit, quantum ad hoc in sua energia & efficacia perseuerant.

DIGRESSIO

Circa hunc casum. Vtrum nõ obstante decreto Urbano, circa formam eiiciendi Religiosum professum à Religione, possit Prelatus Regularis propter delictum atrox, non seruata forma, ad triremes per decennium damnare.

S V M M A R I V M.

1. *An ut vindicta iusta exerceatur in malefactorem qui condemnari debet ad triremes debeat seruari forma Urbana ad iuridicè eiiciendos & expellendos Religiosos solemniter professos à Religione, & n. 2.*

DE hoc casu his diebus interrogatus fui occasione cuiusdam fratricidij à quodam Religioso perpetrati, qui alium eiusdè sodalitiij occidit, dum dormiret in lecto, in ipsumq; insurrexit velut Cain in innocentè Abelem pugione cor transfuerberans, sanguisque eius clamat de terra petens iustam pœnā atrocissimi delicti sine causa cõmissi, & inquit, † an ut vindicta iusta exerceatur in malefactorem qui condemnari debet ad triremes, debeat seruari forma Urbana sanctissima, & prudentissima tradita ad iuridicè eiiciendos & expellendos religiosos solemniter professos à Religione. Respondi nõ requiri, quia forma Urbana solum præscribitur quū directe, & per se, quis expellitur à Religione, quod solum debet fieri propter incorrigibilitatē & seruatis illis circumstantiis, quæ in decreto iure nouo determinantur, & aliter facta eiectio iuridica non est, nec licitè fit à superioribus, qui si aliter faciant, tenentur in cõscientia habitum & habitationē regulare restituere expulso, & eiecto vtpotè facta sine iurisdictione, non verò loquitur Urbanū decretū de punitione debita propter atrox delictū, cui imponitur pœna à iure taxata, & à iudicibus practicata, etiā si ad istā sequatur, quod reus & habitu expolietur & à Religione expellatur, quia aliter nequit delictū pœna debita, vt iustitia legalis, & vindicatiua exigit puniri, hæc resolutio mea pluribus viris doctis placuit & multi petierunt enixè, vt eam neruosè comprobarem, quod libenter præsto, quia magnæ utilitatis est.

S E C T I O I.

Pars negatiua argumentis & auctoritate firmatur.

S V M M A R I V M.

1. *Nullus legitime professus eiici potest nisi sit incorrigibilis.*
2. *Lezana mens adducitur, necnon Sacra Congreg. & n. 3. & 4. & multorum aliorum, & num. 5.*
6. *Authoris iudicium assertur, & n. 7.*
8. *An precisè per ingressum conuentus vna, vel altera vice ob malum finem exequendum cum seculari ibi morante non arguatur incorrigibilitas, etiam de facto, & n. 9.*

COrdubæ, & Granatæ viri docti, diuersarum communitatum alumni consulti non in hoc casu, sed in alio de quodā fratre laico, qui scala per murum ingressus est Monasterium Monialium, in quo per spatiū triū horarum cum quadā sæculari cuiusdā Monialis seruitrice stetit, propter quod delictū, quod publicum fuit Prouincialis ipsum fratrem laicum non seruata forma Urbana ad triremes per decennium damnauit, & præfati viri docti dixere, id non potuisse facere Prouincialē, sed incurrisse pœnas latas in decreto Urb. V I I. contra non seruantes formam ibi nouo iure introductam, quod variis mediis non ineruditè probant.

Primò, ex verbis decreti præfati §. 4. *vt in posterum nullus legitime professus eiici possit nisi verè incorrigibilis, verè autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum cõcurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublati hæc in parte statuti & constitutionibus cuiuscumque religionis & ordinis etiā à Sede Apostolica approbati, & c.* vbi sacra Congregatio duo dicit valdè notanda. Primū, quod † nullus legitime professus eiici potest, nisi sit incorrigibilis, ergo qui corrigi est paratus, quātumuis delictū sit enorme, cum non sit incorrigibilis, eiici nequit ab ordine & habitu regulari spoliari. Secundum, quod non est verè incorrigibilis, nisi incorrigibilitas constet post annum carceris in pane, & aqua, & aliis pœnis, quod cum statuatur tāquam forma eiiciendi & expellēdi Religiosum professū absolutèque sit introducta absque distinctione delicti, ex quo oritur iuridica incorrigibilitas, nec nos debemus distinguere, sed expectanda est distinctio ab ipsomet legislatore, nā indubitātū est, quod lex generaliter loquēs, generaliter est intelligenda, *leg. de pretio 10. de public. rerum act. leg. in fraudē 16. de testam. mil. leg. cū leg. ff. de testam. & tradunt Dec. leg. factum §. pen. ff. de reg. iur. Alciat. in Rubri. de verb. signific.*

Secundò, quia licet olim Prouinciales cum consensu diffinitorum ex vi priuilegiorum possint eicere Religiosum professum, tamen hodie nequeunt cum omnia huiusmodi priuilegia penitus sint reuocata specialissima, & strictissima reuocatione verbis comprehendentibus omnem omnino modum, aut titulum ad talem eiectionem, vt constat ex

2 §. 10. eiusdem Decreti † vnde Lezana tom. 2. Summa cap. 12. n. 8. dicit quod anno 1635. non sunt approbatæ cõstitutiones cuiusdam grauis Religionis, quia asserbant quod visitator aut Prouincialis cum sex Patribus poterat expellere Religiosum professum à Religione. Quæ doctrina verum maxime tenet quia in Religione Seraphica anno 1612. Reuerendiss. Generalis F. Ioannes à Ferro declarauit quod censetur expulsus ab ordine qui est damnatus ad triremes, etiamsi in sententia nõ declaretur expulsio, vt referunt Hieronymus Rodrig. Resol. 57. n. 8. Manuel Rodriguez to. 1. q. 23. art. 5. Portel in dubiis verb. eicere n. 6. ergo ex damnatione ad triremes expulsio per se sequitur.

3 Tertiò, quia † sacra congregatio in præfato Decreto §. 4. sic grauissime fatetur. *Ceterum sacra congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paterna charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur nihil intentatum relinquunt, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis re-*

4 *medium experiantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentiam & sui officij immemoriam Prælatorum regimine peribunt D. N. Iesus Christus in Supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.* Hactenus Congregatio, ex quibus validissimum desumo argumentum expulsio à Religione est grauissimum, & extremum remedium, quod Prælati regulares adhibere possunt, antè quod nihil intentatum relinquere debent, vt lucrentur animas fratrum in profundum fere malorum delapsas atqui multo grauius est remedium dånationis ad triremes in quibus anima fratris maiori periculo perditionis existit vt bene aduertunt Viualdus tractat. de deposit. & degradat n. 38. & ex ipso Peyrinis de subdito

5 Religio. q. 1. cap. 27. etenim damnatus ad triremes habitat cum turcis, mauris, infidelibus latronibus, aliisque pessimis hominibus, absque sacramentis, & aliis adiumentis ad spiritualem consolationem, moriturque quasi desperatus inter vndas, & flagella, vnde iure Peyrinis locum istum *infernum temporalem dicit*, cuius qualitates intolerabiles doctissime enodat, propter quod dixit Viualdus *vellem equidem, vt si aliquis mihi notus vel coniunctus ad triremes esset condemnandus,*

vt morte potius puniretur quacunque subita naturali quam civili, in morte enim naturali per ministros iustitiæ data multa reperiuntur commoda, videlicet confessio, sacratissima communio, indulgentiarum acquisitio, piorum hominum confortatio, &c. Quibus omnibus potest frui expulsus ad sæculum, & vix damnatus ad triremes, vnde satis pie, & prudenter Peyrinis pag. mihi in parus 345. sic fatetur. *Fateor tamen quod melius esset tum pro Religionibus, tum pro istis scelestis, qui propter facinora perpetrata sunt digni vt ad triremes eiiciantur, eos ad perpetuos, & duros carceres, compedibus, disciplinis, & inedia torquendos, condemnare, sic enim de eorum salute, & correctione posset sperari, quod etiam notat Rodriguez de ordine iudiciar. cap. ult. concl. 4.* Hactenus ille satis conformiter ad Decretum Vrbanum, quod tunc dum illa scripsit vir doctus nondum erat editum. Hoc argumentum valde vrgens est, & grauissimum existimo.

Quartò, videtur certum, quod † Religiosus iste laicus (loquor de alio casu qui Granatæ occurrit) qui per murum cù scala intrauit Monasterium, vt rem haberet cum feruitrice, illa non videtur post Decretum Vrbanum ad triremes posse damnari, quia scalatio conuentus ad rem habendam cum sæculari ibi existente non est delictum, quod legibus ciuilibus in praxi puniatur pœna mortis, quæ solum est imposita ei qui rem habet cum Religiosa professa solemniter, quod etiam intelligitur, quò interuenit violentia siue respectu personæ siue respectu conuentus, vt si extracta sit à Monasterio rumpendo portas, vel per scalas, etiamsi ipsa volens extrahatur, vt notat Azcuedo lib. 8. Recopil. leg. 7. n. 59. & n. 63. vbi non adest violentia minori pœna punitur, nam si sit homo honoratus punitur in amissione dimidietatis bonorum, si fuerit homo vilis publice flagellandus, & num. 68. dicit, *sed si sit nouitia ita vt nullum velum haberet, tunc non dicitur monialem cognouisse, etsi sit conuersa non punietur eisdem pœnis, sed grauioribus, quam si sit laica*, ergo isti Religioso scala ingredienti monasterium, vt accessum haberet ad sæcularem ibi degentem non est danda pœna triremium, dicere autem quod est lex Lusitana, quæ punit pœna mortis, cum, qui ingreditur Monasterium ad rem illicitam contra castitatem perpetranda, sed imprimis hæc lex non obligat in castella, tum quia loquitur de Monialibus lex etiam Hispani styli 74. quum quis scala noctu ingreditur domum ad violandam scæminam honestam, non tamen si ipsa consentiat in accessu carnali, & ex eius consensu murus, & domus scaletur, non imponitur pœna mortis.

8 Quintò, quia † præcisè per ingressum Conuentus vna vel altera vice ob malum finem exequendum cum sæculari ibi morante, non arguitur incorrigibilitas, etiam de facto, culpa enim ingressus huiusmodi alia pœna punitur iure Canonico, scilicet excommunicatione ipso facto reseruata Summo Pontifici, vt latè Bonac. *de clausur. q. 4. punct. 5.* Tamburin. *de iure abbatiss. disput. 7. quest. 9.* non autem imponitur pœna incorrigibilitatis, etiam de facto, quæ tunc solum est, quum, quis licet de iure incorrigibilis non sit, quia ter conuictus & punitus non fuit, est tamen de facto propter eius conditiones naturales notas, quia scilicet vitii affuevit, & ad hæc habent naturalem inclinationem, vt benè notant Rodriguez *tom. 1. quest. 30. art. 15.* Miranda *tom. 3. Manual. q. 52. artic. 2.* Peyrinis *de subdito. quest. 1. cap. 25. pag. mibi. 284.* Pellizar. *fatis insinuat tract. 9. cap. 4. num. 232.* scilicet autem pro vna vice alicuius conuentus, vt fiat accessus ad sæcularem ferè certum est, quod non sit incorrigibilitas requisita ad expulsionem post Decretum Urbanum, quod multa requirit, vt quis incorrigibilis verè existat, vt benè Machado *tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 4. docum. 3.* vnde si ad expulsionem non sufficit hoc delictum multo minus ad trirremium, quod multo plus est, quam simplex expulsio, vt manifestè probat tertium argumentum.

SECTIO II.

Opinio affirmatiua pluribus adstruitur argumentis.

S V M M A R I V M.

1. *Authoris iudicium pro palatur. & num. seqq.*
4. *Sacra Congregat sensus afferitur.*
5. *An Regularis monet as aureas, aut argenteas tondens, fabricans, aut alias adulterans praua degradatione iradatur brachio, & curia sæculari.*
6. *Bonacina mens adducitur, necnon Santoro, & num. 7.*
8. *Omnis dispositio potius recipit interpretationem à iure consuetudinario, quam à iure communi. & n. 9.*
10. *Gregory XIII. concessio.*
11. *An ad expressionem post Decretum Urbanum sufficiat incorrigibilitas de facto presumpto. & num. 12. 13.*

ANno præterito 1654. typis sudauit interpretatio quædam doctrinalis (hic enim est titulus scripti) Decreti Urbani à Reuerendissimo Patre Gaspare Roman eiusdem Prouinciæ quondam Prouinciali, qui totis neruis conatur defendere, quod non

obstante præfato decreto potuit Prouincialis ad triremes per decennium damnare præfatum Religiosum laicum, qui scalà applicata muris clausuræ Monialium ingressus est Monasterium, in quo dimorans trium horarum spacio accessum habuit ad feruitricem monialis sæcularem voluntariè consentientem, nullamque decreti pœnam incurrisse ex tali sententia prolata per Prouincialem, quod pluribus confirmatur ad præsentem casum extricandum, an foelicitè attentis omnibus lilius circumstantiis, infra dicam.

Igitur probatur. Primum, quia cum motiua ratio legis, maximè si in ipsa lege exprimat est ipsius legis anima qua regitur & vires exerit ad obligandum, vt est commune iuris axioma, atqui motiuum huius decreti Urbani fuit, vt constat ex proemio, quod tale est. *Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum Regularium eiectorum & fugitiuorum statui consulere, illorumque scandala summouere & incrementem numerum frangere opera pretium existimans, auditis Religiosum superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam Consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex speciali sanctitatis sue facultate infra scripta decreta edidit.*

Ex quibus verbis clarè liquet Congregationem motam ad huiusmodi decreta, vt scandala fugitiuorum & eiectorum vitet & summoueat, insuper frangere & minuere horum eiectorum numerum, qui in dies inualescebat & augebatur facilitate ex zelo in discreto orta superiorum eiiciendi à Religione, non attendentium, an eiectus animū haberet se emendandi, & corrigendi, & incorrigibilitatem de facto pro arbitrato suo, & forsan ex passione odij extendentes mundus abundabat eiectis Religiosis. Vnde huic malo volens Sacra Congregatio obuiare, formam eiiciendi constituit, qua non seruata eiectio iuridica non est, sed inualida declaranda; forma autem in tribus consistit. Primum, quod nullus Religiosus professus expellatur nisi incorrigibilis. Secundò, quod non sufficit incorrigibilitas de facto in delictis communibus, sed debet esse incorrigibilitas iuris quæ tunc interuenit, quum reus tribus vicibus, & correctus est, & punitus, & tamen non euadit emendatus; vt tenent Canonistæ, *cap. cum ab homine de iudiciis.* vbi Panormitanus, & alij quos citant & sequuntur Aldrete *lib. 2. cap. 20. n. 24.* Santoro *de Malefic. tom. 2. de pœnis cap. 19. quest. 3. §. si autem,* & omnes qui tractant de ordine iudiciali. Tertio, quod non censeatur verè incorrigibilis nisi post prædicta eiiciendus vnius anni spacio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus, quo elapso, si nihilominus non resipuerit, tunc tanquam vere

incorrigibilis, & pecus morbida, membrum-que putre eici, tandem potest.

4 Ex quibus liquido constat † sacram Congregationem nō loqui de Religiosis qui perpetrant atrociam delicta propter quæ pœna mortis in praxi legibus ciuilibus exercetur, istorum enim numerus non adeo crescit, sed rarissimus est, qui talia agat, rursus scandalum quod causerunt, vt auferatur punitio- nem exigit præsentaneam; si enim est Religiosus ita facinorosus, vt superiorem suam sine causa, aut occidit aut graue vulnus impigit, vel sit publicus viarum latro, vel crimen læsæ maiestatis humanæ commisit, aut fabricator est falsæ monetæ, cum magno reipublicæ detrimento, si assassinus, si latronum dux, quis dubitat quod de his non loquatur Sacra Congregat. quod amplius *scet. sequenti*, monstrabo, vnde Sanctoro de Mel-
fis *ubi supra*, dixit de incorrigibilitate de facto sentio posse aliquem Religiosum ob graue delictum semel patratum non solum expelli, sed ad triremes damnari, nec enim expectare debemus, vt qui Prælatum, verbi gratia, occidit, occidat alterum, sed poterit per canonicas Sanctiones compefci. Hinc est quod idē Urbanus V I I I. post editum præfatum Decretum, Bullam edidit 15. *Novembris* 1627. incipit in *suprema Pastoralis*, qua de-
5 cernit, quod † Regularis monetæ aureas, aut argenteas, tondens, fabricans, colans, aut alias adulterans præuia de gradatione tradatur Brachio, & Curiaæ sæculari, qui vero retinet scienter præfatas pecunias aut transfert de loco in locum sui opem ad præmissa præstat pœnam triremium per decennium subeat, & quamuis hæc Bulla concludatur intra fines Italos, nec extra diuagetur vt tenet Pellizarius *tom. 2. tract. 9. cap. 4. num. 194*: tamen Pontifex sua Bulla declarat, quomodo sit intelligendum Decretum de eiectione, quod non comprehendit religiosum atrociam & immania committens delicta.

6 Secundò probatur, quia † vt optime Bonacina *tom. 2. disput. 1. quest. 1. p. penult. §. 2. num. 5.* & est doctrina vtriusque Tho. 2. 2. *quest. 120. art. 1.* qui desumpserit ex Azor, *lib. 2. Ethic. 5.* quos sequuntur omnes Theologi, vt à me alibi est enucleatum (quum casus aliquis occurrit quæ ex circumstantiis nō iudicatur à legislatore intentus, & quem legislator excepisset si eum præuidisset, bene dixit As leg. corripit per Epicheyā, quatenus si legioator adesset hoc modo respondisset, & ita suam legem moderaturus, & interpretaturus esset: ex qua doctrina colligitur, quod cum religiosus iste aliàs, malæ inclinationis, & qui plura graua commisit in Religione Seraphica murum ascēderit Monasterij monialium, illudque ingressus accessum habuit cum præfata seruitrice sæculari,

est casus ita circumstantionatus, vt non iudicetur à legislatore huius Decreti *de eiectione* comprehensas vt in illo obseruetur forma noua eiectionis à Religione, sed possit condemnari ad triremes; etsi non ad decennium, saltem ad tempus arbitrio iudicum decernendum.

Tertiò, quia vt bene Santoro *ubi supra* *cap. 21. §. quidquid sit*, sequutus praxim, & communem sententiam eorum, qui de modo procedendi in causis Regularium scripsere, asserentes, ecce his temporibus receptissimam apud Ecclesiasticos, condemnationem, & Regulares illum loco supplicij passim arripere innocentes, honestante consuetudine, insolentiam pœnæ, vel puniendi necessitate, cum vix in carceribus perpetuis coerceri possint, & accedentibus Summorum Pontificum concessionibus, quas refert Emanuel Rodriguez *tom. 2. quest. 30. art. 16.*

Quartò, quod desumitur ex præcedenti, & est valde efficax quia legis vniuersalia verba limitantur, & coarctantur à consuetudine, quæ coniecturaliter legem interpretando moderatur, vt bene Angelus Bossius Bernabita vir doctus *tom. 1. de conscient. p. 1. tit. 1. num. 529. ex leg. si de interpretatione D. de legibus ibi si de legis interpretatione queratur inspiciendum est, quo iure ciuitas retro in huiusmodi casibus usa fuit*, vnde Baldus *cap. 1. de constit. in 6. colum. 4.* asseruit. Quod † omnis dispositio potius recipit interpretationem à iure consuetudinario, quam à iure communi, quod ius consuetudinarium interpretans legis dispositionem, vt inualescat, & vires suas exerat ad sanam legis interpretationem, non exigit tempus ad præscribendam consuetudinem, præscriptum, sed multo minus requirit, quod bene notarunt Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 4. §. 3. num. 3.* Menochius *lib. 2. de arbitr. cent. 1. casu 83. n. 1.* qui ait si agatur de consuetudine interpretatiua posse iudicem existimare eam satis stabilitam paruo tempore, quia temporis diuturnitas in his non requiritur ad probabilem, & satis efficacem coniecturam faciendam. Ast post editum Decretum Urbanum tam in Hispania quam in Italia, consultum est propter delicta atrociam ad triremes damnare Religiosum professum antequam detineatur in carceribus per annum, & antequam declaretur incorrigibilis iure, vt testes sunt ordo Seraphicus in multis suis Provinciis, Ordo S. Dominici, & Carmeli de obseruantia, & in hoc non sunt reprehensi à Nuntio Apostolico, nec illis impositæ Urbanæ pœnæ, ergo.

Quintò, quia † Gregorius X I I I. in Bulla edita 22. *Septemb. 1582.* concedit Generali Societatis, vt etiam professos valeat à Societate

cietate in perpetuum emittere, etiam ob culpas non dignas eiectione, ut dicitur in declaratio. cap. 1. §. 1. *constit. litter. O.* si retineri sine detrimento illius (Societatis) ac diuini obsequij non posse iudicaretur, ut ex Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. cap. 1. Gibelino de clausura disp. 2. cap. 4. §. 13. num. 69. Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 2. docet Pellizarius tom. 2. tract. 8. cap. 8. num. 42. quo priuilegio nulla alia Religio gaudet, etiam si habeat communicatiuam priuilegiorum ipsius Societatis, potest tamen emittere ex aliis titulis quam incorrigibilitatis, si ita iudicabitur expedire incremento Religionis, quamuis titulo incorrigibilitatis nequeat, eicere nisi obseruato Decreto Urbano, ut aduertit idem Pellizarius cum viris doctis à se de hac re consultis, ergo pari ratione (ait Gaspar Roman n. 27.) etsi Prouincialis ob delictum atrox non possit in perpetuum, & absque regressu ad religionem damnare ad triremes Religiosum professum, poterit tamen si sit regressus ad Religionem in pœnam delicti, non incorrigibilitatem si ita iudicauerit expedire incremento Religionis, & ut reus pœna ista pro scandalo illato Reipublicæ, & vulnere, quod fecit bono communi.

- 11 Sexto, quia † ad expulsionem etiam post Decretum Urbanum sufficit incorrigibilitas de facto præsumpta, præsumptione iuris, quam præsumptionem imbibitam habet vnum solum atrox delictum, ut modo explicabo, ita Azor p. 1. lib. 12. cap. 16. quæst. 3. Miranda tom. 1. quæst. 52. art. 2. quæst. 2. Peyrinis in subdito quæst. 1. cap. 25. concl. 3. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 5. Rodrig. tom. 1. q. 30. art. 15. Guibellin. ubi supra, n. 67. (quamuis malè versobitit, dicat quod decretum hoc non derogat derogatoriorum derogatoriis omnia statuta Religionum, & Religionibus priuilegia concessa, non enim legit Decretum, quod §. 10. pleniorē habet derogationem, quam in similibus decretis apponi solet, cum nullum verbū, aut nomen, quod derogationem canonicam oleat omittatur) Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 4. n. 10. & 11. talis enim atrocitas & immanitas potest esse delictum commissum, ut famæ Religionis prouideri, & publico scandalo eiusque satisfactioni aliter prouideri nequeat, nisi damnando ad triremes, & per consequens eiciendo à Religione, quæ sola est pœna condignè debita tali delicto, quæ condignitas semper à iudice Ecclesiastico talem pœnam infligendam ex vi officij sui exigit, & manet incommensurata, nisi talis pœna infligatur, quod exposcit iustitia legalis ad quam exequendam ex iustitia conmutatiua tenetur Iudex, quam obligationem non aufert Decretum Urbanum.

Et † in tali delicti dignitate huius pœnæ à lege taxatæ, & infligi practicatæ fundatur incorrigibilitas de facto à iure præsumpta in committente tale delictum, hæc enim incorrigibilitas non desumitur solum in ordine ad emendationem personalem, ita ut ista corrigat defectum suum personalem per pœnitentiam, & dolorem illius, cum proposito efficaci amplius non peccandi, aut committendi delictum, hoc enim dolore curatur, & emendatur à macula personali, & satisfit inordinationi personali, sed incorrigibilitas de facto, quæ sufficiens est ad damnationem trirerium desumitur in ordine ad offensam publicam, quam quis delicto atroci intulit, in ordine enim ad istam incorrigibilis est qui illud delictum commisit quo valde denigratur Religio, & res publica ipsa, quia satisfieri nequit, nisi pœna debita sacros Canones, sicut qui commisit homicidium, & offensa facta parti possit corrigi partis remissione, at offensa facta Reip. non corrigitur, nisi remittat Princeps pœnam taxatam à lege. Igitur Urbanum Decretum iure nouo statuit quod nullus eiciatur à Religione, nisi forma à se præscripta seruetur ob delicta quæ alias non merentur pœnam mortis, ut autem hæc etiam comprehenderentur cum ante præfatum Decretum esse exceptuata grauitate sua, ut etiam ista comprehenderentur, deberent expressè nominari in Decreto.

SECTIO III.

Quod ad expulsionem non sufficit quacunque incorrigibilitas, nisi oriatur ex contumacia.

SUMMARIUM.

1. An hodie ad expulsionem, & eiectionem necessario debeat interuenire contumacia.
2. Vtrum Religiosus expelli debeat propter peccatum à Religione.
3. Nullus legitime professus eici potest, nisi sit vere incorrigibilis, ex Decreto Urbano.
4. Nullus potest eici à Religione nisi propter contumaciam.
5. Sacra Congregationis mens adducitur.
6. An ubicunque in iure Ecclesiastico reperitur pœna mortis pro excommunicatione debeat exponi.
7. Eiectionem à Religione excommunicationi comparat D. Thomas.
8. Quam eiectionem non à conuentu, sed à communione, & consortio fratrum pluribus remediis, & panis exercebant antiqui Monachi.
9. Isidori opinio assertur, necnon S. Fructuosi, & n. 10.

11. *Auhoris iudicium pro palatur.*
 12. *An Religiosus sit eliminandus, & eiiciendus extra Religionem, si contumax, & in contumacia obduratum conseruet animum, & n. 13.*
 14. *Variorum DD. sensus adducuntur, & n. 15. & 16.*
 17. *Post Decretum Urbanum nunquam potest quis ita remotè eiici à Religione, ut nullo modo possit regredi, ad Religiosum cœtum, in illoque à Superioribus admitti, nisi constet emendatum esse.*
 18. *Quid ex premissis sit deducendum.*

Primò delibare oportet contra Gibellinum ubi supra num. 64. quod † hodie ad expulsionem, & eiectionem necessario debet interuenire contumacia, & animi induratio, in peruitia, & malitia culparum, quæ etiam fuit omnium antiquorum sententia, quam verbis expressis sequutus est D. Thom. & nos edocuit quodlib. 12. art. ult. cuius verba placuit referre, ex ipsis enim huius digressionis pendet adæquata, & radicalis decisio, inquit enim † *Vtrum Religiosus expelli debeat propter peccatum à Religione & dicit. Respondeo dicendum, quod Apostolus dicit, auferre malum à vobis ipsis, modicum enim fermentum, & c. Affertur autem aliquis aut per pœnam corporalem, & per hoc manifestum est, quod auferretur etiam ille qui vult pœnitere, quantumcunque sicut homicida suspenditur, quantumcunque pœniteat vel per pœnam spirituales, & hoc Ecclesia non facit, nisi quis esset contumax, & ratio huius est quia per pœnam corporalem auferretur aliquid temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum, sed bonum spirituale quod amittitur, nō potest recompensari, & ideo non debet Religio infligere talem pœnam quandiu vult corrigi, quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita est expulsio à religione, & ideo dicendum quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus, sed est sequstrandus in carcere vel alio modo. Hæc ibi, quæ ad verbum sequutus est Syluester verb. Religio. 6. quæst. 17. num. 17. (quamuis non video, cur dubitauerit an hic articulus sit D. Thom. stylus, & doctrina ipsum S. D. manifestent) Armilla verb. Religio. §. vlti.*

Hanc eandem doctrinam vt veram determinat Decretum Urbanum in quo §. 4.
 † *Nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur; sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam vnus anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in Carceribus, proinde vnaquæque religio priuatos habeat car-*

ceres in qualibet saltem Prouincia: Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruitia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem potest. Hæc ibi.

Quibus nihil illustrius, vt ostendatur doctrinam D. Thom. determinatam esse vt veram, videlicet † nullum posse eiici à Religione nisi propter contumaciam, animum induratum, & perseuerantiam in sua peruitia, quam si pœnitentia ductus, dimiserit nullatenus est eiiciendus, vt definit sacra Congregatio, etiam si ter admonitus, & correctus reinciderit in eisdem vel similes culpas sed aliis pœnis puniendus. Quare sacra Congregat. vt quis sit vere incorrigibilis ad effectum eiectionis à Religione contumaciam, & animum induratum, requirit sine quo omnem potestatem, & iurisdictionem auferat à Religionibus eiiciendi ad sæculum Religiosos vere professos, & sic incorrigibilitas ad hunc effectum, est idem quod contumacia, & animus induratus in culpis, & peccatis, & hodie tuto dici nequit, quod si quis non sit contumax, & induratus animo, sed pœnitens, & volens se emendari possit eiici à Religione, quod † expulsionis remedium (ait Sacra Congregatio) grauissimum, & extremum dicit, quod antequam exequatur nihil intentatum relinqui debet, quod simile dicitur in iure canonico de excommunicatione quæ est grauissima pœnarum, qua nulla est maior in Ecclesia cap. corripiantur 23. quæst. 3. adeo quod Panormit. cap. per venerabilem qui fil. sint legitim. dicat, quod † vbicumque in iure Ecclesiastico reperitur & pœna mortis pro excommunicatione debet exponi, vnde quando sacra Congregatio in Decreto Urbano dicit *expulsionem à Religione esse grauissimum, & extremum remedium,* vere comparat illam excommunicationi sicut comparauit D. Thom. quia sicut respectu fidelis, nullum maius malum quam excommunicari, quia separatur à fidelium cœtu, in quo recipitur per baptismum, ita pœnitionem à Religione separatur quis in quantum Religiosus à commercio Religiosorum, priuantur magnis bonis spiritualibus, quæ ex tali consortio illis proueniunt, consolationibus spiritualibus, & cæteris exercitiis vitæ Religiosæ, quæ habet ex vi professionis solemnæ, quod vere quidem in quantum Religiosus professus patitur, & est grauissimum, & extremum remedium.

Igitur † iure optimo S. Thom. eiectionem à Religione excommunicationi comparat, & sacra Congregatio in Decreto Urbano eiectionem dicit esse *grauissimum, & extremum remedium,* antiquitus enim eiectio fratris

tris ad tempus à communi mensa, & oratorio excommunicati dicebantur, & nullo modo cum aliis confratribus communicare licebat, nisi cum seniore ab Abbate designato. Ita Sanctus Fructuosus Bracharenf. *cap. 14. & 17. Regula. S. Isidorus cap. 8. Reg. S. Benedicti. S. Ferreolus cap. 25 eiusdem*, & ille qui temporali eiectione, aut excommunicatione erat exufflatus, idest maledictus, & execratus ab Abbate dicebatur. dubitat Hestenius *lib. 8. disquis. tract. 4. disquisitio. 2.* An hæc excommunicatio de qua hi Sancti Monachi tractant sit vera excommunicatio censure; an vero solum claustralis, & monastica quod hic examinare non refert, vtraque enim sententia nostro deseruit instituto, sed verius existimo quod solum sit Monastica, & intra claustra dumtaxat, neque enim pro leuioribus culpis excommunicatio censura est inferenda, sed ibi excommunicatio sumitur pro eiectione à commercio, vt constat *ex cap. 44. Regula Sanctæ.*

- 8 Et † hanc eiectionem non à conuentu, sed à communione, & à consortio fratrum pluribus pœnis, & remediis exercebant antiqui Monachi, priusquam ad eiectionem à conuentu peruenirent procurantes curare fratres, & animas illorum lucrifacerent, vt ad id consequendum nihil intentatum relinquerent, nam præter panem arctum, & aquam breuem, quibus talis eiectus sustentabatur, nam pro duobus, & aliquando pro tribus diebus vnum *pazimã*, idest, panem bicostum accipiebat dumtaxat, et si hoc ieiunio non correctus esset flagellatio adiungebatur, & aliquando ad excommunicationem præcedebat, vt constat ex *S. Regula cap. 28.* si hæc non molliebat, adiungebatur carcer durior, & diuturnior *S. Fructuosus cap. 16.* si adhuc obstinatus erat induebatur veste pœnitentium, quæ erat tegmen rasum, & cilicium. *Isidorus cap. 18.* erat tegmen rasum indumentum rarioribus filis comeactum minus aptum corpori tegendo, & frigori depellendo, *excommunicatus †* (ait *Isidorus*) *præter hyemis violentiam, tubile humus erit tantum sine flore. Amictus autem tegmen rasum aut forte cilicium calceamentum vero sparteæ, aut quodlibet genus solearum.* Si vero graue erat delictum commissum, decalatio, erasio coronæ adiungebatur (quod erat vile seruorum signum, vt latius dixi *tom. 5. in appendice de tonsuris, & coronis, &c.*) *Fructuosus Bracharenf. cap. 16.* *Publice verberetur, coronam capitis quam gestabat amittat, decaluetque turpiter opprobriopateat, omnium sputamentis oblitus in facie probra æque suscipiat.* hoc dicebat fructuose satis *S. Fructuosus* de quodam Monacho adolescentum, & iuniorum insectatore, amatore, tandem si furcras clericatu priuabatur in perpetuum, &

virgis cessus ab altari arceretur sic, habetur in concordia à Menardo facta *S. Regula cap. 32. §. 2.* priuabantur gradu primo genituræ & nouissimus in ordine stare iuebatur, & vltimo ab ipsa Communione Eucharistica corporis Christi Domini, & à Synaxi excluderetur, vt notat *S. Ferreolus cap. 25.* suæ *Regulæ*, sed de his plura apud *Hestenum, vbi supra disquisit. 6.*

Ex dictis † concilio loca Patrum, quæ antinomyam generant circa eiectionem à Religione, & omni induco ad veram, & germanam intelligentiam *Decreti Urbani*, quod summa consideratione est editum, *S. enim Isidorus cap. 16. Regula*, videtur reprobare proiectionem à Monasterio, his verbis: *Quamuis frequentior, & grauiorum vitiorum voragine, sit quisquam immersus, non tamen est à matrimonio eiiciendus; sed iuxta qualitatem coercendus ne forte, qui poterat per diuturnam penitentiam emendari, dum projicitur ore diaboli deuoretur, quam sententiam clare sequitur Bernard. epist. 102. ad..... & epist. 298. ad Eugenium.* vbi de Monacho falsario, ait: *Nullus perpetua dignus conclusione; idem habent, declarationes Monachorum Cassinensium, cap. 28.*

Pro alia vero parte † Religiosum eliminandum esse, & eiiciendum extra Religionem si contumax, & in contumacia obduratum conseruet animum: communis est Patriarcharum Religionum sententia *Basilii in Regula Brenior. Regul. 44.* *S. Macharius in Regula, num. 28.* *Cæsarius Arelatens. homil. 3. ad Monachos*, loquens de consuetudine Monasterij *Lyræsis Fructuosus Episcopus cap. 8. Regule*, & *Isidorus Pelusiota antiquus Pater in epist. 318. lib. 1. ad Lucam Archimand.* ibi, *E fratrum tranquillitate foras ablegatus, ne tumidos fructus, ac vertigines placidus, & quietu eorum animus excitet. Nam hæc quoque lex sub parabola cortice nobis præscribit, cum eos qui lepra laborant extra claustra excludit, & August. epist. 109..... etiamsi ipse non abscesserit de vestra Societate proicietur, non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* *Eusebius Galeanus homil. 3. ad Monach.* nisi sit idem qui *Cæsarius Arelat.*

Sed probatissima cum sit in Ecclesia Dei & Regularibus à *S. Apostolica* approbata eiectione extra Religiosa castra ad sæculi militiam, *cap. cum ad Monasterium cap. vlt. de stat. Monach. cap. relatum. ne Clerici, vel Monachi,* & multi Summi Pontifices ordines Monachales, & Mendicantes ad hanc eandem expulsiõnem celebrandam priuilegiis condecorarint, † vt referunt *Peyrinis de subdit. Rel. lig. quest. 1. cap. 23.* *Hieron. Rodrig. Resol. 57. num. 3. Cordub. ad Regul. Seraphic. cap. 2. q. 21.* necessum est, vt hanc Patrum antynomiam ad

ad concordiam & viuocationem reducamus, quod ex triplici testimonio omni exceptione maiori præsto. Primum sit S. Benedicti cap. 28. *Regula*. agens de incorrigibilibus sic fatur. *Tunc Abbas faciat, quod sapiens medicus si exhibuit fomenta si unguenta exhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad ultimum vitionem excommunicationis, vel plagas virga etiam si videat nihil suū praualescere industriam, adhibeat etiam, quod magis est suam, & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus qui omnia potest operetur salutē circa infirmum fratrem. Quod si neque isto modo sanatus fuerit, tunc iam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus auferre malum ex vobis, & iterum, infidelis si discedit, discedat, ne una ovis morbida totum gregem contaminet.* hæc Benedictus, pro Monachis Occidentalibus latis, familia habet Basilius pro Græcis interrogat. 44. & legendus est Cassianus lib. 4. cap. 16. vbi plura Alandus Gaccus & lib. 2. cap. 16.

15 Secundum sit Concilium Aquisgranens. cap. 134. ibi. *Postremo si inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira serpent contagia necesse est, ut à ceterorū Societate utpote ovis morbida, secreti, ante præsentiam deducantur Episcopi, ut ab eo canonica auctoritate publicè damnentur*, quod dicitur, quia tunc temporis non erant monachi, & Religiosi omnino exempti à iurisdictione Episcopi, qui iudex in eorum causis erat, at hodie loco Episcopi sententiam eiectionis fert Prælatus Regularis, iuxta vniuscuiusque Religionis statuta, quamuis Sacra Congregatio ad solum Generalem cum sex patribus reducerit.

16 Tertium sit decretum Urbanum, qui clarissimè & vtilissimè in concordiam reduxit horum Patrum antynomiam, concedens expulsionem ab ordine in certa forma à se præscripta, quam obseruari vult, ut iuridicè sit eiectio, ut constat ex §. 4. & illam omnino prohibens, nisi præcedat illa forma videlicet post trinam monitionem & correctionem, quæ requiritur à iure, ut quis sit incorrigibilis, vnus integer annus transeat in quo probetur inclusus, reiiciendus in ieiunio & pœnitentia, ad hanc enim probationem pertinet, tot illæ grauissimæ pœnitentiæ & diuersimodi puniendi & excommunicandi ex communiōne claustrali, & monastica, quas prisca illi Monachorum PP. & Religionum fundatores introducere, de quibus latissimè eruditus vir in disciplina Monastica Hestenius vbi supra lib. 8. tract. 3. disquisit. 2. & 3. Vnde iam liquet Patrum conciliatio, nam primi loquuntur de eiectione à monasterio, sine experimento, & probatione aliarum mitium pœnarum, nihil enim intentatum relinqui debet, ut anima fratris lucre-

tur, ne à Diabolis deuoretur. Secūdi verò loquuntur cum fomenta & medicinalia remedia leuitatem animo indurato non inducere, tunc enim abscissione vtendum & tanquam morbida ovis ab ouili eiiciendus ne aliàs corrumpat, & tanquam membrum putre, & cancro affectum separandum & abiiciendum.

Hinc est, quod † post decretum Urbanū 17 nunquam potest, quis ita remote eiici à Religione, ut nullo modo possit regredi ad religiosum cœtum, in illoque à superioribus admitti, si constet, emendatum esse eiectio non est illi obstaculo, ut iterum in sinu matris recipiatur, quod expressit Sacra Congregatio §. 7. dicens. *Postremo censuit esse inno-uandam & suæ Beatitudinis auctoritate inno-uat. constitut. felic. Record. Greg. I X. relata in cap. fin. extra de Regular. ac præterea declarat eam constitutionem in iis quoque vindicare locum, seruandamque esse, qui iuste diffinitiuèque ac iuris ordine seruato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidentis emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in Litteris concedendis Sacra Congregatio serio oneravit.*

Ex quibus verbis liquido constat, quod † nullus Religiosus solemniter professus, potest eiici, & expelli à Religione, quod si cum spe euidenti emendationis, reuertatur abieceritque peruicaciam in vitiis animum obduratum & contumaciam, teneatur Religio ex vi contractus initi in professione solemnem illum recipere & sinu suo fouere, sic declarante Sacra Congreg. & ius ipsum rationis, cum enim expulsionis adæquata causa fuerit contumacia, & incorrigibilitas ne alios confratres inficiat eiicitur ab ouili Religionis, si conuersus & emendatus reuertatur & hoc euidenti moraliter spe constat, ex testimonialibus litteris ordinarij recipi debet & confoueri. Vnde post decretum Urbanum nulla est eiectio perpetua à Religione per se, nisi tempore eiectionis aliquod superueniat impedimentum iuridicum cuius dispensatio ad regressum pertinet ad solum Summum Pontificem.

SECTIO IV.

Quid eiectio à Religione? quid damnatio ad triremes? quid traditio curiæ seculari?

S V M M A R I V M.

1. *Inter eiectionem à Religione, traditionem curiæ seculari ad pœnam sanguinis, & damnationem ad triremes discrimen adducitur.*

2. *Quid*

2. *Quid sit pœna triremium, respectu Religiosorum, & n. 3.*
4. *Eiectionem à Religione decretum Urbanum perstringit.*
5. *Authoris iudicium affertur.*
6. *An Regularis solum possit ad triremes damnari propter delictum, quod secundum leges civiles meretur pœnam mortis.*
7. *An si Religiosus professus scala murum Conuentus ascendens, & intra accessum habeat ad fœminam, sit dignus pœna mortis, & ita possit à Iudice suo damnari ad triremes per decennium. & n. 8.*
9. *Iulij Clari sensus adducitur, & n. 10.*
11. *Qualitas ascendendi cum scalis aggrauat delictum principale, ut grauius puniatur ex eodem Iulio Claro.*
12. *Simplex coitus cum Moniali an non pœna mortis, sed pœna simplicis stupri punienda est.*
13. *Quid ex dictis sit deducendum.*
14. *An traditio Curia seculari ut reus puniatur pœna mortis taxata legibus civilibus, sit pœna corporalis.*
15. *Quid circa pœnam traditionis seculari Curia veniat notandum.*
16. *Variorum DD. sensus adducitur, & n. 17. 18. 19. & 21.*
20. *An Clericus propter crimen enorme ut proditorium homicidium, & contumeliam illatam Episcopo suo & prouinciali, aut generali si sit Regularis, sit deponendus.*
22. *Clericus an non sit degradandus nisi in tribus criminibus, & n. 23.*

Secundum est delibandum † discrimen inter eiectionem à Religione, traditionem Curia seculari ad pœnam sanguinis & damnationem ad triremes. Etenim eiectio à Religione ob contumaciam, animum in vitis obduratum & incorrigibilitatem est pœna spiritualis, grauissimum & extremum remedium, ut durities emolliatur & animus contumax expulsa contumacia corrigatur, quare per se ordinatur ad salutem animæ sicut excommunicatio, quamuis habeat aliquas pœnalitates temporales, tamen id, quo per se priuat est spirituale, & si priuat temporali est in ordine ad spirituale, etenim eiectio priuat habitu regulari, exercitiis spiritualibus communitatis, consolationibus religiosis & multis aliis bonis spiritualibus, quæ ex consortio monastico & religioso acquiruntur. Vnde eiectio est pœna quæ infligitur propter contumaciam in delictis.

2. Pœna triremium † purè est temporalis per se, quamuis enim respectu Religiosorum sit exorbitans à iure communi antiquo tam decreti, quam decretalium etiam Sexti, Clementinarum & extrauagantium, ta-

men ex consuetudine, & priuilegiis Apostolicis concessis Religionibus introducta est: sic concessit Clemens VII. anno 1529. die 19. Augusti Fratribus Minimis. Pius V. concessit Generali Ordinis S. Hieronymi in Hispania. vt refert Rodriguez tom. 2. qu. 25. art. 1. Canonicis Regularibus S. Crucis in Conymbria ann. 1623. die 5. Aprilis. vt referunt Portel verb. eiecere, num. 4. addens, ita audiuisse Romæ practicari, vt nullus eiciatur à Religione ad sæculum, nisi damnatus ad triremes, Hieronymus Rodriguez Resol. 57. num. 9. & quidem, quod † pœna triremium sit per se pure temporalis manifestum est, quia infligitur loco pœnæ capitalis, quam infligere nequit iudex Ecclesiasticus, qui delictis, quæ pœnam sanguinis merentur, (à quo propter lenitatem, quam profitentur Ecclesiasticæ personæ se abstinent) pœnam triremium ad decennium infligunt. Ita Rodriguez tom. 1. q. 30. art. 18. & 19. Miranda tom. 1. q. 52. art. 2. concl. 3. & 4. Sanctarellus tract. de Apostasia cap. 4. num. 7. Palao tract. 16. disp. 4. punct. 19. n. 8. Peyrinis in tom. de subdito quest. 1. cap. 25. concl. 4. Graffis tom. 1. conf. lib. 3. de Regular. conf. 5. nu. 16. Guiballinus vbi supra num. 68. Iulius Clarus in pract. lib. 5. §. final. quest. 60. n. 5. Bernardus Diaz. in pract. criminal. Cano. cap. 135. & quamuis plures existis loquantur de eiectione à Religione, quia † non viderunt decretum Urbanum, quod eiectionem præstringit, ita vt nullatenus sit licita & valida nisi ob contumaciam, & incorrigibilitatē, quæ ex illa dimanet, intelligendi sūt de inflictione pœnæ, purè corporalis, qualis est pœna triremium, nec enim delicta atrociora pœna competenti à iudice Ecclesiastico imponenda debent manere impunita in Religiosis, imo Priuilegia Pontia de pœna triremium etiam loquuntur respectu cuius manent in sua vi.

Existimo tamen † quod neque peccata, 5 & crimina quæ legibus secularibus puniuntur exilio perpetuo, quod pœna capitalis dicitur sicut amissio libertatis, deportatio, damnatio ad metallum, & opus metalli, quæ etiam capitalis pœnæ dicuntur, vt late probat Iulius Clarus vbi supra q. 67. per totam, & eius additionatores Buardus, Ruisignolus, & alij, quia in præserti pœna capitalis proprie, & stricte est intelligenda (cum sit sermo de pœna exorbitante à iure) pœna autem capitalis proprie intelligitur sententia sanguinis, secundum Glossam leg. transigere verb. capitali C. de transact. Quæ in hoc communiter approbatur, vt dicunt Valafcus in repetio. leg. imperium num. 99. D. de iurisdict. om. lud. Carrar. de executio. sententia, c. fi. à n. 266. Quare † Regularis solum potest 6 ad triremes damnari propter delictum, quod secundum leges civiles meretur pœnam

mortis, quam inferre consuetudine non est abrogatum, pœnæ enim etiam sanguinis, & mortis consuetudine, & stylo prouinciarum mitigantur, vt notat Baiardus *vbi supra litter. L.* quod in pœnis infligendis attenditur consuetudo, quæ tantum valet ac lex *Abbas cap. in causis in fin. de offic. delegat. Felin. cap. inter ceteras num. 20. de rescript. vnde si ex lege latro suspenditur, & consuetudo habet quod flagelletur, ista seruabitur. Francus decis. 240. n. 10.*

7 Sed nunquid † si Religiosus professus scala murum conuentus ascendens, & intra accessum habeat ad fœminam, sit dignus pœna mortis, & ita possit à iudice suo damnari ad triremes per decennium. Respondetur, quod si sit monialis professa, dubio procul dignus est morte corporis *lata §. pen. auth. de sacros. Episcop. quod tam in Italia quam in Hispania statutum est, vt bene Azeuedo pro Hispanis vbi supra sect. 2. & eleganter pro omnibus Marsilius leg. unica n. 40. C. de rapt. Virg. Decius conf. 579. num. 5. Menochius de*

8 *arbitr. casu 389. colum. 4. Osalcus decis. 103. n. 5. Carerius in pract. pag. 389. colum. 4. leg. si quis C. de Episcop. & cleric. & sequitur Clarus vbi supra q. 68. n. 27. si vero fœmina cum qua accessum habuit ipsa consentiente, & per murum ascendens scala cum illa concubuit, an hæc muri scalatio sit delictum dignum legibus ciuilibus pœna mortis, sic respondet*

9 *Iulius Clarus vbi supra q. 68. n. 4. † Accedens cum scalis de nocte, domum alienam punitur pœna ultimi supplicij, secundum Baldum in l. final. D. de rer. diuis. atque ita seruatum fuisse per Proreg. Neapol. in executione cuiusdam edicti. Quæ sententia (licet Grammat. decis. 36. eam defendere conetur) iudicio totius Italiae visa fuit nimis seuera, & crudelis maxime attenda bona qualitate illius inuenis, & causa propter quam ascenderat, quæ fuit amor cuiusdã pulcherrima puella, qui etiam prudentes viros excacauit, hæc opinio Baldi, sed qualitas ascendendi cum scalis aggrauat tantummodo principale delictum, ita vt*

10 *gravius puniatur, siue sit ex causa amoris, siue ex causa fraudis, siue aliud maleficium committendi, & clarius Additionat. ibi n. 10. Adde videntum monachum de arbitr. casu 360. n. 95. Farin. variarum q. 20. n. 185. qui accedit cum Domino Claro, & Menochio, ibi, etiã dicit, quod si extaret bannum imponens pœnam mortis naturalis accedentibus cum scalis de nocte, absque eo quod diceret ex qua causa, cum quis amoris causa sic per scalas ascenderet à pœna mortis excusaretur tamen credo opinionem Clari sequendam esse, quã adest consensus mulieris, vel non ponantur scale ad monasterium monialium. Hactenus ibi, quod intellige ad habendum accessum cum moniali, accessus enim ad istam solum est punibilis pœna mortis, non accessus ad seruitricem sæcularem, vt late Federic. de Se-*

nis consil. 2. 13. vt enim dicit D. Clarus † qualitas ascendendi cum scalis aggrauat delictum principale, vt grauius puniatur, quare cum delictum accessus carnalis cum serua sæculari intra monasterium degente non sit pœna mortis dignum, ita neque si nocte accedens per scalas ipsum tali pœna dignum facit. Hinc est adnotante Couarr. ad clementi. vt furiosus de homicid. p. 2. n. 8. vers. sed in raptu in fin. quod leg. 1. tit. 19. p. 7. determinat quod † simplex coitus cum moniali non pœna 12 mortis, sed pœna simplicis stupri punienda est, vnde in Regio Consilio Cataloniae, vt refert Piguer. q. 26. crimin. committens furtum cum scalis si meretur pœnam fustigationis propter hanc qualitatem punitus est fur per quinquennium ad triremes, quæ omnia satis conformantur, Azeued. supra cit. & eius sententiam manifeste confirmant.

Ex quibus liquet † quidquid dicat Pater 13 *Gaspard. Roman in scripto supra citato. Prouincialem illum rigidum extitisse condemnando fratrem illum, qui ascendens scala muros Monialium conuentus accessum habuit ad sæcularem ipsa consentiente, & intra conuentum degentem egit quidem manifeste contra Decretum Vrbanum de non eiiciendis, siquidem re ipsa ipsum iniuste damnauit ad triremes, cum hoc non possit facere nisi propter delictum, quod in praxi, & consuetudine punitur pœna mortis naturalis, vt vidimus ex Priuilegiis Regularium, & certa DD. sententia à qua in criminalibus non potuit tuta conscientia discedere, imo nec à probabili practica opinione, vt latius dixi tom. 2. Moral. tract. 7. num. Verum est quod etiam in foro exteriori excusarem præfatum R. P. Prouincialem à pœnis delicti Decreti Vrbanum, quæ lata sunt contra præsumentes facere, vel moliri in contrarium, iste autem Pater non præsumpsit, sed bona fide de Consilio prudentum, et si nimis sapientum, processit, existimo tamen, quod tenetur præfatum fratrem laicum à triremibus reuocare, & intra Religionem pœna mitiori, sed competenti punire.*

Tandem † traditio curiæ sæculari, vt 14 *reus puniatur pœna mortis taxata legibus ciuilibus, quæ traditio, pœna est corporalis, vnde iudex laicus, cui traditur reus à iudice Ecclesiastico tenetur illum damnare pœna mortis, sic seruatur in praxi vbique, vt tenent Iulius Clarus §. fin. cit. quæst. 36. num. 42. Cassaneus super consuetud. Burgund. fol. 51. num. 66. & in reis relapsis contra fidem, vel dogmatizantibus, à sacro Tribunali inquisitionis indubitatum est, nec obstat cap. cum non ab homine de iudiciis, vbi Pontifex dicit quod reus traditus curiæ sæculari nõ debet puniri ad mortem, sed*

fed tantum pœna exilij, aut alia, quia hoc consuetudine & praxi contraria in disuetudinem abiit. Videndus est Felinus, *cap. sedes colum. fm. de rescript.* præterquam Pontifex loquitur quantum est ex parte mansuetudinis, & lenitatis Ecclesiasticæ, quæ sanguine non fouetur.

15 Sed † circa hanc pœnam traditionis sæculari curiæ, notanda sunt aliqua non vulgaria inter Theologos, qui non multum de ea tractant. Primum, quod nullus clericus sæcularis, aut regularis potest tradi curiæ laicæ etiam pro enormi homicidio, nisi sit in-

16 corrigibilis, est communis sententia, ut † dicunt Aretinus, *cap. cum non ab homine cit. n. 80. Plaza lib. 1. delict. cap. 21. n. 13.* Bernard. Diaz. *in pract. cap. 90.* Bossius *in praxi tit. de foro compet. n. 141.* quamuis Carrerius, Follerius, Menchaca, Augustinus ab Angelo, & alij quos refert clarus n. 40. dicant, quod si homicidium est proditorium, vel est aliud grauissimum crimen, debet tradi curiæ nõ expectata corrigibilitate, sed Couarr. *lib. 2. variar. Resol. cap. 20. num. 7. vers. & tamen.* vbi post multa sic concludit (refero verba, quia valdè vtilia ad casus præsentis & meæ decisionis intelligentiam & munimen) & tandem maximam dubitationem habet (sententia Abbatis & aliorum,) ex ea, & præcipua ratione, qua traditum est clericum non aliter tradendum esse curiæ seculari post degradationem, quam si is incorrigibilis sit, textus in *c. cum non ab homine citat. textus optimus in cap. tue de pœnis, à qua quidem regula pauca excipiuntur crimina. Igitur in his criminibus, quæ excepta non sunt nullo pacto post degradationem traditio fieri debet. Idem probatur in cap. cleric. de excessibus prelati, vbi ob crimen sodomie, quod proculdubio grauissimum est clericus post degradationem in Monasterium detruditur, nec iudici seculari traditur.*

17 His etiam suffragatur *cap. cum non ab homine in principio, vbi habetur in omni crimine quantumcumque graui, & enormi indicem secularem clericos punire non posse, eos tamen deponendos esse, etsi incorrigibiles fuerint tradendos fore curiæ seculari.* Ecce Romani Pontificis apertam auctoritatem: ex qua etiam ob enorme crimen nisi accesserit pertinacia, traditio fieri non debet. Quamobrem aduersus Panormitanum non esse clericum homicidam proditorium seculari iudici tradendum post degradationem existimarunt verius esse DD. communiter in dicto *c. non ab homine* quos sequuntur eorum sententiam communem esse. Aretinus *ibidem col. 9.* Decius *cap. at si clerici solum vlt. de iudic.* Albericus *cap. 1. de heret. in 6. q. 11. n. 55.* Ioannes Bernardus *ad cap. 90. praxis.*

18 Quibus ipse libenter accedo non enim video posse hanc traditionem iuste fieri post degradationem, nisi clericus sit incorrigibilis, aut in his

criminibus, quæ expressim iuxta canonicas sanctiones eam punitorem admittunt. Nec tamen inficior posse contingere homicidium, aliudve crimen, ita perniciosum Reip. inspectis, loci, temporis, & personarum qualitatibus, ut arbitrio discretorum iudicum hanc traditionem iustissime patiat, qua in re maturo consilio opus erit etenim responsio Romani Pontificis, non tantum exigit ad hanc traditionem damnabile flagitium, sed & damnosum requirit: quasi esse debeat ex his expressim in iure Pontificio nominaretur, vel ex ipsius clerici incorrigibilis conditione Reip. damnosum aut criminis grauitate atrocissimum.

Hinc colligitur an verum sit, quod Abbas 19 scripsit *cap. 1. de his qui filios occidunt, dicens clericum parricidam esse post degradationem tradendum iudici seculari.* Item illud, quod præmissa disputatione indecisum atque indefinitum reliquit. Alberic. *in cap. 1. cit. quest. 11. num. 87. & q. 15. n. 12. sit ne clericus post degradationem tradendus iudici seculari ob crimen lese Maiestatis.* Nam iuxta regul. iuris & communem sententiam, nisi natura rei & alia quæ negotio & crimini accesserint contrarium suadeat, traditio non est aliquo modo facienda, quod sentiunt in hac specie Matth. Afflictus in *const. Neapolit. lib. 1. Rubr. 43.* & Ioannes Bernardus *in praxi cap. 110.* Hactenus Doctissimus & Illustrissimus Præses, quem Regens pariter eruditissimus Iulius clarus Alexandrinus, ad compendium reduxit & amplexatus est, vbi supra à n. 4.

Secundum, quod etiam † si clericus propter crimen enorme, ut proditorium homicidium, & contumeliam illatam Episcopo suo, & Prouinciali, aut Generali si sit Regularis, aut propter calumniam illis factam sit deponendus, *cap. 18. si quis sacerdotum 11. q. 2.* vbi Pius epist. 2. ait, *si quis sacerdotum, vel reliquorum clericorum suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei parauerit, aut contumeliam, aut calumniam, aut conuitia intulerit & conuinci potuerit mox depositus curiæ tradatur, & recipiat, quod iniquè gessit.* quod decretum Pontificis intelligit Glossa ibi, *si sit de nouo contumax, cap. cum non ab homine cit.* quare debere esse incorrigibilem, & præsumi contumacem, ita Syluester *verb. degradatio q. 2.* Abbas *cap. si clerici. de iudic. num. 37.* Ananias *cap. ad Abolendam num. 19. de heret.* Bernardus Diaz. *in praxi cap. 109.* & esse communem, & mitiorem opinionem sentit Clarus *num. 35. quest. 36.* ut autem dicatur incorrigibilis, & præsumatur in foro externo contumax ad effectum, quod tradatur curiæ, Iulius clarus Alexandr. *vbi supra quest. 36. num. 34.* ex Cassaneo, quod in curia Parisiensi obseruatur, quod post trinam remissionem, de delictis pro quibus ingeritur pœna mortis clericus habetur pro incorrigibili,

gibili, tam in odium incorrigibilitatis, quam in odium Iudicis Ecclesiastici negligentis eum corrigere, legantur Diaz. *in praxi*, cap. 131. Bossius *tit. de foro competent. n. 132*. Quod intelligitur quantum ad hunc effectum traditionis Curiae, ad quam debet precedere declaratio incorrigibilitatis à suo Iudice Ecclesiastico. Felinus *cap. cum non ab homine cit. num. 10*. dicit sic intelligere communem sententiam omnes DD.

- Ex quo Bossius *vbi supra n. 136*. sequitur Foller. *in pract. crimi. Cano. fol. 272. num. 23*.
- 22 quod † Clericus non est degradandus (intellige iure communi, nam speciali Bulla Urbana etiam monetarij traduntur Curiae,) nisi in tribus criminibus hæresis, falsi commissi in litteris Apostolicis, & conspirationis in proprium Episcopum, alios ponit Ludouicus Carrerius *in practica, §. homicidium, n. 59*. de quibus tu fer Iudicium sanum. In aliis autem quantumcunque grauibus delictis sufficit sola depositio absque degradatione. Et ideo quamuis Clericus commiserit crimen enorme, & grauissimum etiam si occidisset Summum Pontificem non debet degradari si paratus sit, se corrigere, sed debet detrudi in perpetuum carcerem, vel in monasterium (& est inquit Bossius communis
- 23 opinio.) Sed omninò fallitur, & est perniciosissima opinio; est enim homicidium hoc portentosum auferre de medio caput Ecclesiae visibilis (eam gubernans pacificè, hoc est, in possessione pacifica Summi Pontificatus & habitus, vt verus Christi Vicarius, & Petri successor) sicut & Regem aut Principem absolutum, & ansam præbet hæc opinio facinorosis clericis, pari modo existimarem, si quis occiderit suum Prouincialem aut Generalem, *cap. si quis Sacerdotum 11. q. 1*. atrocitas enim delicti præsumptionem incorrigibilitatis inducit vehementem saltem eam, quæ est incorrigibilitas illa de facto desumpta in ordine ad offensam publicam, quam supra enucleauit.

SECTIO V.

Duplex degradatio enucleatur, & qua requiratur, vt quis damnetur ad triremes.

S V M M A R I V M.

1. Duplex venit notanda degradatio.
2. Alia est depositio actualis executiua & realis, quæ propriè appellatur degradatio.
3. Inter duas degradationes discrimina constituunt Doctores.
4. Iudex Laicus an nullam iurisdictionem acquirat in Clericum, siue secularis sit, siue Regularis. & 5.
6. An ad damnationem ad triremes, vel ad

expulsionem à Religione non exigatur degradatio realis.

7. An degradati verbaliter retineant priuilegium fori, aut Canonis.
8. An Regulares possint Religiosos, sicut & Episcopi Clericos verbaliter degradare sententia lata.
9. An verbalis degradatio, & intentionalis sit exauthoratio quadam ab officio.
10. Quid ex dictis veniat inferendum.

DVplex † (ex Doctoribus tam Alphabetariis, verb. *depositio*, aut verbo *degradatio*, quam Canonistis *cap. nouimus de Iudicijs*, & *cap. cum non ab homine*, & *cap. si quis Sacerdotum* citatis) est notanda degradatio. Vna verbalis, & intentionalis, & est quando Episcopus pronuntiat sententiam contra clericum per quam priuat illum ordinibus, id est, eorum vsu, non enim priuat potestate & caractere, & hæc propriè loquendo dicitur depositio, etsi à Doctoribus tam Canonistis, quam Theologis degradatio dumtaxat, intentionalis, hoc est, intentione dumtaxat, sicut dicitur homicidium intentionale, quod quis intendit etiam si non occidat, realiter & actualiter huius degradationis forma ponitur in Pontificali, *in antiquis, fol. 188*. † Alia est depositio actualis executiua, & realis, quæ propriè appellatur degradatio, cuius forma ponitur in Pontificali, *fol. 190*. & est quum clericus non modo per sententiam priuatur, sed etiam actualiter, realiter & personaliter exuitur, & spoliatur ab ordinibus Ecclesiasticis, id est, eorum vsu, cum certis cæremoniis ab Ecclesia ad id statutis, quibus addit Innocentius III. rescribens Episcopo Parisiensi. *relatus, cap. nouimus de verb. signif. vt fiat, Potestate seculari presente, ac eidem pronuntiandum cum fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curie seculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Quæ verba, vt benè Ludouicus Carrerius, eum effectum operantur vt Iudex sæcularis faciat ad suum libitum, dum fert sententiam, & non iuxta Imperium Iudicis Ecclesiastici, cuius Imperij non est executor, sed solius Principis, & Legislatoris qui sua lege disponit, vt talis pœna mortis afficiatur.

Inter has duas degradationes † plura constituerunt discrimina Doctores quæ apud ipsos videri possunt, nec enim omnia hic tractanda. Duo solum introduco, quod ad præsens institutum deseruiunt. Primum quod nõ subsistit degradatio realis, & actualis sine traditione ad Curiam, cum ista debeat fieri coram Iudice laico, & ipsi præsentem pronuntiandum, & in suum forum recipiat

recipiat degradatum *cap. nouimus cit.* at Degradatio verbalis, & intentionalis, cum solum fiat sententia Episcopi pronunciata, præsentiam Iudicis laici non exigit, & ita non habet connexam traditionem curiæ, imò sine illa semper est, si vltterius non progrediatur. Quare † Iudex Laicus nullam Iurisdictionem acquirit in Clericū, siue sæcularis sit, vel regularis, qui solum est degradatus verbaliter, etiam si incorrigibilis sit declaratus à Iudice Ecclesiastico. Quia si realiter non degradetur adhuc non habetur ab Ecclesiastico Iudice pro derelicto, sed adhuc ipsum retinet tanquam suum, & intra cancellos Ecclesiæ contentum. Quare Iudex sæcularis incorrigibilem hunc clericum punire nequit, quicquid Curia Parisiensis declarauerit, non enim habet potestatem declarandi contra immunitatem Ecclesiasticam, nisi id ex priuilegio Pontificio, aut pacifica præscripta consuetudine habeat. Ita Iulius Clarus Alexand. *vbi supra q. 36. n. 35.* quod si sit actualiter degradatus potest iudex sæcularis punire absque alia traditione, quam dicit ex Alciato & Villalobos esse communem sententiam, sed hoc non existimo verum post, *cap. nouimus de verb. signific.* vbi Innocentius III. vult, quod actualiter tradatur degradatus iudici sæculari & expressè ei consignetur, & ante hoc nondum est spoliatus degradatus priuilegio fori, & canonis.

6 Secundum, quod † ad damnationem ad triremes, vel ad expulsionem à Religione non exigitur degradatio realis, quia vt dixi ex iure canonico hæc non subsistit sine traditione ad curiam, requiritur tamen degradatio verbalis, siquidem deponitur ab omni vsu ordinum, vt declarat sacrum decretum Vrbanum §. 6. ibi, *vt eiekti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* hæc ibi. Vnde sunt etiam inhabiles ad quæcumque beneficia, aut officia vtpotè infames cum sint. Verum est, quod sic degradati verbaliter retinent priuilegium fori & Canonis, vt benè Bonac. *disput. 4. de cens. in communi punct. 1.* Suarez *disp. 30. sect. 2.* & alij tractantes de censuris. Vnde Auila *part. 4. de censur. disp. vnica dub. 2.* dicit, quod † Regulares possunt Religiosos sicut & Episcopi clericos verbaliter degradare sententia lata, quamuis dum aliquem eiiciunt ad sæculum iste facto ipso ex vi decreti Vrbanii verbaliter sunt degradati, si tamen damnant ad triremes in sententia ipsa debent hanc degradationem exprimere, nullus enim subiicitur etiã per accidēs ad verbera, & percussiones sine incurfione in canonem, si quis suadente, nisi saltem verbaliter degradetur.

Quod antiquitus fiebat inter Monachos, quum, quis priuabatur clericatu & decalua-tus rasa corona degradabatur, & insignia clerici auferbantur, de quo latè Hestenius *vbi supra* (ex quo plura desumpsit antiquitatum Monachalium monumenta, Guibellinus.) Hæc enim † verbalis & intentionalis degradatio est exauthoratio quædam ob officio, & insigniis illis debitis, quæ etiam habet locum in laicis, vt dum exauthoratur Doctor, miles, Consiliarius Regius, qui priuatur propter crimina veste Consiliari. De his videndus Papo. *lib. 6. Arrest. 14.* Marianus *c. proposuisti, n. 35. de foro comp.* exauthoratio autem ista fit auferendo actualiter cingulum doctorale, militare, aut ministerij publici, vt notant Clarus Alexand. *vbi supra q. 74. n. 5.* Guiacharus *consilio. Syndicatus n. 534.* Vnde si Regularis sit Doctor, & in sacris vt tradatur Curie sæculari, & debet actualiter degradari, & ex autorizari ablato cingulo, & insigni doctorali, & aliter non perdit priuilegia Doctoris, sicut nec miles nisi auferatur cingulum militare punitus ex militari delicto, *leg. multi, D. de vetera. & militum success.*

Ex dictis inferitur, quod † vt quis damnetur Religiosus aut Clericus ad triremes non requiritur per se aliqua degradatio verbalis, aut realis quæ sit canonica & iuridica, sed solum monastica, & regularis pro tempore, quo, quis est in triremibus, in quibus decens non est quod habeat vestem religiosam.

SECTIO VI.

Damnatus ad triremes non est formaliter, & iuridice eiektus à Religione.

SUMMARIUM.

1. An qui damnatur ad triremes non eyciatur à Religione.
2. An dum quis damnatur ad triremes ad tempus, etiam ad decennium non eyciatur per se, & formali eiektione à Religione.
3. Damnatio ad triremes non est pœna spiritalis, sed corporalis.
4. Formalis & iuridica eiektio à Religione non potest dari ad determinatum tempus.
5. An dum quis damnatur ad triremes non eximatur ab obedientia Prælati, nec priuetur indulgentiis & priuilegiis ordinis.
6. An si Regularis eiektus in eiektione sua moriatur possit eligere sepulturam.
7. An Religiosus damnatus ad triremes si decedat in loco, vbi est monasterium sui Ordinis debeat in ea sepeliri.
8. Authoris iudicium adducitur. & n. 9.
10. Quid veniat notandum. & n. 11. & 12.

1 **V**nde proprie & in rigore, † quæ damnatur ad triremes, non eiicitur à Religione, sed destinetur, ad illum locum, ut ibi pœnam illam temporalem sustineat, sicut qui damnatur ad carcerem perpetuum, aut mittitur cum habitu ad exilium in insulam ad tempus determinatum, ut ibi luat in corpore. Vnde eiectione ista temporalis à Religione est per accidens secuta non per se intenta, dum quis damnatur ad triremes, sicut, dum à iudice Ecclesiastico traditur clericus iudici laico, & curiæ sæculari ex vi sententiæ iudicis Ecclesiastici non sequitur mors illata, sed ex vi sententiæ laicæ, nam respectu illius solum est indirectè volita & intenta per accidens, *cap. nouimus de verb. signific.* eo enim ipso, quod clericus depositus, aut degradatus tradatur curiæ ex vi huius traditionis, sequitur quod possit damnari ad mortem à iudice laico, tamen sententia mortis non sequitur ex sententia iudicis laici, quamuis ille teneatur illam inferre.

Quæ doctrina, quia valdè utilis, & ad casus propositi enucleationem valdè conducit magis est aperienda, & extricanda. Igitur, 2 quod † dum quis damnatur ad triremes ad tempus etiam ad decennium, non eiicitur per se & formali eiectione à religione, sed materialiter & indirectè, & per accidens, & ad tempus determinatum, in quo pœnam temporalem in corpore luat. Ratio est perspicua ex dictis à sacro Decreto Urbano, & S. Th. *quodl. vlt. art. vlt.* quia eiectione formalis cum scit pœna spiritualis, non infertur nisi propter contumaciam, & incorrigibilitatem ex illa dimanantem. Vnde tandiu durat eiectione tandiu durat contumacia, & ista cessante, & hoc iuridicè constet, tenetur religio eiectionem intra suum gremium recipere, sicut Ecclesia recipit excommunicatum cessante contumacia & inobedientia. Cæterum † damnatio ad triremes non est pœna 3 spiritualis, sed corporalis, quæ iuste infertur, etiam si quis non contumax, sed sit valde pœnitens, & dolore de malo commisso contritus, sicut latro & homicida suspenduntur etiam si doleant de malo commisso. Quia aliter non satisficit bono publico & pœna temporalis aliis bonis recompensari potest, at non potest excommunicari quia contumax non est vnde quod quis damnatus ad triremes extra religionem sit, & per accidens ab illa localiter eiiciatur, tamen non eiicitur formali & iuridica eiectione, de qua loquitur Decretum Urbanum, ut sequenti sect. demonstrabo.

Totum hoc manifestè confirmatur, quia 4 † formalis & iuridica eiectione à religione non potest dari ad determinatum tempus, v. g. ad quinquennium, aut ad decennium, sed cum fiat propter contumaciam eiectionis, tan-

diu durat, quandiu durat contumacia, & sic dum quis eiicitur à religione est sub hac conditione imbibita, quod tandiu durat hæc pœna, quandiu durat pernicacia & obduratus animus in delictis. Vnde Pellizarius omninò falso *alicubi* dicit quod etiam post Decretum Urbanum potest quis eiici ad tempus determinatum, hoc enim dicere, est non comprehendere vim & energiam huius sanctissimi Decreti, quæ in hoc consistit quod nullus Religiosus solemniter professus eiici in perpetuum absoluta eiectione à Religione in qua est professus, sed solum quandiu perseuerat in morum incorruptibilitate, orta ex animo infrunito pertinaci & obstinato. Vnde quandiu durat in hac obstinatione habetur pro derelicto nec subiicitur obedientiæ prælati, nec gaudet priuilegiis & indulgentiis Ordini suo concessis, ut bene ipse Pellizarius *tract. 8. cap. 8. n. 35.* ob id enim eiectione est pœna priuatiua spiritualis. Ast dum quis † damnatur ad triremes non eximitur ab 5 obedientia prælati, nec priuatur indulgentiis aut priuilegiis Ordinis, quæ cum illa pœna compatiuntur, & sic manifestum est, quod formali & iuridica eiectione non eiicitur, sed punitur pœna corporali suo peccato debita, quare finito tempore triremij tenetur ad religionem redire, & Religio ipsum recipere, & experiri, an ex consuetudine mala habitandi inter sceleratos contumax sit in delictis iuxta formam Urbani Decreti, nec aliter tuta conscientia potest stare extra Religionem, nec Prælati Regularis potest 6 permittere quod stet extra Religionis gremium, si ipse post completum triremium tēpus, vult se emendare & religiosè viuere.

Vnde fit, quod etiam confirmat præcedentia, quod † si Regularis eiectionis in eiectione sua moriatur potest eligere sepulchrum, quod si non eligat sepeliri debet in Parrochia, vbi decedit, non tamen debet sepeliri in Ecclesia suæ Religionis, neque sepulchrum in ea eligere, ut benè Pellizarius *vbi supra num. 38.* non enim æquum est, ut quos non communicamus viuos, communicemus mortuos. Vnde Religio non tenetur pro eiectionis manentibus in sua eiectione suffragia facere, quæ aliis fratribus defunctis faciunt. Rursus si eiectionis delinquat puniuntur ab ordinario loci. Ast † Religiosus damnatus ad triremes si decedat in loco vbi est monasterium, aut Ecclesia sui ordinis debet in ea sepeliri & pro eo offerre suffragia quæ pro aliis fratribus. Ratio est perspicua, quia iste non est membrum à Religione præcisum, aut ovis morbida contumacia, sed est membrum Religionis ab illa non eiectionis, sed in gremio suo, & corpore mystico perseuerans, 7 quamuis

quamvis localiter separatū ad luendam pœnam temporalem, sibi impositam in corpore luendam, propter delictum quod si absit contumacia, puniri nequit pœna spiritali eiectionis.

- 8 Tandem idem confirmo †, quia etsi ante Urbanum Decretum damnati ad triremes etiam spoliarentur habitu, & eiicerentur in perpetuum à Religione, essentque infames in qua infamia, & irregularitate ex illa contracta solus Pontifex posset dispensare, ut volunt Portel *verb. eiicere* Rodrig. tom. 1. *quæst.* 30. *art.* 21. alter Rodriguez *Resol.* 57. *num.* 6. Miranda tom. 1. *quæst.* 52. *art.* 7. agentes de eiectionis in perpetuum quales dicunt esse damnati ad triremes. Cæterum hodie post Decretum Urbanum hæc sententia iam exoleuit, ubi receptum est Decretum, & eo ipso quod quis Religiosus professus est eiectionis si de emendatione constat recipi debet, ut constat ex §. 7. *Decreti*, & ad id possunt cogi Prælati Regulares, ergo evidens quod non sunt irregulares nec contrahunt iuris infamiam quæ sit necessaria à Pontifice dispensanda, sed ex vi Urbani Decreti eo ipso quod constat emendatio censetur dispensata si quæ est irregularitas, quæ efficacius militat in damnato ad triremes, qui non est eiectionis à Religione, eiectione iuridica, sed separatam ad tempus, ut pœnam in corpore luat, quæ exigit locum illum separatam à Religione si enim Religio triremes haberet, ut habet Religio Maltenensis si aliquem ad illas ex suis Religiosis damnaret talem damnatum nec extra Religionem mitteret, sed esset intra Religionem luens pœnam in corpore qua finita sicut cuiusdam carceris perpetui habitu integro reassumpto intra eandem manet plene emendatus, & satisfacta communitate pœna illa adimpleta.
- 10 Ex quibus † vnum valde notandum colligitur contra Pellizarium *ubi supra num.* 18. quod nulla Religio etiam si habeat de hoc speciale statutum, quod si Religiosus eiiciatur ob certa, & graua crimina in perpetuum à religione, si iste emendatus est tenetur ipsum recipere, & potest Religio cogi, ut ipsum iterum recipiat nec huius contrarium hodie defendi potest, ubi est Urbanum Decretum vsu receptum, est manifestum ex §. 4. & §. 5. ubi non obstantibus quibuscunque statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis, & ordinis, &c. mandatur recipi eiectionis si in illis sit spes evidens emendationis, & multo magis si re ipsa emendati sint. Hinc est quod ut referunt Sanctarellus *de Apostasia cap.* 5. *num.* 18. Suar. tom. 4. *de Religio. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 13. Quod cum Pius V. edidisset motum proprium quo iubebat Apostatas, & eiectionis recipi ad

ordinem ad instantiam Pij V. in minoribus constituti, declarauit se nullatenus intendisse quoscumque Apostatas, ac eiectionis absque villo respectu debere recipi; sed eos tantum de quibus emendationis propositum concipi, & sperari probabiliter posset. Cui ut vidimus conformatur Decretum Urbanum, ergo evidens est quod non obstante statuto aut consuetudine Religionis à Sede Apost. ante Decretum confirmata, eiectionis ob quocunque crimen si emendatus sit, non potest Religio ipsum non recipere intra suum gremium, & consortium, & sic quod nullus potest in perpetuum eiici nisi in perpetuum duret contumacia, & animus obduratus, unde qui ad triremes est damnatus finito tempore ex vi Decreti Urbani recipi debet, nisi alias sit probatus eius animus in obstinatione, & peruicacia persistere, incorrigibilis iuxta formam in eo præscriptam.

SECTIO VII.

Proprium auctoris dictamen ex Decreto Urbano manifestum.

S V M M A R I V M.

1. *Auctoris iudicium propalatur, & n. 2. necnon Urbani VIII. & n. 3. 4.*
3. *Decretum Urbanum an solum loquatur de eiectione à Religione per se intentata, & numero 10.*
6. *An damnatio ad triremes non sit iuridica eiectione à Religione.*
7. *Quid ex præmissis veniat deducendum, & n. 8.*
9. *An damnatus ad triremes non debeat in habitu clericali incedere.*

igitur, quod † Sacra Congregatio Urbana dum hoc edidit Decretum non loquatur de eiectione à Religione quæ per accidens sequitur ad damnationem triremium alicuius Religiosi, qui propter enorme crimen ad illas mittitur, sententia à iudice competente lata, ut ibi pœnam corporalem luat suo delicto debitam mihi indubitatum est: sic enim practicari illud vidi Romæ, & manifestè, ex ipso Decreto cuius principale intentum fuit restringere, & habenas ponere potestati Superiorum Regularium, qui nimis faciles erant ad eiiciendos extra religionem professos, formato faciliter processu de incorrigibilitate eius, siue esset incorrigibilitas de facto, siue de iure siue vera siue præsumpta, quo formato, utcumque religiosum professum summa facilitate eiiciebant, cum magno ipsius animæ periculo, ut à Diabolo deuoraretur, & multi religiosi ambientes ad sæcularem modum viuendi, & libertatem

- 2 in operando occasiones quærebant, & operabantur taliter, quod Religio à se expelleret, & sic ex delictis libertatem, & modum viuendi dissolutum, & suæ professioni indignum capiebant cum magno regularis disciplinæ dedecore, & detrimento, quod aduertens (vt supra adnotabam) Paulus V. ann. 1613. motu proprio expedito die 5. aprilis Canonicis regularibus Conimbricis concessit, vt monachos incorrigibiles, vel carceri perpetuo damnarent vel ad triremes relegarent, præcipiens quod aliter non possent Superiores à Religione eiicere, certior factus, plures ex industria fieri inobedientes, & incorrigibiles, vt eam ob causam expulsi à iugo obedientiæ liberarentur manentes apud sæculum, quo priuilegio vti possunt aliæ religiones participantes.
- 3 Quod † aduertens Urbanus VIII. & quod plura sequuntur inconuenientia ex eo quod huiusmodi religiosi carceri manciparentur perpetuo, vel quod propter quamlibet incorrigibilitatem ad triremes damnarentur, cum tanto animarum suarum periculo, quod non perue permittendum est, præterquam quod, non quodlibet delictum pœnam meretur triremium, medium se constituit fugiens vtrumque extremum, & carceris perpetui, & triremium pœnam, ac facilitatem expellendi, quam principaliter vult reprimere, & coercere relinquens potestatem damnandi ad carcerem perpetuum, aut ad triremium corporalem pœnam infligendam iuxta delictorum qualitatem, dignitatem, & exigentiam, neque enim quantum ad hoc superiores regulares coercuit,
- 4 sed prohibuit ne à religione aliquis expelleretur, & eiiceretur directe propter morum incorrigibilitatem, nisi ista ex contumacia dimanaret, contumaciaq; probaretur, & animus obstinatus, vnius anni spacio in ieiunio & pœnitentia in carceribus, proindeque (mandat) vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia: elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit ne contagione pestifera plurimos perdat tanquam ovis morbida, & membrum putre eiici tandem possit, &c.
- 5 Ex quibus liquido constat † sacrum Decretum Urbanum solum loqui de eiectione à Religione per se intenta, & est pœna spiritualis, vltimum, & extremum remedium vt religio quæ est vere innocens se tueatur à contagio pestifero, quo scætet pecus hæc morbida, & membrum putre, & nocentissima persona quæ digna est, vt à consortio fratrum, & communicatione spirituali arceatur propter contumaciam, & animum obduratum in delictis de quibus corrigi aut pœnitere non vult, vnde adfirmo quod nec

in mentem Summi legislatoris venit, quod aliquis Religiosus propter delictum enorme non possit damnari ad triremes, quia † hæc damnatio non est iuridica eiectio à Religione, quamuis materialiter damnatus à loco Religionis eiicitur, vt *sectio 6.* monstraui, est enim damnatio ad triremes pœna pure corporalis quam infligere non vetat Pontifex, & ad quam sustinendam cogitur quis, etiam si pœnitens, & contritus dolore culpæ existat.

Et quidem ita esse dicendum euidenter deducitur ex multis circumstantiis, † quæ in 7 Decreto præcipiuntur, quæ ad pœnam temporalem in triremibus luendam, nullatenus in iure exiguntur, & tamen eas exigit Urbanus VIII. suo Decreto, prima, quod post trinam iuridicam monitionem, & correctionem sit anno integro in carcere inclusus in pœnitentia, & ieiunio in quibus proberur ante eiectionem. Secunda, quod eiectio non fiat nisi à Generali cum aliis ab ipso eligendis si Capitulum Generale celebrandum nõ sit proxime, alias in Capitulo Generali sunt eligendi. Tertia, quod quandiu eiectus ad religionem non redierit in habitu clericali incedat, ac Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ sub sit. Quarta, quod Generalis expulsionis sententiam teneatur notificare ordinario. Quinta, quod huiusmodi expulsis non possint Prælati litteras testimoniales remissionis ad Sedem Apostolicam dare, nec iubere aliam ingredi Religionem.

Quæ circumstantiæ non obseruantur imo 8 nec obseruari possunt; dum quis damnatur ad triremes siue ad decennium siue ad minus temporis spatium, non enim commisso crimine digno hac pœna probatur per annum in ieiunio, & carcere, vt resipiscat, & quia, etsi valde pœniteat, & resipiscat de malo commisso nullamque habeat contumaciam pœnam istam temporalem luerè debet sicut latro, & homicida, licet sit valde contritus de furto, & homicidio aut fustibus cæditur, aut suspenditur. Secunda, etiam non est necessario obseruanda, siquidem Generalis, vel se solo in aliquibus Religionibus, vel simul cum assistentibus suis, vt in mea sacra Religione potest ad triremes damnare, at non potest eiicere nisi sibi con iudices adhibeat, sex alios Patres ex Grauioribus religionis.

Tertia † damnatus ad triremes non debet 9 in habitu clericali incedere, sed ob indecentiam non portat habitum Religiosum, quare finito tempore triremium tenetur habitum regularem assumere, & ad Religionem redire aliàs erit fugitiuus, & Apostata, quare non subiectus ordinario loci, nisi per accidens quantum ad sacramentorum administrationem eum longe distet à suis Præ-

latis, quibus subiectus manet, tamen absolui à reseruatis, in ordine ad quod datur illi licentia eo ipso, quod damnatur ad triremes, non vero in virtute cruciatæ, si in sua Religione non est admittenda, quod secus est de eiectione qui illa uti potest, cum sit extra Religionem. Quarta etiam non est necessaria, quod scilicet ordinario notificetur sententia damnationis ad triremium, nec hoc vnquam fuit in vsu, at de expulso id præcipit Urbanus VIII.

Ex quinta etiam circumstantia clarissimè liquet intentum decreti Urbani esse † loqui de expulsis, qui liberi mittuntur ad sæculum sine alia temporali triremium pœna, qui enim legantur ad triremes, non enim mittuntur ad sedem Apostolicam cum litteris testimonialibus, nec hoc vnquam visum est, nec iubentur aliam ingredi Religionem, quod enim nunquam est vsitatum lege non prohibetur. Vnde est manifestum sacram Congregationem solum loqui de expulsiōne, qua aliquis Religiosus solemniter professus propter contumaciam, & animum in vitiis obstinatum ad sæculum mittitur liber à iugo obedientiæ regularis. Denique hoc meum dictamen, (quod cum viris Doctissimis communicavi illis valdè arrisit specialiter cum Doctissimo viro & huius sæculi vniuersali Magistro D. D. Doctor Martinus de Hontiuirco Cathedræ decreti meritissimo & emerito proprietario Moderatore in Salmantina vniuersitate electo Episcopo Caligurrino,) valdè confirmant ea omnia quæ sect. 2. adduxi in fauorem adfirmantis sententiæ, quam firmissimè amplector, & non paruum munimen acquireret ex solutione rationum, quas pro sententia negante adduxi sect. 1.

SECTIO VIII.

Fundamina sententiæ negantis euertuntur, eneruantur & demoliuntur.

S V M M A R I V M.

1. *An nullus professus possit directè expelli expulsiōne quæ sit pœna spiritualis, nisi seruata forma Urbana eiectionis.*
2. *An quantum ad eiectionem formalem, quæ fit ob solam contumaciam, nil deseruiant privilegia, & numero 3. 4. & numero 5.*

AD primum respondetur nostrum confirmare dictamen videlicet, quod † nullus professus potest directè expelli expulsiōne, quæ sit pœna spiritualis, nisi seruata forma Urbana eiectionis, non tamen probat, quod professus ob crimen enorme, quod

legibus ciuilibus in praxi inducat pœnam mortis, non possit damnari ad triremes.

Ad secundum respondetur, quod † quantum ad eiectionem formalem, quæ fit ob solam contumaciam nihil deseruiunt privilegia omnia concessa quantum ad hoc ante decretum Urbanum, omnia enim omnibus clausulis derogatoriarum derogatoriis cassata sunt, ut constat *ex vlt. §. decreti*. Vnde iure optimo constitutiones illius Religionis de qua Lezana, quia contrarium disponebant non sunt approbatæ, declaratio etiam Reuerendissimi Generalis Seraphici ordinis Ioannis Ferri, quod damnatus ad triremes censeatur eiectus à Religione, hodie post Urbani decretum, non subsistit cum omnino diuersa sit pœna eiectionis ab ordine, à pœna triremium, cum ista sit corporalis & illa spiritualis, & longè maior, & irreparabilior, ut aiebat D. Thom. vnde in sententia, qua quis damnatur ad triremes hodie nullo modo debet poni, quod eiicitur ab ordine, nisi seruata fuerit forma Urbana, aliàs sententia, quantum ad istam partem, iniusta, & nulla est, quod valdè notare debent superiores Regulares.

Ad tertium respondetur bene probare, quod superiores attendere debent ad ea omnia, quæ in argumento dicuntur, ut non nisi ob grauissimum delictum, cui in praxi Regionis secundum leges ciuiles datur mortis pœna, ut aliquem Religiosum professum ad vitam in triremibus degendam, siue perdecennium, siue ob aliud determinatum tempus iuxta dignitatem delicti, degant, detinenturque ad illum temporalem infernum, in quo nullus ordo, sed semper horror inhabitat, tamen supposita dignitate delicti, & quod doctus, & practicus, ac Pius assessor dicat, quod practicatur, ut pro tali delicto pœna mortis detur, & similiter in Religione est praxis & consuetudo, quod pœna mortis in pœnam triremium commutetur, damnari potest ad triremes, quia est per accidens, quod sint illa incommoda, quæ iudex non intendit, sed quod delictum debita pœna puniatur, qua finita ad Religionem debet regredi, & ipsum tenetur Religio recipere, ut supra probatum est.

Ad quartum, & quintum respondetur, Prouincialem illum excessisse in pœna pro illo delicto, non tamen incurrit pœnas Breuis & decreti Urbani. Tum, quia non præsumpsit contra illum facere, ut dicebam, tum præcipuè, quia per se non fecit eiectionem ab ordine, de quo loquitur decretum, sed damnauit ad triremes, quod est longè diuersum, ut vidimus.

SECTIO vltim.

Pro praxi damnationis ad triremes inter Regulares, quæ sint delicta qua digna sunt hac pœna.

S V M M A R I V M.


1. *Pœna triremium est inter Regulares omnino diuersa à pœna expulsionis, & eiectionis ab ordine.*
2. *Multipliciter pœna legibus Ciuilibus statuta temperatur, antiquatur, & absoluitur.*
3. *Pro quo delicto nequeat iudex imponere pœnam triremium.*
4. *Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium, sed secundum ius, & naturalem rationem.*
5. *Iudex in arbitrariis semper debet eligere mitiorem pœnam.*
6. *Nullus pro quocunq; delicto Religiosus professus eiici potest à Religione, & numero 7.*

CVm vt ex dictis constet pœna triremium sit inter Regulares omnino diuersa à pœna expulsionis, & eiectionis ab ordine, deturque pro delictis quæ pœna mortis puniuntur in praxi legum ciuiliu, vt lux inducatur iudicibus Regularium, quum, hæc pœna praxi, & consuetudine pro delictis inferatur, circa hoc aliquantulum immorandum, & videndum quæ sint huiusmodi crimina, & delicta vt prudenter diiudicent, quum est vtendum publica vindicta, vt ex iustitia punitiua reum condemnent iusta pœna, prout à iudice Ecclesiastico dimanant.

2. Igitur † multipliciter pœna legibus ciuilibus statuta temperatur, antiquatur, absoluitur, cum enim pœna (quæ æterna non est & alia in vita luëda impositaque iure diuino) legibus humanis taxetur, & sit solum de iure humano statuta, iusque humanum vel temporis elapsu obliuiscatur, consuetudine etiam aut dissuetudine contraria abrogatur, & limitatur quoad pœnam transgressoribus impositam, ita vt quæ iure primæus infligebatur, iam hodie infligi nequeat, quia consuetudine est abrogata, taliter, quod † iudex nequeat illam pro tali delicto imponere etiam si in pœna imponenda arbitrio possit vt, iam iudicis arbitrium temperandum sit, & dirigendum, vt enim notant Bernardus Diaz in pract. Innocent. cap. qualiter. el. 2. colum. final. §. item nota. de accusat. † Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium sed secundum ius, rationem naturalem, & æquitatem, pensatis omnibus circumstan-

stantiis, & qualitate, tum delicti, tum personæ tanquam delinquentis, quam offensæ, modo etiam iniuriæ, magnitudine damni illati, loci, & temporis ratione, & multis aliis quæ pio & discreto Iudici occurrent.

Vnde fit quod † Iudex in arbitrariis semper debet eligere mitiorem pœnam, quam nequit extendere vsque ad pœnam mortis in foro Laico, & in Ecclesiastico, & Regulari vsque ad damnationem triremium, aut carcerem perpetuum quæ in iure morti comparantur, hodie etiam post Decretum Urbanum præfigens formam eiectionis † nullus pro quocunq; delicto Religiosus professus eiici potest à Religione, nec hoc est in arbitrio Iudicis, nisi talis forma præfixa obseruetur, scilicet quod sit verè incorrigibilis orta incorrigibilitate ex contumacia, & animo in peruicacia obdurato, quamuis (vt notat Portel. verb. Correctio fratrum, n. 54.) Iudex etiam Regularis de consilio assessoris possit augere pœnam ordinariam, quum crimen est perpetratum extraordinariis circumstantiis, quas si præuideret Legislator pœnam positam augetet, leg. hodie, D. de pœnis, leg. quid ergo, §. pœna grauior. † D. de hu qui notantur infamia. Circumstantiæ tamē istæ quæ impellunt Iudicē, vt exagget pœnā nō imaginariæ debent esse, & ex proprio Marte inquisitæ adhibitum, sed maturo iudicio examinatæ, & perpensæ. Odiæ enim, & pœnæ mitigandæ non augendæ, vt ponderat D. Gregorius relatus cap. summopere 11. quest. 3. & notat Suarez lib. 5. de leg. cap. 11. n. 9.



DIGRESSIO II.

De pœnis quæ imponi solent, pro delictis Regularium.

SECTIO I.

De pœnis iam exoletis etiam apud Regulares.

S V M M A R I V M.

1. *An pœna qua apud iudices seculares iam exolet a sūt, & relegatæ etiam apud iudices Ecclesiasticos, & Regulares sint excludendæ, & n. 2.*
3. *Variorum authorum sensus, & numero 4. 11. & 12.*
5. *An pœna deportationis in insulam possit praticari inter Regulares.*
6. *An Relegatio veniat in nomine pœnæ, & n. 7.*
8. *Quid sit exilium ex Paulo Iuriscons.*
9. *Fustigatio, & verberatio etiam publica respectu*

respectu Clericorum iure Canonico an sit recepta.

10. *In Religionibus duplex esse potest fustigationis etiam publica modus.*
13. *Quæ sit fustigatio infamatoria.*
14. *An vinculis & carceratione persona non ledatur.*
15. *An Carcer perpetuus qui duret per totam vitam à iure civili non deür in pœnam.*
16. *Authoris iudicium assertur, & n. 18. 19. 23. 33. 38. necnon Alexandrini Cleri, & num. 17.*
20. *Religiosi delinquentes si non sint contumaces non sunt eijciendi, sed carceribus mancipandi.*
21. *An si in regula & constitutione assignata sit pœna triremium pro aliquo delicto, nequeat superior illam pro delicto commisso non intelligere remissive.*
22. *Alexandri III. mens adducitur.*
24. *An Prælati Regularis iuste in pœnam delicti possit subditum cibis privare.*
25. *D. Thoma sensus propalatur.*
26. *Taxatio panis & aquæ valde usitata fuit antiquis Monachis.*
27. *An si superior panem & aquam taxet iudicio medicorum affirmantium esse sufficientem ad sustentationem diurnam incarcerationi, licet id possit facere absque periculo irregularitatis.*
28. *Clericis non licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores.*
29. *An officium iudicis Regularis sit officium iudicis Ecclesiastici.*
30. *Pellizarij opinio assertur.*
31. *An si quis ad interitum famelicum damnatus si illi offerantur cibi & non manducet, peccet mortaliter.*
32. *Qui non vult obstinate comedere, an dicatur se occidere.*
34. *Superior Regularis an possit ob graue aliquod delictum subditum damnare ad perpetuum carcerem.*
35. *Ratio difficultatis assertur, & n. 36.*
37. *Quid sit Regula temperantia.*
39. *An Superior & Iudex Regularis in pœnam criminis possit subdito imponere, quod ter vel quater in hebdomada in solo pane & aqua ieiunet.*
40. *Pœna imponi solita antiquitus malefactoribus, & n. 41. 42. & 43.*

ROE N A E †, quæ apud Iudices sæculares iam exoletæ sunt, & relegatæ etiam apud Iudices Ecclesiasticos & regulares excludendæ sunt, nec loco illarum pœna triremium, aut carceris perpetui mutati alias reclusio, est imponenda. Igitur pœnæ quæ iam in dissuetudinem abiit, sunt sequentes damnatio ad bestias in cu-

ius locum succedat decapitatio naturalis, hoc est, pœna mortis naturalis, Præcipitatio, quæ aliàs fiebat in Vrbe de Rupe Tarpeio, de quo ego egi tom. 5. in tract. de tormentis, latè Lucas de la Pegna leg. 5. C. de serui. lib. 12.

Interdictio aquæ & ignis damnatio ad metallum, vel opus metalli argenti viui in Hispania, imò vt notat Bernardus ad Clarum, §. final. lib. 5. quæst. 67. litt. S. ann. 1575. Dux Octavius Farnesius in quondam territorio Placentiæ, vbi elaboratur sal ad opus salis faciendi plurimos damnatos habebat, sed hæc pœna nullomodo practicata est in tribunali Ecclesiastico, aut Regulari, quare existimo, quod nec propter delictum dignum morte, ad opus metalli, argenti damari quit regularis professus, nisi tali circumstantia sit vestitum crimen quod expediat.

Deportatio etiam inter Hispanos in dissuetudinem abiit, & si iure Digestorum & Codicis frequentissima esset. Deportabantur enim rei in Insulas aëris pessimi & pestilentis, vt citò ibi morerentur, quare erat pœna capitalis, & loco illius volunt aliqui quod successit mors naturalis; ita † Romanus consil. 568. Angelus de Malefic. verb. Falsario, num. 48. & leg. 1. §. legis Cornelia, D. de sicar. Quos sequitur Barardus ad Clarum ex Baldo, leg. 1. C. de monopol. Alij dicunt quod loco illius successit exilium, aut bannus perpetuus. Ita Cuman. cons. 139. num. 4. Guido Papæ decis. 423. & 437. Grammat. voto 91. num. 10. Et videtur satis legitima successio, cum valde similes sint deportatio, & bannus perpetuus, sed Iulius Clarus Alexand. vbi supra num. 8. prudentius loquitur dicens. Ego credo quod super hoc non possit dari certa Doctrina, sed quod loco deportationis possit iudex imponere pœnam iuxta qualitatem facti, & persona prout sibi conuenire videbitur, scilicet triremium in perpetuum, vel ad tempus, vel exilij, & huiusmodi secundum grauitatem delictorum, nec consulere iudici, vt loco deportationis imponeret pœnam mortis, vbi pro delicto non esset imposta à statuto vel consuetudine, & ita vidimus obseruari. Hæc ille. Addit Bernardus, quod Venetiis & Genuæ in vsu est deportatio, sicut & in regno Neapolitano propter Insulas suæ ditioni subditas, si enim Magistratus Insulas non habet proprias iure communi deportare in Insulam nequit, vt ait Benedictus de Plumb. repetit. leg. 1. num. 18. C. de hered. instit. Dynus in Regula. cui licet n. 5. de Regulis in 6. Vnde non habens insulam, & in eam deportans facit sententiam nullam. Baldus leg. executorum, C. de executio. rei indicat.

Hæc autem † pœna deportationis in Insulam potest practicari inter Regulares, si ibi

ibi habeant sui instituti domum, secus verò si non habeant quia possunt in exilium committi, bona tamen si quæ ibi acquirat Religioni acquirat, argumento, ex his quæ docet Natta *conf. 472. num. 17.* Si tamen in Religione seruentur iura filiationis conuentui cuius est filius acquireret non ei, in quo exilium & deportationem patitur iuxta dicta in superioribus, si tamen in Insula in qua deportatur non sit demus instituti proprii existimo quod deportari nequit, quod si de facto deportetur Cameræ Apostolicæ acquireret iuxta Bullam Greg. XIII.

6 Relegatio † alia pœna est, de qua latè Menochius *de arbitr. casu 330. lib. 2. cent. 4. & lib. 1. quest. 80. num. 89.* Ex Budeo adducit discrimen inter *deportationem* & *relegationem*, cui successit exilium siue temporale, siue perpetuum, siue à ciuitate, siue à regno, quæ pœna, licet Innocentius *cap. qualiter el. 2. num. 6. de accusatio.* Follerius in *pract. crimin. cano. fol. 278.* Milleus in *simili. fol. 148. n. 46.* dicant quod secundum canones non est in vsu, & quod loco illius succedat detrusio in Monasterium; tamen verius est oppositum cum exilium pœna sit à Iudicibus Ecclesiasticis practicata, *cap. 1. de calumniato.* Vbi Gregorius Magnus *Epist. 66. lib. 9. Registr.* id præcipit, & antea præceperat,

7 *lib. 5. epist. 5. alias 29.* rescribens ad *Venantium Lunensem Episcopum*, quare hæc pœna aliena non est à regularibus, sed est valde in vsu, dum reos iuxta sententia in alia monasteria solitaria, & strictioris vitæ remittuntur & relegantur, quod etiam fit respectu monialium, delinquentium, sed cum hoc discrimine quod ad istas relegandas ad alia monasteria sententia iuridica debet præcedere; est enim valde illis indecorum, & excedit pœnas regulares ipsarum, at respectu virorum non ita, quia non sic ignominiosum mutari ad alium conuentum. Cæterum aduertendum quod quum Iulius Clarus *vbi supra*, ex Alciato in *cap. non ab homine, de iudic. num. 100.* quod iuxta communem sententiam Ecclesia non infert pœnam exilij, hoc est, verum quatenus exilium erat pœna capitalis sequebatur ad eam capitis minutio, *lib. 2. D. de publi. iudic.* Vbi Paulus

8 Iurisconsultus dicit, *Quod † exilium propriè est aquæ & ignis interdictio, per quam caput eximitur à ciuitate;* & hoc sensu neque Ecclesia, neque Regulares in exilium mittunt, sed propriè relegant, vbi enim non est aquæ & ignis interdictio non exilia, sed relegationes dicuntur, ait idem Paulus, *Relegatus enim, & Ciuitatem retinet, & Religionem.*

9 Fustigatio, & verberatio † etiam publica respectu Clericorum Iure Canonico est recepta, *cap. 1. de calumniat.* & latè probat Bernardus Diaz. in *pract. cap. 135.* Hæc tamen

pœna in aliis Tribunalibus præterquam S. Officij non est in vsu in Hispania, nec esse in Gallia testatur Milleus in *pract. fol. 148. num. 53.* debet tamen moderatè, & non crudeliter exequi, *cap. præterea, de cleric. percuss.* Quamuis enim capitalis non sit, est tamen infamatoria animis, & infamatoriis delictis irrogatur. Menochius *de arbitr. lib. 1. q. 80. nu. 40. & 41.* Farinac. *questio. crimin. quest. 19. n. 29.* Paulus de Castro *leg. nullam, C. ex quibus caus. infam. irrogan. n. 2.*

Cæterum † in Religionibus duplex esse potest fustigationis etiam publicæ modus, aut regularis, & hic modus fustigationis saluberrimus, & remediū valde vtile ad coërcendos iuuenes, quo vtuntur omnes ferè Religiones, & illæ, quæ non vtuntur non ita facilè coërcentur adolecentes à transgressionibus regulæ, & obseruantia; nam ieiunium in pane & aqua raro seruetur, nisi in refectorio, quare verberatio visitatissima fuit apud Antiquos Religionum institutores, vt latè ostendunt Hestinius *lib. 8. tract. 3. disq. 2.* ex quo Gibellinus *de clausur. disquis. 2. cap. 4. §. 7. num. 11.* plura desumpsit. Ita Pachomius in *Regul. art. 39. 82. & 121.* S. Aurelianus *cap. 4. Regul. S. Benedictus cap. 28.* Petrus Damianus *lib. 6. epist. 27. & opuscul. 44.* de hac re edito asserens, *Stephanum Cardinalem ex Monacho Cassinense, repentina morte fuisse percussum eo quod dixerit, quod hæc flagellatio regularis erat indigna Religiosis.* August. *serm. 15. de verbis Domini.* S. Isidorus *cap. 17. Reg. Concilia etiam et si Prouincialia idem decernunt Matisconens. 1. cap. 8. & Matiscon. 2. cap. 1. Aquisgranens. cap. 134. Concilium Veneticum, canone 6.* qui omnes imitati sunt S. Cæsarium Arelatens. de quo idem id firmat in *sua vita.* S. Cyprianus eius discipulus, *Solebat* (inquit Cyprianus) *vir sanctus id accuratè seruare, vt nemo ex illis qui illi parebant si culpa sua flagellandi essent, amplius triginta nouem ictibus ferirentur. Ita tamen vt si quis in graui culpa esset deprehensus, permetteret vt post dies paucos vapularet iterum.* Ita Cyprianus, in pœnitentiâ S. Columbani solum viginti quinque ictibus concedebantur. Cæterum Petrus Card. Da-

13 Alia potest esse † fustigatio infamatoria, quæ fit per calles, & plateas carnifice impingente flagella instrumento ad id destinato, & præcone proclamante delictum propter quod flagellatio infertur hæc quidem grauissima pœna est, & adeo infamatoria, vt morti æquiparetur, vt ait Menochius *ubi supra*, quare à iudice regulari nunquam visa est infligi, etsi aliquando, vt audiui clausis ianuis per claustra soleat Regularis ab alio fustigari in maiorem confusio- nem delicti, sicut antiquitus ante fores monasterij verberari iubet S. Pachomius in *Regula* 86. eum Monachum, qui fratres alios sollicitabat.

Carcer perpetuus grauissima pœna erat maximè si intra paruum spatium muris circumdatum reus concluderetur, etsi enim in carcerem mittere, in vinculaque coniicere secundum se non sit pœna iuridica, neque enim hæc instituta sunt ad pœnam, sed ad reorum custodiam, vnde † vinculis & carceratione persona non læditur, nec infamatur, vt benè Socinus Senior *cap. nuper de sententia excommunicat.* verum est quod carcer ad tempus datur pro leuibus delictis, vt Barthol. in *tract. de carcere Plata leg. nemo C. de exactor. trib. lib. 10.* ibique reus in pane & aqua maceretur, quæ pœna valde vsitata fuit inter antiquos Monachos, vt referunt S. Fructuosus Bracharens. in *Regul. cap. 17.* Alius Fructuosus *cap. 4. Regul. mittatur solitariarius in cellam obscuram*, Concilium Aquisgranens. *cap. 134.* & Mafisco. *1. cap. 5.* Isidor. *cap. 18. reg.* & hodie etiam inter Regulares hæc pœna carceris temporanei, cum ieiunio in pane & aqua ad corporis macerationem in pœnam commissi criminis satis vi- get & practicitur.

15 Cæterum † carcer perpetuus, qui duret pro tota vita à iure ciuili nõ datur in pœnâ, non enim est in vsu vniuersaliter loquendo, vt ex multis probant Clarus Alexand. *ubi supra quæst. 70. num. 3.* Bald. *cons. 443. in fin. libr. 3.* vnde de iure communi ciuili, si quis iudex laicus damnaret aliquem ad pœnam carceris perpetui sententia non teneret, nisi in casu quo de iure ciuili veniret imponenda aliqua pœna per quam quis efficeretur seruus, vt in damnato ad metallum, aut opus metalli, quæ pœna vt supra dixi iam in defuetudinem abiit, tunc enim loco illius posset pœna perpetui carceris imponi, vt attestantur Baldus *leg. credibile C. de pœnis*, Socinus *Rubric. de pœnis à num. 21.* Sed ego existimo † cum Menochio *ubi supr. q. 89. à n. 9.*

16 quod nec in hoc casu potest iudex laicus imponere pœnam carceris perpetui murati etiam si iudicis arbitrio esset relictum damnationem ad metallum commutare, quia

vtraque pœna iure ciuili abrogata est, per defuetudinem, vnde cum arbitrium iudicis debeat esse, secundum ius & æquitatem, cum in iure æquiparentur hæc pœnæ & vtraque non sit in vsu, nequit iudex vnâ in aliam commutare.

Addit † idem Alexandrinus Clarus, 17 quod Reges Castellæ multum vtuntur ista pœna carceris. Apud Clericos autem multum frequentatur, addere potest, quod etiam est in vsu in sanctissimo Tribunali inquisitionis, practicitur etiã in aliis Rebus publicis, & Regnis ex speciali statuto, & lege municipali. Addit deinde ex *Angelo leg. prator. §. si publicanus numer. 1. ff. de vi bonor. raptor. quod quamuis Clericis non liceat interficere, quemquam tamen possunt reos in carcerem detrudere & includere cum tanta necessitate, cibi, & potus vt fame necentur, & ait Angelus, quod ita dicunt Canones & hac practica vtuntur, quam tamen restringe, vt procedat quoad ipsos Clericos tantum.* Hæc Clarus Alexand.

Circa quam pœnam duo aduerto pro Regularibus. Primum quod † Iudices Re- 18 gulares (nisi in Regula, aut Constitutionibus à Papa confirmatis pœna trirremium assignetur) istâ possunt commutare in carcerem perpetuum muratum cum aliquibus aliis pœnitentiis corporalibus etiam in pœnam delictorum, quæ legibus ciuilibus pœna mortis puniuntur, cum enim illis non sit licitum interficere, nec pœnam sanguinis imponere, vt decidit Concilium *Toletanum II. canon. 6.* quem confirmat Alexandr. *III. cap. clericis 5. ne cleric. vel monach.* illisque non sit concessum 19 priuilegium, quod tradant reum Curie sæculari, sicut aliis iudicibus Ecclesiasticis, vt Dominis Inquisitoribus est concessum absque incurfu irregularitatis, vti egregiè enodat Couarr. *Clement. si furiosus part. 2. §. 5. numer. 6.* quamuis illis regularibus sit concessum & praxi quotidiana sit firmatum ad trirremis damnare, tamen quum carcer perpetuus sit in vsu quotidiano in religiosis familiis, ad illum in loco trirremium possunt damnari, & forsan hoc satius est, vt sit in multis religionibus, in quibus grauissima & atrocissima delicta carcere perpetuo puniunt & in hac ciuitate Hispalensi sunt duo exemplaria satis nota, viuunt enim adhuc rei pœnam sustinentes carceris perpetui; vnde Doctissimus, & Prudentissimus Peyrinis *de subdito Religioso quæst. 1. cap. 27.* dicit, *factor tamen quod melius esset, tum pro religionibus, tum positis scelectis, qui propter facinora perpetrata sunt digni, vt ad trirremes euiciantur eos ad perpetuos & duros carceres,*

compedibus, disciplinis & inedia torquendos damnare, sic enim de illorum salute & correctione posset sperare. Hæc ille, quæ non pudet iterum repetere, sunt enim verba prudentia & Religione plena, simul & pietati Regulari & statui conformia Summorum Pontificum intentioni, ne periculo damnationis animæ manifesto expositæ relinquuntur, conformatur etiam hoc D. Thom. ²⁰ in art. ult. quodlib. vlti. ubi dicit † Religiosos delinquentes, si non sint contumaces non eiiciendos esse, sed carceribus mancipandos adstipulantur etiam sancti fundatores Religionum, tam Monachalium, quam Mendicantium, qui nunquam ad triremes neque ad sanguinem damnarunt Religiosos suos, sed ut vidimus si contumaces erant à Religione expellebant, si vero graue delictum committebant dignum morte, vel in monasterium detrudebant in perpetuum, ut ibi pœnitentiam ageret relegatus à maiori concursu populorum, vel in carcerem tenebricosum, & asperum in pane arcto, & aqua breui immittebant, vel ut indutus veste pœnitentium discalceatus, & seminudus, opus, idest seruicium exerceret monasterij. Ita Isidorus, cap. 16. & 16. Fructuosus Brachar. cap. 14.

Cæterum, ut in superioribus etiam tetigi † si in regula & constitutione assignata est pœna triremium pro aliquo delicto, nequit superior (si in illa non possit dispensare) illam pro delicto commisso non infligere, existimo tamen, quod si delicto sit imposita pœna carceris perpetui, neque inter Regulares, neque sæculares iudices Ecclesiasticos non potest pro illa imponi pœna triremium, tum propter proximum & grauius animæ periculum, tum quia pœna triremium longè infamior est, quam pœna carceris perpetui, ista enim etiam nobilibus datur, secus vero illa.

Verum est, quod pœna detrusionis in Monasterium etsi magna sit, & in sacris Canonibus pro grauiss. delictis imposita, ut cap. clericus de excessibus Prælatorum. ubi pro crimine nefando propter quod venit ira Dei in filios diffidentia eam Clericis imponit Alexander III. & idem rescribens Oxomens. Episcopo pro homicidio voluntario ponit eandem pœnam, cap. sicut dignum §. clericos de homicidio. Sed hæc pœna nimio tempore dilata, iam non est in vsu, ut notant Clarus Alex. quæst. 70. cit. num. 6. Bernardus Diaz. in præf. cap. 128. quia cum hac monasterij detrusione iuncta erat depositio, & suspensio ab ordinum exercitio. In regularibus enim hæc pœna detrusionis in arctiore conuentu, & remotiore à sæcularium commercio valdè vsualis est, & mul-

tum practicatur, ut notant Barthol. leg. leuia ff. de accusat. Salicet leg. 1. Cod. de requir. reis. Guid. Pap. 429. Manuel Rodriguez tom. 2. q. 42. art.

Secundum, quod aduerto est, † circa illa ²³ verba Alexandrini, quod quamuis clericus non liceat interficere quemquam, tamen possunt reos in carcerem detruere cum tanta necessitate cibi & potus, ut fame necentur. Quæ doctrina ingentem continet difficultatem & literis humanioribus iniucundam materiam ex antiquorum Monachorum vsibus. Etenim id licitum videtur, quia damnato ad perpetuum carcerem sic exigente vindicta publica pro atroci delicto, potest taxare pondus quatuor vnciarum panis, & totidem aquæ, his enim absolutè quis sustentari ad diuturnam vitam valet, & sic non est vltimum supplicium sanguinis. argumento legis, qui vltimo supplicio 29. ff. de pœnis, cap. nouimus §. pro illo. ubi Alciatus, Decius, & Felinus.

Secundò, quia ut ait Suarez tom. 4. de Religio. tract. 8. lib. 2. cap. 10. num. 12. † Præla- ²⁴ tus Regularis iuste in pœnam delicti potest subditum cibis priuare, & aliis subditis prohibere, tam virtute obedientia, quam ratione voti paupertatis, ne illi alium cibum præter taxatum præbeant, quamuis reo non possit imponere præceptum, ne amplius comedat, aut bibat, quam aquam breuem & panem arctum taxatum, esset enim præceptum inhumanum, cum quilibet habeat naturalem inclinationem, ad conseruandam vitam. Vnde † D. Thom. 2.2. quæst. 69. ²⁵ art. 4. ad 2. dicit, quod si aliquis esset condemnatus, ut fame moriatur, non peccat si sibi cibum occultè ministratum sumat, quia non sumere esset seipsum occidere, quod adeo verum est, (quidquid Petrus Nauarra lib. 3. de restit. cap. 2. num. 220. diuagetur,) ut D. Caietan. ibi §. ad octauam dubitationem, quod iste tenetur comedere si illi offerantur cibi, quia (inquit) neque priuata, neque publica autoritate potest, quis se ipsum licitè occidere. Constat autem, quod nolle vti alimento habito est occidere se ipsum non minus, quam se ipsum gladio transuerberare, & sic tenetur comedere, ut ius natura seruet, non enim est damnatus, ut se occidat non comedendo, sed ad hoc, quod sibi sint subtracta alimenta non à quibuscunque, sed à custodibus, & huiusmodi, quamuis nullus teneatur tali damnato ministrare alimenta tanquam in extrema necessitate constituto, quia secundum iustitia ordinem in illa constituitur necessitate, &c. quam doctrinam Cardinalis approbat Suarez, ubi supra.

Tertiò, quia † hæc taxatio panis, & aquæ ²⁶ valdè

valdè vsitata fuit antiquis Monachis, de qua latè Hestenius *vbi supra libr. 10. tractat. 3.* Guibellinus §. 7. *Lessius Hygiasti, cap. 3. num. 15.* illis enim, qui aliquod peccatum, vel detractiōnis, aut inobediētiæ, vel simile committebant, aut excommunicati in tenebrosam cellam reclusi, aut sine excommunicatione incarcerati, pane arcto & aqua breui sustentabantur, & pro tribus diebus, vel pro duobus, vel etiam pro vno, vnum *pazima*, cum aqua porrigebatur, vt constat ex S. Ferreolo *cap. 22.* S. Columbano *in penitentiali suo Monastico S. Isidoro c. 18.* S. Fructuoso Brachar. *cap. 14. & 16.* Pazima, autem, siue Pazimazium, siue Paximazium, siue Paxamitia de quibus meminit etiam Cassianus *collatio. 2. cap. 19.* idem etiam significatum, hæc enim omnia habent synonyma, denotantia, vel panem subcineffum, vt vult Isidorus, vel biscoctum, vt volunt Rosveyd. *in Onomastico & Cerda in simili opere.* Vnde à Ruffino in vita Apollonij *lib. 2. ca. 7.* dicuntur, ex hac enim statera coctione siccitas in pazimate oriebatur apud nostrates *biscocho degalera* dicitur, & ad annum seruatur fere incorruptus ratione siccitatis, vt ad com meatum militem deseruiat, vt autem commodius milites vtantur pazima aquæ infundunt, vt madefactus conteri valeat de hoc biscocto pane, agitur *in Cod. Theodosia. leg. 6. C. de erog. milit. anno. quo cibo etiam Monachi milites Christi utebantur, & alicubi ad sex menses transigendos pazimata ex pane biscocto illis dabantur.* Vnum verò pazima sex uncias ponderabat, vt constat ex Palladio *in Lusiac. cap. 28.* *Lessius vbi supra* quibus consentiunt Hestenius & Guibellinus, quare si vnum pazima pro trium dierum sustentatione dabatur magna erat & accerrima pœna.

27 Quare Hieronymus Rodriguez *Ref. 48.* dicit, quod † si superior panem & aquam taxet iudicio medicorum affirmantium esse sufficientem ad sustentationem diurnam incarcerati, licitè poterit id facere absque periculo irregularitatis, & Pellizarius *tr. 9. cap. 3. sect. 3. num. 83. circa finem.* adfirmat Prælatum Regularem in casu raro posse dānare subditum ad mortem ex fame, quia non damnat ad mortem violentam, sed ad naturalem, & irregularitas incurritur ex morte violenter illata.

Cæterum hæc Pellizarij sententia omnino reiicienda est, sicut & vir ille Doctissimus & ingenuissimus à quo illam emendicauit, etenim vt articulariter notat D. Th. 2. 2. 28 *q. 64. art. 4.* clericis † nullo modo licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores, quod multis ibi probat, & concludit in solutionibus *ad 2. & 3. quod exer-*
Tom. II.

tium Clericorum est in melioribus ordinatum, quam sint corporales occisiones, scilicet in his que pertinent ad spiritualem salutem, & ideo non congruit eis, quod in minoribus se ingerant, & sic Prælati Ecclesiarum accipiant officia Principum terre, non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos, sed quod eorum auctoritate per alios exerceatur. Quorum rationem sub ministrat ibi D. Caiet. quia, quamuis in vna persona sit coniunctio dominij temporalis cum spirituali, sed dominium temporale modificatur ab spirituali, ita vt quæcunque dedecent Prælatum dedeant dominum, qui simul est Prælatum & Dominum, & merito, quia nobilius debet ad se retrahere ignobilius.

Quod vterius confirmo, quia † officium 29 iudicis Regularis est officium iudicis Ecclesiastici atqui hic nequit ferre sententiam, quod quis vitam finiat, quia est minister nouæ legis in qua non determinatur pœna mortis, aut occisionis. Ergo, vt sit minister idoneus noui testamenti debet à tali sententia abstinere, debet enim D. N. Iesum Christum imitari, iuxta illud *Ecclesiast. 10. num. ... secundum iudicem populi sic ministri eius.*

Quod enim dicit Pellizarius, † quod dā- 30 natio Religiosi, vt fame pereat per insensibilem cibi necessarij subtractionem non est damnatio ad mortem violentam, sed ad naturalem, quæ continget ex subtractione cibi. Hoc enim prorsus est ridiculum & indignum viro docto nedum doctissimo, nam hæc quæ originaretur ex subtractione insensibili cibi, prorsus violenta esset, cum subtractio cibi, qui est medium necessarium ad vitam conseruandam sit facta ab extrinseco passo, non conferente vim, in quo consistit ratio violenti.

Deinde, quia † si quis damnatus ad inter- 31 ritum famelicum si illi offerantur cibi, & non manducet si manducando potest diu vitam conseruare, mortaliter peccat & se ipsum occidit, vt asserunt vterque Thom. *quæst. 69. art. 4. citat.* & sequitur communis certaque sententia, vt videre est in Cardin. de Lugo *de instit. & iure disp. 10. sect. 1. à numer. 27.* ergo iudex Regularis qui subditum dānat, vt fame pereat, per insensibilem cibi subtractionem ipsum tanquam iudex occidit, quod Regularibus & Ecclesiasticis iudicibus non licere ne incurrant lenitatis Christi defectum, indubitatum est, & ita certum, quod in iure sit determinatum, vt dum iudex Ecclesiasticus aliquem reum tradit curiæ ex animo, vt à iudice laico exposcat, ne in illo pœnam sanguinis, quam demeretur exequatur, *cap. nouimus de verb. signific. vbi id determinat Alexander III.*

Tertio, quia non solum interimitur & occiditur

- occiditur homo, quum ferro se occidit, laqueo se suspēdit, aut se dat in præcipitium, sed etiam quum mediis communibus ad vitæ conseruationem necessariis non vtitur,
- 32 quare † ille qui obstinate, non vult comedere dicitur se fame occidere, & interimere, & violentas manus in se ipsum iniicere, ergo iudex qui damnat aliquem ad cibi insensibilem subtractionem fame interimat, & occidit non secus, ac si ad suspendium è palo, aut capitis excidium damnaret si mors enim infertur necessario ex vi actionis positivæ, siue priuativæ, quæ actio moraliter influens est in mortem, semper est violenta occisio.
- 33 Quare, ego † longè aliter secundum veritatem moralis Theologiæ discuro si ex consilio Medicorum, qui attentis omnibus circumstantiis personæ, ætatis, regionis, & similibus dicunt, quod tanto pane, siue pazimatio, siue moli, & tanta aqua potest reus vitam conseruare ad tempus diuturnum indeterminatum potest superior Regularis carceri perpetuo addicto subdito ob graue aliquod crimen talem taxam panis & aquæ victusve taxare. Ita vterque Rodriguez *vbi supra*, & hoc probant ea argumenta, quæ in fauorem primæ sententiæ adduximus, nequit tamen superior præcipere damnato, ne amplius comedat si offeratur, quam cibus, qui illi est sententia taxatus, rursus nequit dare cibum, & aquam vnciatim, *por honzas*, vt dicitur, taliter quod quotidie imminuatur de pōdere, vt si hodie datur panis duodecim vnciarum, pomeridianus habeat aliquid minus determinate, sic enim tandem fame periret ex defectu cibi necessarij, quod esset ad vltimum supplicium tandem damnare, quod Ecclesiasticis personis nullatenus licet.
- 34 Existimo etiam, quod † superior Regularis potest ob graue aliquod delictum subditum suum damnare ad carcerem perpetuū ibique detinere eo genere pœnitentiæ, tam in cibis, quam in disciplinis, ciliciis, lecto, & aliis incommoditatibus, quas ipse subditus aliàs posse in se ipsum exercere amore virtutis, vt pœnis ipsis ab alio inflictis luat in corpore & vindicta publica satisfaciat pro delicto commisso, etiam si aliàs vitæ tempus breuius sit futurum. Ratio est, quia † dum quis huiusmodi opera pœnalia amore virtutis, & ex motiuo honesto ad mortificationem carnis in se ipso exercet absque intentione abbreviandi vitam non se occidit, aut interimat siquidem, vt ait D. Tho. 2. 2. *quest. 147. art. 1. ad 2.* ratio recta hoc ordinat, ad spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda, ergo iudex Regularis, qui ad huiusmodi pœnalitates damnat subditum, vt eas patiat in carcere in pœnam delicti, &
- vindictam publicam ipsum non occidit, aut interimat fame, aut vitam abbreviat, etsi huiusmodi abbreviatio per accidens sequatur, per se enim sicut nec aliquis potest intendere vitam pœnitentiis, abbreviare, ita nec iudex Regularis potest intendere, quod vita rei abbrevietur, vt enim ait Hieronymus relatus, *cap. mediocriter, de consecrat. dist. 5. Non differt an magno vel paruo tempore te interimas, quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit.* Vnde fit quod, etsi ex huiusmodi pœnalitatibus fit periculum proximum abbreviandi vitam, quod quis præuidet non tamen intendit, potest in illis exerceri ex causa honesta, miles enim potest non deserere stationem suam. Carthusianus potest à carnibus abstinere, & aliquis potest inferuire infectis contagio pestifero etiam si in his omnibus sit mortis proximum periculum, aut abbreviandi vitam. Legendi sunt Lorca *disp. 23. de legibus. Vasq. disp. 162. Suarez de leg. lib. 5. cap. 3.*
- Qui omnes horum fundamentum desumpserunt ex D. Caiet. 2. 2. *quest. 147. art. 1. §. ad hoc dicitur.* vbi sic fatur interpretans solutionem ad secundū. † *Regula temperantia est necessitas vitæ presentis & quantum ad esse, & quantum ad bene esse etiam in ordine ad alios, si quis ex intentione abstineat, vt moriatur, aut infirmetur, aut impotens sit ad debita officia, peragenda huiusmodi abstinentia directè contrariatur temperantia, utpotè ex parte regulæ & finis eius, si quis vero abstineat, vt carnem spiritui subiiciat, aut ad pœnitentiam pro peccatis suis agendam, & in hoc excedit, aut aduertit se excedere, & putat se bene facere proculdubio peccat. Communiter tamen est peccatum veniale huiusmodi excessus propter rectam intentionem, & nocuenti ignorantiam, quoad nobilitatem, apprehendunt enim nocuentia corporis puta dolorem stomachi quasi nihil, & tanto plus excusantur, quanto sanitas corporis consideratur ab eis non absolute, sed in ordine ad seruitium spirituale. Si autem non aduertit se excedere, vtendo illa, quam habet discretionem nullum peccatum est. Quare verba piarum personarum, (aientem se velle mortificare, nec curare, an decem annis minus victura sint) pie interpretanda sunt, intendunt siquidè dicere, quod vacando actibus virtutis, & rationabili abstinentiæ, non curant diminutionem vitæ & in hoc rectè sentiunt, & non intendunt dicere, quod volunt ita abstinere, vt anticipent mortem. hæc ibi.*
- Quam doctrinam meæ decisioni applico manifestè. † Nullus enim superior & iudex Regularis licitè potest absque lenitatis defectu subditum suum ad carcerem perpetuū muratum, in quo pœnalitates, quas ipse subditus

ditus potest subire in potu & cibo & aliis carnis macerationibus iubeat in pœnam delicti & criminis commissi ex intentione, vt vita subditi abbreviatur, sed vt satisfaciatur vindictæ publicæ, quamuis huic ciborû taxationi & carnis macerationi sit iunctum proximum periculum, quod vita subditi abbreviatur, etiam si superior ipse aduertat attempta qualitate personæ rei, quod sit futura maior & citior abbreviatio, quod forsâ, quod subditus nequit facere, absque peccato saltem veniali, eo modo, quo dicit D. Caiet. superior iustissima causa & ex discretionem iuridica faciet omnino absque peccato, quia eam pœnam non imponet absolute, & in ordine ad regularem disciplinam, sed in ordine ad vindictam publicam & bonum cõmune læsum, ne vitia & crimina atrociam impunita maneant, quod valdè aduertendū

39 est. Imò addo, quod si superior & iudex regularis in pœnam criminis potest subdito imponere, quod ter, vel quater in hebdomada ieiunet in solo pane, & aqua, quod sit compedibus & catena vincetus, quod toto vitæ spatio vitam quadragesimalem agat, etiam si in sua Regula non statur, quia hæc dantur in pœnam delicti, quare existimo ad id teneri si iusta fuit sententia iuxta principia generalia de executione pœnæ, quæ in superioribus sunt enucleata.

40 Altera si pœna solita antiquitus imponi malefactoribus & iis qui ad metallum, vel opus metalli damnabantur, erat stigmatizatio in facie, tergo, aut brachio, de qua latè, & non iniucunde plura ex humanioribus litteris congeffi tom. 5. de vero Martyr. fidei. in Appendice ad tract. de choro membro 4. & aliquando extensa fuit ad Monachos etsi iniuste, ita enim Zonaras lib. 3. de Theophilo imperatore, quod duos Monachos ipsum liberius monentes, facies eorum compunxit, & notis illis hos iambicos versus atramento infuso expressit. Hæc autè stigmatizatio etsi aliquando fieret sine atramento, sed sola vstione cicatrice indelebili impressa, at nunquam fuit facta atramento solo, sed simul cum ferro candenti atramento nigro, aut cæruleo, vt ibidem dixi, contra stellarium lib. 1. de coron. cap. 14. nullo enim negotio infamia deleretur. Vnde in nostra Hispania hominibus bis vxoratis, aut polygamis stigma ferro ignito

41 imponebatur in fronte impressa Littera Q. ita habetur leg. 6. tit. 15. lib. 8. & leg. 3. tit. 1. lib. 5. in Regiis Ordina. vel dualem numerum 2. aut, signo si vt denotetur, aut duas habere vxores, aut malè sentire, de fide Christiana, aut Littera Q. candenti ferro imprimebatur quasi fidem frangens maritalem & imitaretur, autem illam quæ Ququillo dicitur Hispanie. & de signo si stigmate dicit Couat. de Matrim. part. 2. cap. 7. §. 3. n. 11. ita fuisse

Tom. II.

statutum à Ioanne Regne huius nominis primo, in Comitibus habitæ Biruescæ, antiquitus enim, vt adnotabam in Appendice citata membro 5. ex Panzirolo lib. 3. Thesauri cap. 241. malefactoribus in fronte imprimebatur prima Littera delicti commissi, vt calumniatoribus. Littera K. & Christianis, quia ab idololatriis malefactores iudicabatur Littera X. stigmatizabatur, quæ est prima Littera nominis Christi, id quod satis innuit S. Cyprianus epist. 77. Quamuis iure codicis non debet hominis faciei imprimi stigma, 42 leg. si quis in metallum. C. de panis. quia facies hominis ad imaginem Dei facta est, quare stigmatizari & deturpari infami signo non debet, vt notat Baiardus ad Clarum §. final. cit. quaest. 70. num. 1. Legendus est Farinacius de panis tom. 1. q. 19. n. 29. sed quamuis stigmatizari in facie iam non sit apud Christianos, in vsu pro pœna delicti, (nisi in mæcipiis refugiant,) at bullari candenti ferro in brachio, tergo, aut scapulis multarum nationum vsus obtinuit, pro speciali delicto, alicubi propter sodomiam semel commissam, (sic stigmatizatus Calvinus, (vtinam & igni traditus sicut prius de ipso senserunt iudices,) Neuo-Dugni, vt refert Bzou. de signis Ecclesie lib. 7. cap. 6. signo 30.) alicubi propter furtum, vel simile delictum. 43. Cæterum inter Regulares aliquando practicatam fuisse sicut practicatur rasio, & abrasio circuli capillorum, quem in suo Monachatu accipiunt per modum coronæ, quæ ob aliquod enorme delictum abraditur & abradi debet in iis qui ad triremes damnantur, non enim æquum est, vt in loco, ita infami insigne tam honorificum in capite delinquentis appareat & relinquatur, quanta autem pœna & infamia sit coronæ & capillorum abrasio, quantaque exauthoratio reputetur, ponderat S. Fructuosus Brachar. cap. 16. vbi pro infami delicto à monacho perpetrato, dicit, quod publicè verberetur, coronam capitis, quam gestabat amittat, &c. sed quanto honore priuetur ille, cui infami abrasione aufertur circulus coronæ Monachalis, & clericalis, legat Doctissimum Hestenum lib. 5. tract. 9. disquisit. Monachalium.

§. II.

De homicidio dolo, & proditorio.

S V M M A R I V M.

1. Homicidium ex dolo, quod dicatur.
2. Quid item proditorium.
3. An qui per insidias occidit inimicum suum vel dormientem, non proditorie occidat.
4. Quis dicatur proditor & quibus modis, ex Glossa remissivè.

5. *An nisi crimen sit exceptuatum in iure quantumcunque graue & enorme sit, etsi clericus etiam regularis sit & mereatur degradationem, non sit tradendus Curie seculari, nisi incorrigibilis existat.*
6. *An subditus occidens praelatum suum aut enormiter percutiens, expellendus sit à Religione & ad triremes relegandus.*
7. *Authoris iudicium assertur, & n. 14.*
8. *Quid in punitione homicidij attendendum sit.*
9. *Si quis directe non intendat homicidium & hominis occisionem, an non occidat ex dolo & n. 9.*
10. *An si quis dolo non occidat, directa scilicet voluntate occidendi & consulto, & ex proposito ut occidat, reus sit pena ordinaria.*
11. *Couarruua mens adducitur necnon Pauli & n. 15.*
12. *Etsi poculum ad abortum per se tendat in internecionem fetus, an poculum istud ex natura & vi sua non tendat ad mortem matris.*
13. *An non puniatur pena mortis sed relegationis ille qui necauit vel necare fecit condemnatum ad mortem eiusdem parentele, ut vitaret infamiam supplicij.*
14. *An ille qui procurat abortum fetus animamati, & de facto sequitur abortus, sit pena mortis plectendus.*
15. *An ut abortus pena mortis puniatur, debeat esse dolosus, sicut & homicidium, & n. 18. & 19.*

Homicidium ex dolo dico, † quum quis animo deliberato aliquem occidendi, interficit, quod quadrupliciter fieri potest, primo ex proposito, quum quis absque interuallo deliberate occidit in rixa vel calore iracundiae, & hoc dicitur homicidium simplex, vel ex proposito interuallo temporis interposito durante animo occidendi, quem ante executionem concepit. Secundo ex insidiis positis ad occidendum ut dum quis expectat aliquem positus in loco, qui ab illo prauideri verisimiliter non poterat animo illum occidendi illumque ex improviso venientem interficit, & existimo esse homicidium insidiosum, si quis expectet quod inimicus dormiat ut ipsum dormientem interimat, quia dormiens prauidere nequit occisorem, qui se occultas dormientem. Tertio proditorie. † Quando quis nulla precedente inimicitia alium interficit, ut si quis veniens cum alio tanquam socio, sine rixa, aut sedens cum eo in mensa, vel fingit seamicum esse & sic interficit, proditorium est homicidium, ut tenet Bartholom. quem omnes posteriores transcribunt & sequuntur. *leg. respiciendum §. delinquent d. de pœnis, vbi*

notat idem Bartho. quod † qui per insidias occidit inimicum suum vel dormientem, non proditorie occidit, quia occisus debebat se praeuere ab inimico suo, quæ sequuntur communiter Iurisperiti ut testatur Farinacius, *quest. 18. cit. à n. 73.* & Plaza, *in Epitome delictorum cap. 21. num. 1.* Gomez, *cap. 3. de homicid. num. 5.* Suarez, *ibi in addition.* Sed legibus Hispanis, qui retro & non facie ad faciem occidit inimicum, homicidium proditorium committit, & ut talis proditor puniatur pena mortis in furca ligatus prius ad equorum caudas per vicos, & plateas, ut notat Suarez & sequitur Couarru. *lib. 2. variar. cap. final. num. 7.* quis autem † dicatur proditor & quibus modis egregia doctrina & multis exemplis edocet, & enucleat Glossa *cap. clericus et primero verb. proditoribus 46. dict. 4.* per assassinatum, dum quis conductus pecunia alium interimit. De hoc quarto modo siue aliis quantum attinet ad Regulares hinc agendum.

Et primo mihi certum est, quod † nisi crimen sit exceptuatum in iure quantumcunque graue & enorme sit, etsi clericus etiam Regularis sit & mereatur degradationem, non tamen est tradendus Curie seculari, nisi incorrigibilis existat. Ita Manuel Rodriguez, *tom. 2. quest. 33. art. 1.* Miranda, *in Annuali tom. 1. quest. 52. art. 2.* Nauarrus, *in Manuali cap. 27. num. 249.* Vnde sicut clerici homicidium enorme perpetrantes, ut est parricidium & occisio Episcopi sunt deponendi *cap. Presbyter. 81. dist.* Curie seculari tradendi spectata incorrigibilitate, & pertinacia iuxta veriore & magis piam opinionem. *Ita similiter Religiosi suum occidentis Praelatum, verum est tamen quod Iudices Regulares, attento iure communi minime gentium possunt eos tradere brachio seculari, non spectata incorrigibilitate, etiamsi crimen sit ex atrocioribus, quod est verius & probabilius, vnde fratres committentes delictum, cui seculo pena mortis respondet, ad triremes relegari possunt.* Haectenus alter Rodriq. *Resol. 48. num. 28.* qui *nu. 29.* malè addit quod † subditus occidens praelatū suū aut enormiter percutiens (iuxta grauitatem percussionis, quam declarat Ioannes 22. *Bulla 2. in Bullario Rodericio*) expellendus est à Religione & ad triremes relegandus, ad triremes utique relegari debet, at expelli à religione nullatenus potest post Decretum Urbanum *de eiciendu.* In huius doctrinae confirmationem relege verba grauiissima D. D. Didaci de Couarru. quæ supra dedi *sectio 4. digressionis anterioris.*

Dixi nisi sit crimen exceptum, quia si exceptum sit secundum canonicas sanctiones & Bullas Apostolicas, quæ receptæ sunt in eacitate, aut Regno, post degradationem potest iudex Regularis, & Ecclesiasticus

reum etiam Regularem, aut Ecclesiasticum curiæ & brachio sæculari, casus isti excepti sunt in iure communi his additi sunt alij specialibus Bullis, vt falsificatio monetæ ab Urbano V I I I. procurantes abortus foetus animati à Sixto V. & alij attinentes ad S. Officium, vt celebrare & confessiones audire, sine ordine sacerdotij, existimo tamen, † salua aliorum censura, quod licet iudex sæcularis Ecclesiasticus possit clericum hos casus exceptos committere curiæ sæculari, pro vno actu dumtaxat, at Regularis non potest sine speciali consultatione Summi Pontificis, de qua aliàs, tenetur tamen ad trirèmes damnare, vt de falsificatore monetario infra dicam.

8 Secundò est etiam certum, quod † in punitione homicidij pœna ordinaria præcipuè attenditur verus animus occidendi, & voluntas directæ in ipsum actum homicidij, ipsam hominis occisionem, tunc enim verus dolus interuenit est homicidium ex dolo, quia voluntas directè fertur in hominis interneccionem, *leg. 1. §. diuus, leg. in lege Cornel. ff. de sicarijs*, si enim quis directè non intendat homicidium & hominis occisionem, non occidit ex dolo, & sic pœna ordinaria homicida plectendus non est, quia pœna datur pro delicto, & vt illa ordinaria impingatur delictum perfectum debet esse, atqui delictum perfectum non est, vbi non est perfectum voluntarium, cum delicta voluntate distinguantur, & vbi non influit voluntas cū nulla sit culpa nullum est delictum, *cap. cum voluntas de sententia excomm. leg. qui iniuria, ff. de furt.* & ea ratione qua in actu externo relucet interni voluntarium, relucet etiam delictum, quod augetur si voluntarium sit directum, & perfectum, & minuitur si indirectum sit & imperfectum, & totaliter euanescit delictum, vbi nullum, vel indirectum voluntarium est, cum sequatur per accidens malum, quod nec præuisum est, nec intentum, vt eleganter D. Th. 1. 2. q. 76. art. 4.

9 Sed est difficilis textus, in *leg. si quis aliquid 38. §. qui abortionis, ff. de pœn.* vbi Paulus Iuris-consultus, sic ait. *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant cisi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur, quod si co mulier, aut homo perijt summo supplicio afficiuntur.* Ergo etiam † si quis dolo non occidat directæ scilicet voluntate occidendi, & consulto, & ex proposito, vt occidat, reus est pœna ordinaria, & vltimo mortis supplicio plectendus. Etenim qui phyltrum dat non dat, vt occidat, sed amoris causa, & qui poculū, dat ad abortionem animati fetus illud præstat ad virandam (aliquando) mortem fœ-

minæ, aut adulteri, aut infamiam, vel excellentis personæ, aut conuentus, aut familiæ, vel ne fœmina virgo reputata exauretur, & exhonoretur sic benè dixit Iuriscōs. quod qui phyltrum dat amoris causa, vel ad abortum foetus animati, etsi res sit mali exempli, tamen non est morte puniendus, sed relegatione in insulam, vel ad metallum pro diuersa personarum qualitate, quia non ex dolo id faciunt, si ergo non faciunt ex dolo, etiam si homo, aut mulier pereant, non est morte castigandus.

Doctissimus concius meus Couarruias † in *relect. ad Clement. si furiosus part. 2. n. 2. 11 v. sed ad consultorum respōsa.* sic fatetur. Affeuerare constanter non verebor, idē apud Paul. vltimo supplicio delictum puniri, quod ille actus ex propria vi & natura maximè tendat in periculum mortis, aut grauissimæ læsionis si quidem abortio ipsa ob corporis dissolutionem valdè periculosa est, poculæque amatoria in hoc propinantur, vt iudiciū amatoris perturbent, mutantque, & evertāt quo fit, quod licet dolus absit, nec is actus omnino occidendi, & ideo per se & directè non possit dici homicidium voluntarium, indirectè tamen, & per accidens dicatur ea occisio voluntaria, magis, quia *actus per se volutus, aut voluntate comprehensus magis tendat ad ipsius homicidij periculum.* Hactenus ille, & addit, quod *Ulpianus* (Marcianus aliàs) *leg. eiusdem 3. ff. ad legem Cornel. de sicar. & venefic. §. sed ex senatus. posuit exemplum in medicamento ad conceptionem ex quo mulier, que accepit decessit, & dicit, quod mulier, que dedit relegari iussa est, quia medicamentum hoc vires auget & fortiores reddit fœminas, atque ita ex vi & natura sua non tendit in periculum vite fœmina sumentis.*

Verumenimverò etsi placida sit hæc solutio, at non videtur solida, etsi enim † poculum ad abortum per se tendat in interneccionem foetus, qui ordinariè eiicitur immaturus & vitæ incapax longo tempore, aut mortuus exiit tamen poculum istud ex natura & vi sua non tendit ad mortem matris, raro enim ex abortu secreto vitam finit etsi humorum ingentem patiantur alterationē, quæ pacatur intra breue tempus, quare cum id experientia notum sit, poculum istud ordinariū ex natura sua non tendit ad mortē matris, quod si sequatur per accidens est, nō fecus ac si fumatur poculum ad concipiendum, & sic, sicut dans non punitur vltimo supplicio, etiamsi sumentis sequatur mors, vt ait Martianus *leg. 3. cit.* ita nec dans illud etiamsi mors sequatur fœminæ, quia non ex vi poculi cum raro, eam mortem inferat, sed ex aliis accidentibus vitæ defectus, sequatur, non fecus ac si quis ex vulnere, quod ex vi sua non infert mor-

tem mors sequatur, idem dic de poculo amatorio ex amoris motiuo propinato, quod ex illo sequatur mors raro contigit, & mortuum releuata pœna ordinaria, vt ex Areopagorum Iudicum decreto constat, peccauit enim mulier accusata non voluntate, sed errore, in quem induxit amor, & sic amafij fui mors per accidens valde respectu ipsius voluntatis secuta est. Vnde excusauit delictum à pœna ordinaria homicidij, quod vero magis ordinariè sequatur alteratio, & immutatio iudicij, cum quasi cogatur voluntas amafij ad amandum, non est dignum pœna mortis.

13 His adde valde probabile esse quod † non punitur pœna mortis, sed relegationis ille qui necauit vel necare fecit condemnatum ad mortē eiusdem parētē, vt vitaret infamiā supplicij, vt tenēt Pullon. *in pract. Rubric. de quast. num. 138.* Conrad. *tit. de venef. n. 13. folio 336.* & *tit. de homicid. num. 20.* retractans quod dixerat *n. 7.* Botrius etiam *decif. 2. 16. num. 3.* dicit quod matres dantes poculum filiabus imprægnatis, vt abortionem faciāt, ad tuendam bonam opinionem, & ne diffamentur non sunt puniendæ vltimo supplicio, etiam si filiarum mors sequatur. Vnde si Religiosus habens sororem, aut consanguineam in gradu proximo, quæ imprægnata est occulte ab amafio suo, sitque sanguinis illustrissimi, etsi publicetur impregnatio magnum dedecus familiæ oritur, vel si ipse monialem professam imprægnauerit, & poculum dedit vt abortum faceret nō est propter homicidium matris quod per accidens sequutum est morte puniendus, quia id fecit ob defensionem honoris, & ad vitandam infamiā tum familiæ tum Religionis, & homicidium per accidēs sit sequutum, quāuis an sit morte plectendus, quia foetum animatum (qui iam homo dicitur eo ipso, quod sit anima rationali ornatus, quia in edicto publico hominis appellatione continetur infans *leg. si quis 8. D. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. 12. §. 5. D. de publ. & prob. Cuiacius lib. 6. obseruat. 20.* vnde Homerus *Iliad. 23. & l. 16. D. de pœnis infantis*, eadem viri occisionem dicunt) infra enucleabo in hoc §.

14 Quare † ego aliter interpretor Paulum Iuriconsultū in *prafata leg. si quis aliquod 38.* de poculo abortionis, & amatorio quod venenum malum mixtum habet, & est poculum malum abortus, & amatorium sicut enim in iure diggestorum hoc nomine *venenum*, mediū quid est inter malum, & bonum ita, & poculum amatorium: egregie adnotauit hoc Iuriconsultus Martianus *leg. eiusdem 3. cit. D. ad leg. Cornel. de sicar. & venefic. §. 2.* vbi sic fatur. *Adiectio autem ista veneni mali, ostendit esse quedam non mala venena, ergo nomen medium est, & tam id quod*

ad sanandum quam id quod ad occidendum paratum est continet, sed & id quod amatorium est appellatur, sed hoc solum notatur in ea leg. (Cornelia) quod hominis necandi causa habet. Haftenus ibi. Quare † dum Paulus in *leg. si quis 38. de pœnis §. 5.* dicit quod *si ex poculo amatorio aut abortionis sequatur mors sumentis dans punitur vltimo supplicio*, intelligitur de poculo malo, de quo solum instituta est *lex Cornelia de sicariis*, de eo scilicet poculo quod venenatum est, & habet vim occidendi sumentem, quamuis maneat irregularis, quia dabat operam rei illicitæ ex qua potest esse mortis periculum *cap. ad audientiam de homicid.* non vero qui dat poculum ad conceptionem, quia iste non dat operam rei illicitæ.

Tertium, quod † ille qui procurat abortum foetus animati, & de facto sequitur abortus, est pœna mortis plectendus, etsi sit clericus etiam regularis tradendus est curiæ, & brachio sæculari, ita habetur in iure civili *leg. Cicero D. de pœnis*, tamen ibi loquitur Iuriconsultus, quum hoc sit à foemina pecunia accepta, est enim affassinij genus, secus vero ait Tryphoninus si facto diuortio mulier prægnans relicta partū abigit, ne iā marito inimico filium procrearet, vt notat ibi cum textu. Gotifredus, vnde pari modo videtur dicendum si titulo honoris conferuandi, & vitandi infamiā abortus fiat, iste talis non videtur pœna mortis mulctandus. Legendi sunt Barbatius *consil. 23. lib. 2.* 17 Decius *consil. 535.* quare † abortus vt pœna mortis puniatur debet esse dolosus, sicut & homicidium, quod notarunt Menochius *de arbitrar. casu 357.* Gomez *de delictis cap. 3. num. 10. versic. quartus casus*, vnde nisi pecunia fiat partus abigatio iure civili pœna arbitraria, est punienda foemina illum faciens. Qui vero dat poculum, vt mulier prægnans non fiat non est pœna homicidij aut aliam Ecclesiasticam censuram incurrit ex Bulla Sixti V. *data sub die 16. Nouembr. 1588.* quæ etiam foetum non animatum comprehendit 18 dicens quod qui abortum foetus siue animati siue inanimati fecerit tradatur curiæ sæculari, quam constitutionem moderatus est Gregor. XIII. quantum ad excommunicationis reservationem, à qua potest absolueri quilibet confessor approbatus ab ordinario, tum quantum ad pœnas positas contra procurantes abortum foetus inanimati, aut exhibentes mulieribus, aut sumentes venena sterilitatis, consulentes, aut auxiliantes, quare quantum ad hæc Greg. XIII. Bullam Sixti Quinti reduxit ad terminos iuris communis, *cap. quod vero cap. quod Moyses 32. quast. 2. cap. sicut ex litterarum cap. si quis de homicidio.*

Cæterum si dubium sit an foetus fuerit animatus 19

matus, præsumitur semper animatus nisi probetur contrarium, ut notant Anan. & Card. cap. sicut de homic. Sed hoc ut bene notat Anton. Gomez ubi supra num. 33. intelligitur quoad irregularitatem, & alias pœnas iuris canonici, non vero quantum ad pœnam temporalem mortis, relegationis; aut trimerium, notat etiam idem Gomez num. 32. quod committens abortum etiam si factum monstruosum occideret, ut puta si haberet vnum brachium vel plura brachia, vnum, vel plures pedes, vnum, vel plures oculos, effente duo fœmelli iuncti, debet puniri pœna mortis si esset animatus factus, secus vero si non esset in forma humana quia haberet caput animalis bruti vel simile. Ita Baldus, Angelus, & multi alij leg. quod dicitur D. de liber. & post.

SECTIO III.

De Sodomia crimine.

SUMMARIUM.

1. Quid de crimine Sodomia veniat dicendum.
2. Quid veniat notandum, & num. 3. & 4. & n. 14.
5. Multorum Iurisperitorum opiniones propalantur, necnon Ciceronis, & numero 6. & n. 7.
8. Pœna proportionatur culpa.
9. Nullum peccato per peccato Sodomia ex Chrysostomo.
10. In delictis atrocioribus conatus ad illa proximus, & ad illa sollicitatio punitur pœna ordinaria, & n. 11.
12. Authoris iudicium propalatur, & numero 15.
13. De Sodomitis Rupertus quid sentiat.
16. Exemplum affertur.
17. An sit consideranda gravitas civilis, politica, & popularis peccati Sodomia, & numero 18.

DE hoc abominando, & super omnia detestando crimine plura dixi in meis Moralib. tom. 1. tract. 1. à Resol. 26. vsque ad 30. & à Resol. 31. vsque ad 49. late differui de pœnis impositis Ecclesiasticis tam sæcularibus quam regularibus illud exercentes à Sanctissimo Papa Pio V. duabus constitutionibus summo zelo editis prima initio sui Pontificatus, & incipit cum primum edita sub die mens. ann. vbi sic habetur † si quis crimen nefandum contra naturam propter quod ira Dei venit in filios diffidentia perpetraverit curie seculari puniendus tradatur, etsi clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus simili pœna subiiciatur. Secunda Piana cõstit. Quæ

incipit. Horrendum scelus edita ann 1568. die 3. Septembr. ita habet, ut tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali, omniq̃ officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico presentis canonis auctoritate privamus, & addit postea, quod degradatus potestati seculari tradatur.

Circa quas constitutiones multa scitu digna in Resolutionibus prædictis ad notabam quæ ibi videri possunt, & aliqua hic prælibabo. Primum, † quod quamvis iure civili pœna vel ignis vel de capitationis iuxta veteriorum regnorum consuetudines semel sodomatizãs puniatur nec repetitio actus exigatur, at iure canonico exigatur, ut pœna ab ipso impositæ infligatur, requiritur exercitium huius criminis, quod, ut notabam contra Mirand. in Manuali tom. 1. quæst. 50. 3 art. 2. concl. 3. & 4. ex Marchin. & alius n. 348. & 349. denotat quod quis ex usu quodam hoc delictum frequet quare si ter vel quater perpetret in tempore dilatato, pœnas Pianas non incurrit. Nec potest ad trimeres remitti, sed ad summum recludi in carcere, vel monasterio strictissimo, vbi rasa corona, & habita monasticos communi expoliato, non vero eiciendo illum à Religione, pœnitentiam agat. cap. clerici de excessibus Prælatorum. Vnde S. Fructuosus Brachar. cap. 6. Regul. Monacho adolescentum, amore lasciuo confectatori in dixit sequentem pœnam. Publice verberetur, coronam capitis quam gestabat, amittat, decalvatusque turpiter opprobrio pateat, omniumque sputamentis oblitus non facie probra æque suspiciat. Hæc ibi fructuosa si exquerentur in Communitatibus Regularibus & forsitan magis quam si alia pœna corporalis inflingeretur.

Quare Regularis ille qui iuvenum etiam regularium confectator est, & insectator eos sollicitas ad infandum crimen, & quod in hac insectatione exercetur pluries, cum nihil sit communitati Religiosorum magis noxium nihil magis turpe etiam si ad opus ipsum non deuenit pœna trimerium puniendus est, existimo enim ad vitandũ hoc contagium perniciosissimum, quod hic affectus aut externo intentatus ita ut per conantem non stet, quin exqueretur pœna sit puniendus, etsi non ordinaria, tamen extraordinaria valde proxima ordinaria, ne si impunitus, ut par est hic intetatus affectus serpat contagium, & ansam præbeat similia patrandi, cum hic conatus exercitus qui exqueretur quantum est ex parte conantis similis sit sodomia executæ eandem habens malitiam, & exterior actus valde perniciosus, sitque gravissimum delictum pœna illi paulo minus ordinaria est commensuranda à iudice quod pluribus exemplis valde vtilibus ad rem præsentem confirmo.

Et quidem in atrocioribus delictis quale est sodomia conatum, & affectum externo actu exequi intentatum, ita ut per ipsum conantem non stet quin exequatur puniri debere res est indubitata † apud Iurisperitos ita Baldus, Romanus, Cynus, Glossa leg. 1. §. hac verba D. quod quisque iur. & leg. si quis non dicam rapere C. de Episcopis, & cleric. Etenim leges humanæ non secus censuerunt eum qui atrox delictum, durumque facinus moliri ausus fuit, quippe ad tam exitiale scelus animum induxit pænis affici oportere, ac si illud opere consummasset, quod in leuoris noxæ criminibus, ubi non est tanta sceleris magnitudo locū non tenet sicut in atrocibus, de quibus elegantissime Cicero in oratione pro Milone sic loquitur. † Nisi quia res perfecta non est, ideo puniendā non fuit quasi exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit re nō perfecta, sed tamen puniendum certe nihilominus. Hactenus Orator Magnus fatis vere. Igitur Iudex Regularis, ut huiusmodi iuuenum persecutores ad triremes damnet, & releget ad remigandum (quia rem mali exempli peragūt, argumento leg. si quis 33. D. ad leg. Cornel. de sicariis) non debet spectare, aut expectare, quod proximus actus ad sodomiam exequendam exerceatur, lat est si sollicitet, & in hac sollicitatione se exerceat, sollicitat enim ad rem, & delictum quod de facto, et si non de iure est suspectum de fide. Vnde de ipso cognoscit Sacrum inquisitionis officium estque in castella mixti fori, & in Lusitania solius inquisitionis priuatiue ad iudices Ecclesiasticos sollicitat ad peccatum, quod in communitatibus Religiosorum, in quibus reclusio in domo obseruatur, & iuuenibus, exitus à domo rigide prohibetur nihil damnosius, & nericulosius esse queit, serpit enim ut cancer, hoc enim crimen est de illorum classe de quibus alicubi sapienter dicit Couarru. Consideranda est eorum grauitas, & damnositas bono communi, ut sufficiat conatus deductus ad actum externum criminofum, ut pæna illi, vel ordinaria, vel valde illi proxima imponatur.

Quæ doctrina, quia valdè utilis est, ut mali saltem formidine pœnæ retrahantur à perpetratiōe, tam abominabilis delicti pluribus aliis est confirmanda, tum rationibus, tum exemplis, ut praxis obseruanda à Regularibus deducatur. Primò prælibandum, quod atrocitas criminis & delicti, tam ex parte obiecti dissonantis rationi, quam ex parte damni, quod bono communi & ciuilitati, tam Politicæ, quam Regulari, desumitur à posteriori ex pœna taxata à legibus, & est in vsu, ut à iudicibus exequatur, ut practicetur, vel à Deo est inflicta in hac vita, ut constat ex sacra scriptura, & quo

grauior est pœna, siue naturalis, siue ciuilis, aut modus, aut qualitas ipsius eo atrocitus dicitur delictum, & crimen. Ratio est quia † pœna proportionatur culpæ, & crimini, ergo quo atrocior pœna siue in re siue in modo eo atrocitus iudicatur à legislatore delictum. Hinc est quod Rex Catholicus legislator suæ Monarchiæ supremus iuridice interrogatus quæ, essent atrocita delicta catalogum ipsorum remittens, & tanquam legislator respondens, in eo ponit sodomiam, cui cum debeat pœna ignis atrocissimum est delictum, propter quod venit ira Dei in filios diffidentia, & igni tradidit Pentapolim, Sodomam, & Gomorrhā atque finitimas ciuitates, & infructiferas earum terras ignis reddit in pœnam delicti abominabilis, vnde Chrysofom. hom. 4. in epist. ad Roman. grauissime pronuntiauit sententiam decernens † quodcumque porro delictum nominaueris nullum huic peccato par dixeris, & August. lib. de adulter coniug. cap. relatus, cap. adulterij 32. quæst. 8. ait, adulterij malum vincit fornicationem, vincitur tamen ab incestu, peius enim est cum matre quam cum aliena vxore concubere, sed horum omnium est pessimum quod contra naturam fit. Patrum alia testimonia docte congeffit Farinacius de delictis carn. quæst. 148. à num. 5. Propter quæ audeo dicere quod inter peccata quæ ciuilitati alicuius communitatis, & bono ipsius opponuntur nullum perniciosius aut atrocitus committitur, quare qui in illo aut operis consummatione, aut ad illum proxima sollicitatione exercentur penitus sint auferendi de medio communitatis, ne illam contagio suo euertant, & talem conatum, & proximam sollicitationem puniendam, pœna valde proxima ordinariæ taxata pro ipso opere.

Ex quo tale formo argumentum † in delictis atrocioribus conatus ad illa proximus, & ad illa sollicitatio punitur pœna ordinaria, aut illi proxima si per conantem, & sollicitantem proxime nō stetit sceleris executio, ita tenent Couarru. clement. si furiosus p. 2. num. 7. ex leg. quisquis. C. ad leg. Iuliam. Baldus l. non ideo minus num. 16. C. de accusat. Glossa l. 1. §. hac autem verba, verb. putamus. D. quod quis iur. & hanc esse communem sententiam testantur, Felinus cap. 1. num. 1. de officio delegat. Boër. de seditios. septimo præsupposito num. 42. Igneus leg. 1. §. occisorum num. 41. D. ad Sylleiam, & alij quos refert, & sequitur Clarus Alexand. lib. 5. §. final. quæst. 92. versic. scias tamen, & in versic. scias etiam sic fatur. In omnem casum dispositio leg. si quis non dicam rapere de Episcop. & cleric. & similibus (vtest lex 1. tit. 21. lib. 3. recopil. ubi de peccato nefando id statuunt Reges Catholici ann. 1497.) quæ expresse puniunt solum conatum etiam non sequuto effectu, ut procedant quum deuentum est ad

ad actum proximum maleficio, & est communis opinio, ut dicit Grammat. consil. 36. num. 19. Quis autem, & quis dicatur proximos facere conatus, dicaturque deuenisse ad actum proximum ut in his delictis poena puniatur ordinaria, vel illi proxima, late Menochius de arbitrar. centuria 4. casu 360. in secundo principali.

- 12 Ego autem dico quod † in præfenti dubio ille Religiosus deuenit ad actum proximum huius delicti abominabilis, non ille qui verbis dumtaxat sollicitat, etiam si in hoc aliquoties exerceatur, sed qui verbis facta adhibuit, ut oscula, tactus impudicos, pollutiones, & similia, isti enim sunt masculorum concubitores, quos eiici ab Ecclesia vult Paulus..... sunt enim vitæ Religiosæ everfores, & inimici boni communis, male sentiunt de vitæ monasticæ perfectione de pœnis inferni, & diuina prouidentia, quam specialem habet erga puritatem religiosam legendi sunt Chrylostom. hom. 4. super cap. 1.
- 13 ad Rom. & D. Thom. lect. 7. & 8. Sed † Rupertus ibi ad rem satis bene loquitur agens de Sodomitis ex postulantibus à Sancto Loth. hospites iuuenes ad abusum contra naturam vallauerunt (inquit) domum à puero usque ad senem omnis populus simul, & dixerunt, educ viros huc, ut cognoscamus eos. Magna iniquitas, sed non taperunt in eam manus, id est, non usque ad effectum operum progressum est scelus. Iniquitas autem populi ciuitatis meæ quo usque progressa est cæperunt, &c. Quare ferum hoc hominum genus conantium in huiusmodi iniquitatem maximam de medio communitatum Deo emancipaturum prorsus eiiciendum, & extirpandum censeo, & poena proxima ordinariæ puniendum, ut sensili, & infami labore luant poenam pro delicto, quod esse aliorum poenam in hac vita, & quidem grauissimam, docet D. Thom. ubi supra.
- 14 Si enim † qui venenum dat etiam non sequuta morte fumentis, qui prodicionem sollicitat, aut Regis traditionem conatur, qui virginem honestam, aut monialem professam conatur rapere, etiam si de facto non rapiat eam corrupendo, aut stuprando poenam ordinariam meretur, ut tradunt Couarru. Clarus Alexand. & multi alij quo isti citant, quia conatus ad huiusmodi crimina valde euertunt ciuilitatem, & bonum commune politicum propter periculum damni, quod toti Reipubl. imminet, sed quantum damnum non solum immineat, sed etiam sequatur in communitatibus Religiosis per conatus res ipsa declarat, & quilibet considerare potest, nam ita perniciofa est iniquitas ita damnifica communitati ciuili ne dum Religiosa, ut eiusdem obiectum ita pestiferum, ut idem fere contagium influat in co-

natus proximos, quos vidimus sicut in opus ipsum consummatum, hoc enim sapienter, Catholice, & pie considerarunt Reges Catholici, Ferdinandus, & Elisabeth, leg. 1. cit.

Igitur † quantum ad præfens in hoc conatu ad actus istos proximos in tam atroci delicto, ut illi detur poena vel ordinaria, aut proxima consideranda est grauitas, & atrocitas Theologica, & hæc eiusdem rationis est ac in actu consummato quantum ad formalem malitiam, & offensam Dei, ut est certum inter Theologos, quantum vero ad malitiam extrinsecam, quam addit actus exteriori interiori paulo minor est in his conatibus, ad actus proximos in quibus non stat per conantem, quod opus infame consummetur, siquidem actus isti proximi inducunt, quod operans totum conatum voluntatis, & intentionem applicat, ut opus ipsum consummetur, sicut (ut aiebat Rupertus) fecerunt Sodomitæ in domo S. Loth. quare ex hac parte cum totum, quod in se est fecerit conans, ut opus exequeretur actibus externis, eadem poena est puniendus, ac opus consummans, sicut de illo qui propinauit venenum, aduertit sapienter Couarr. ubi supra. num. 11. versic. verum, quamuis medicamentis, vel alia via impedita sit mors, ut habet leg. 3. D. ad leg. Corn. de sicar. etiam l. Hispan. 8. tit. 8. p. 7. & leg. 50. tit. vltim. lib. 8. ordinament. de illo qui mittit sagittam aut soluit sclopetum, ut occidat, etiam si mors non sequatur.

Quare † de facto anno 1619. Neapoli in quodam conuentu Religiosus laicus qui officium coqui exercebat, & venenum in cæna parata communitati iniecit, ut quendam sibi inimicum occideret, hac non sequuta poena mortis fuit damnatus, sed Summus Pontifex Paulus V. eam temperauit ad mortem ciuilem triremium ad decennium in qua vitam finiuit præfatus venenator. Rursus † consideranda est grauitas ciuilis, politica, & popularis. Quælibet Communitas, quilibet populus Catholicus, aut politico-religiosa Respublica atrocissimum reputat, quod quis iuuenem appetitor, insectator, sollicitator, conans in actum tam scdum, ut vel demones horreant, & quem Deus ita seuerè puniuit in hac vita igne sulfureo, & in alia æterno supplicio, ex hac ergo atrocitate ciuili (quæ maior est quam si quis cum matre sua rem haberet, & ita magna est iniquitas ut de illa dicat Apostol. (quod tale non est audiendum inter gentes, bene etiam infertur, quod talis conatus actibus præfatis dignus est poena ordinaria, vel proxima.

Si enim huiusmodi conatus poena grauissima, & exemplari non puniuntur, facillime conatores huiusmodi vltra progrediuntur,

cur, nunquam enim huiusmodi abominabilis appetitus satiatur, nisi pœna graui cohibeatur, suo enim pondere, nisi emendetur, & corrigatur, in aliud trahat, & vsque ad bestialitatem procedit rarissimum vitiũ & pessimum de quo accusauit Ioseph fratres suos, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 1. 2. *ad* 4. vnde sodomiticus conatus ad externum factus repetitus, & frequentatus habitum generat insolentem, qui euerti nequit nisi formidine pœnæ grauissimæ eiusque passione, & dolore, sine qua vix emundatur in Religione huiusmodi concubitores, & conatores, quare existimo, quod tanquam pestiferum hominum genus si in huiusmodi conatibus exerceantur debent ad triremes damnari, sed si opus ipsum non sit executum produci non debet pœna vsque ad decennium; sed breuior ac mitior, sed in triremibus debet esse, quare quantum ad tempus limitari debet dumtaxat, non quantum ad pœnæ qualitatem.

SECTIO IV.

De monasterio falso, vbi aliqua de moneta vsu, & institutione, adducitur in fine opusculum de hac materia Nicolaj Oresmij.

S V M M A R I V M.

1. Circa moneta alterationem plura delicta committuntur.
2. A Summo Pontifice alterationis moneta crimen impunitum non remanere est determinatum, & n. 3.
4. Ad quid inuenta, & instituta sit moneta.
5. Portiones moneta debent fieri de certa materia, & determinati ponderis.
6. An in monetis non sit duplex bonitas.
7. Pecunia, & numisma est ex hominum placito inuentum, & n. 8.
9. An pecunia sit quadam mensura mensurans propter quod denarius diutius in suo valore manet.

SVb hoc titulo † plura delicta circa monetæ alterationem committuntur, quæ enumerat Vrbanus VIII. in Bulla edita anno 1627. sub die 15. Nouembr. ibi. *Qui aureas, vel argenteas monetas, tondere fabricare, colare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut expendere presumpserit præiua degradatione tradere debere puniendum curiæ seculari pecunias vero, vt sic alteratas scienter detinentibus siue de loco ad locum transferentibus, materiam, instrumenta, siue opem ad præmissa præstantibus, pœnam triremium per decennium imponendam esse, &c.* Quibus comprehendit fere omnia crimina, quæ circa monetæ alterationem

occurrere possunt, notant vero Diana p. 2. *tract.* 17. *Resol.* 30. Lezana in *summ. verb. monetarij num.* 3. & ex ipsis Pellizarius *tom.* 2. *manual. tract.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 15. *num.* 194. Quod hæc bulla quantum ad pœnas non obligat nisi in Italia, non vero extra, imo neque in insulis adiacentibus Sicilia, Corsica Sardinia. In Italia vero in ciuitatibus Romano Pontifici in temporalibus subditis horum criminum cognitio pertinet ad legatos à latere, & prolegatos eas gubernantes, in ciuitatibus vero aliis Principibus subditis ad locorum ordinarios priuatiue ad omnes alios (si rei sint Religiosi) etiam Superiores Regulares.

Bene quidem, & prudenter politice sic determinatum est † à Summo Ecclesiæ Pastore, vt crimen ita perniciosum, & commercij humani euersiuum præcludatur, & impunitum, vt par est, non remaneat, conformat enim se sua lege Ecclesiastica (Regulares comprehendens, vtpote illorum supremus, & independens Superior) legibus ciuilibus Imperij, Regnorum, & Republicarum absolutarum à nullo alio dependentium imo, & iuri gentium, iuxta quod nulli nisi Principi absoluto, & independenti licet monetam cudere, etiam in puro auro, argento, aut quolibet alio metallo, cuius rationem egregie ex Arist. *lib.* 5. *Ethic. cap.* 5. & *lib.* 1. *Politico. cap.* 6. Nicolaus Oresmius Episcopus Lexiouieſis qui clarnit ann. 1378. Caroli V. Francorum Regis communiter dicti Sapientis, † prudentissimus Magister Pedagogus in libro illo prudentissimo de mutatione monetarum qui habetur *tom.* 10. *Parisiens.* & 14. *Agrippinae Biblioth. veterũ Patrum cap.* 5. antiquitus fuit ordinatum propter deceptionem cauendam, quod non licet cuilibet facere monetam, aut homini figuram aut imaginem imprimere in suo proprio argento vel auro, sed quod moneta vel characteris impressio fieret per personam publicam, seu per plures à communitate ad hoc deputatas, quia † moneta de natura sua instituta est, & inuenta pro bono communitatis, & quoniam Princeps est persona magis publica, & maioris authoritatis conueniens est quod ipse pro communitate faciat fabricare monetam & eam congrua impressione signare debet etiam prohiberi, ne aliquis aut extraneus Princeps fabricaret monetam similem in figura, & minoris valoris nec aliquis potest de hoc habere priuilegium quia falsitas est, & causa iuste bellandi contra talem extraneum.

Cæterum hoc quod sibi Principes reseruarunt priuatiue ad omnes alios sui Principatus, Imperialis, Regalis, & absoluti non est mere ad libitum, vt in quacunque re, aut metallo possint monetam fabricare, & eam congruo sigillo, aut imagine superscribere, sed materia monetæ debet habere intrinsecum

cum valorem, cui proportionetur valor monetarius, si enim in materia deficit primus valor fallaciter imprimitur in numismate imago Regia & superscriptio. Per capientes enim (ait Oresmius cap. 4.) illius temporis prudenter prouisum est, quod \dagger portiones monetae fierent de certa materia, & determinati ponderis, & quod in ea imprimeretur figura, quae cunctis notior significaret qualitatem materiae numismatis, & ponderis veritatem, ut amota suspitione possit valor monetae sine labore cognosci. Quod autem impressio talis instituta sit, nuntius & signum veritatis materiae, & ponderis nobis ostendunt nomina monetarum cognoscibilium, & impressionibus & figuris, quod optimè docuistis, lib. 1. Polit. cap. 6.

Igitur, ut bene Couarru. tract. de veteribus numismatibus cap. 7. num. 6. contra Carolum Molinæum de contractibus q. 93. afferentem \dagger in monetis non esse duplicem bonitatem vnam intrinsecam, extrinsecam aliam, putat enim, quod bonitas intrinseca pecuniae est publica illa aestimatio, aut valor imposititiuus, quæ à Principe supremo applicitum habet pro communi vtilitate. Et enim numisma & pecunia adinuenta est, ex hominum beneplacito tanquam instrumentum mercaturæ ad permutandas diuitias naturales. Vnde in vsum publicum moneta est adinuenta, non secus ac scriptura, ut homines in commercio se communicarent, quare moneta & pecunia nullum alium habet valorem intrinsecum, nisi quem Princeps illi imponit, quod expressit Arist. cap. 6. cit. his verbis afferens. Nummum lege consistere, ac suam vim retinere non natura. Siquidem ipse Princeps, ipsa Respublica, denique ipsa lex nummum constituit, ac ita numisma dicitur idest lege, à qua pretium, & valorem certum accipit, cuiusque libera potestas nummos semel percussos inutiles efficere, & reddere. hactenus ille, qui sententiam Molinæam clarè videtur docere.

Sed fallitur suo iudicio Carolus, nec materiam pecuniariam & numismatum est comprehensus, pecunia enim \dagger & numisma est hominum ex placito inuentum, ut sit mensura in permutationibus necessariis ad vitam, & communicationem, in commerciis cunctarum gentium interesse, loco indigentiae, quæ secundum rei veritatem mensura est talis commercij & communicationis, quod egregiè enucleat D. Thom. lib. 1. Eth. lect. 9. ex Arist. ibi sic fans. Assignat rationem predictæ commensurationis, quæ fit per numisma & dicit, quod ideo possunt omnia adæquari, quia omnia possunt commensurari per aliquid vnum, ut dictum est, hoc autem vnum, quod omnia mensurat secundum rei veritatem est indigentia, quæ continet omnia commutabilia in quantum omnia referuntur ad humanam indigentiam, nō

enim appretiatur secundum dignitatē naturæ ipsorum alioquin vnus Mus, quod est animal sensibile maioris pretij esset, quam vna margarita, quæ est res inanimata, sed rebus pretia imponuntur secundū, quod homines indigent eis ad suum vsum, & huius signū est, quod si homines in nullo indigerent nulla esset commutatio, vel si non similiter indigerent, idest non his rebus non esset eadem commutatio, quia non darent, id quod habent pro quo nō indigerent, & quod secundū rei veritatē indigentia omnia mensuret, manifestū est per hoc, quod numisma secundū compositionē idest secundum conuentionē quandā inter homines propter cōmutationē necessitas idest rerū necessariarū, est enim conditū inter homines, quod afferenti denarium, id quod indiget, & inde est, quod denarius vocatur numisma, nō mos enim lex est, quia scilicet denarius non est mensura per naturam, sed nōmo, idest à lege, est enim in potestate nostrā transmutare denarios & reddere eos inutiles.

Et Litt. H. & I. dicit ergo Arist. primo, quod \dagger pecunia est quadā mensura mensurās propter, quod denarius diutius manet in suo valore, oportet omnia appretiari denarijs, per hunc enim modū poterit esse cōmutatio rerū & per consequens cōmunicatio inter homines. Numisma quidē adæquat res cōmutabiles sicut quadā mensura faciēs res cōmensuratas. Manifestat autē hæc, quæ dicta sūt per hoc, quod commutatio esse nō potest, si non sit commutatio, quæ non erat si non constituitur equalitas in rebus, quæ non erit si non sit commensuratio, & dicit quod res tantum differentes impossibile est commensurari secundum veritatem, idest, secundum proprietatem ipsarum rerum, sed per comparisonem ad indigentiam hominum sufficienter possunt contineri sub vna mensura. Vnde oportet esse vnū aliquid quo huiusmodi omnia mensuretur, quod quidem non mensurat ex sui natura, sed quia positum est inter homines. Vnde & vocatur numisma, quod quidem omnia facit commensurata in quantum omnia commensuruntur numismate. Hæc D. Thom. enucleans veritatem politicam ab Ar. lumine naturali cognitam, quam latissimè prosequitur magistraliter lib. 2. de Regim. Principum cap. 7.

SVBDIGGRES. I.

Utrum in numismate debeat esse valor intrinsecus?

SUMMARIUM.

1. Pecunia & numisma non habet alium valorem nisi illum quem Rex, aut Respub. illi tribuit.
2. A quibus dimanet vis ponderis & stræteræ.
3. Aristidæ sensus adducitur, & n. 4.

5. An si attendatur in pecunia, & numismate ratio mensuræ, non solum respectu ciuium alicuius Regni, Prouinciæ, &c. sed respectu aliarum nationum insit numismate valor intrinsecus.
6. Omnia possunt mensurari per aliquod unum ex S. Thom.
7. Valor rei intrinsecus, an non sit perfectio intrinseca ipsius.
8. Negotiatio continet commerciam gentium inter sese.
9. An nullus sit valor intrinsecus cui correspondeat pretium, nisi in ordine ad indigentiam rerum.

EX qua doctrina verissima deducuntur aliqua corollaria valde vtilia ad extricandas Principum conscientias, quæ ex suorum consiliis valde aliquando turbantur, quia rem nõ diggerunt à principiis suis, quæ etiam minus attendentes Theologi consultores, aut nimis sunt scrupulosi, aut nimis laxi. Primum corollarium sit iudicium de opinione Molinæ. Si enim loquamur de numismate, & pecunia quatenus est instrumentum in commutationibus & mensura, quæ adæquat & commensurat res commutabiles, quibus homines indigent ad vitam siue indigentia necessaria, honesta, vtili, aut delectabili (neque enim solum commutamus res quibus necessariò indigemus, vt cibo, potu, & similibus, sed etiam quibus indigemus aliquid vtile, aut delectabile) homines inquam eiusdem Reip. communitatis, aut Regni, certum est, quod † pecunia, & numisma non habet alium valorem, quam illum, quem Rex, Reipublica, aut communitas illi tribuit, & per accidens se habet materia numismatis, quæcunque vlla sit, vilis, aut pretiosæ in hominum æstimatione, & gentium pretio, ita iudicata, habet enim se hoc modo pecunia, sicut rerum pondera, stateræ, & vlna, quæ talia sunt, qualia à communitate, & Principe taxantur, & illis omnino accidentale est, quod fiant ex materia pretiosa, aut vili, quod pili, vel pluris iure gentium æstimetur: quia † res ponderis & stateræ non dimanat à pretiositate materiæ, sed ab autoritate publica, vt res in commutationibus commensurentur, quare sola publica autoritas pondus, & statera facit, ita est numisma, quod inuentum est, vt mensura commutationem inter commutantes seruetur æqualitas passi, & contra passi inter eiusdem communitatis sub eodem regimine, huic autem publicæ mensuræ accidit metallis pretiositas, aut vtilitas & solum exigit publicam designationem, qua ablata, & numisma perit, & ratio mensuræ desinit esse, non enim est per naturam mensura, sed à lege, & sic est in potestate

nostra transmutare denarios reddere inuiles, l. eleganter, §. qui reprobos. ff. de pignor. act. l. Iulian. §. si quis. ff. de exhibend.

Quod eleganter † Aristides Orat. 2. Platonica his verbis expressit. Et quamuis non in auro nec in argento merces, sed in alia re cernatur, non tamen alia est ratio. Etenim Rerump. formas credo sequuntur stipendia, nam neque Byzantini cum ferreo utantur numismate Græcos merito videre possunt, aut stipendium se non accipere, putare, quod nec aurum neque argentum suscipiant, nec Carthaginenses qui coriaceo, nisi etiam qui argentum acceperint, quod aurum non habebant, stipendium se negabunt accepisse, sed hæc nemo concesserit, opinor. Nam nec omnes eadem sumunt alimenta, cum tamen omnibus sit iis opus, similiter & hic non quæ sit merces, sed an mercedem dixeris, quaritur alioqui, & Eunium dicemus gratis misisse Græcis vinum quod ei non pecuniam numerarint, sed alij es, alij candentia ferra, &c. Quibus verbis Philosophus iste satis profunde iuxta Platonis, & Ar. politicam, quod ad rationem mercedis, & numismatis per accidens se habet materia, siue mercedis, siue numismatis, fat est si stipendia publica illis soluantur, fiantque rerum, quibus indigemus commutationes, vnde alicubi fructus terræ minutus habetur pro moneta minuta in commutationibus, alicubi massa ænea vnius vnciæ, ibidem tantum valet, ac vna vncia argenti alicubi antiquitus fuit moneta ex corio alicubi ex ferro exclusis auro, & argento in quibus communitatibus totus valor monetæ non à materia, sed à potestate publica, & à lege dimanabat adæquate.

Si vero † attendatur in pecunia, & numismate, ratio mensuræ non solum respectu ciuium alicuius Regni, Prouinciæ, Reipublicæ aut communitatis absolutæ, & independentes, sed etiam respectu aliarum nationum, cum quibus possumus commerciarum, ad eas res habendas, quibus indigemus siue necessario, vtiliter, honeste, aut delectabiliter, inest in numismate valor, qui communiter, & vere dicitur intrinsecus, & quidem intrinsecus dicitur, quia iure gentium, quæ politico reguntur inuariabilis est, nec dependet à *vóuo*, id est lege, nec est in potestate alicuius principis illum immutare, aut inutilem reddere, sicut potest valorem extrinsecus aduenientem. Neque enim Princeps etiam Imperator potest euertere, aut derogare sua lege ea, quæ sunt de iure gentium. *Instit. lib. 1. tit. 3. §. ius autem ciuile leg. ex hoc iure D. de institut. & iure*, vbi omnes.

Vt autem valor iste rectius percipiatur (ex eius enim recta cognitione plura, quæ confuse tractantur, elucescunt) repeto verba Diui Thomæ aliqua, ex his quæ supra addux

adduxi. † omnia (inquit) possunt mensurari per aliquod vnum, hoc autem vnum quod omnia mensurat secundum rei veritatem est indigentia, quæ continet omnia commutabilia in quantum omnia referuntur ad humanam indigentiam, non enim appetiuntur secundum dignitatem naturæ ipsorum, alioquin vnus mus quod est animal sensibile maioris pretij esset, quam vna margarita quæ est res inanimata, sed rebus pretia imponuntur secundum quod homines indigent eis ad suum vsu & c. Ex quibus luguet quod

7 † valor rei intrinsecus non est perfectio intrinseca ipsius, aut natura substantialis condita ab authore naturæ in tali complemento & actualitate, quæ est absoluta perfectio à quocunque extrinseco independens, aliàs quodlibet minimum animal, aut planta maioris esset valoris, quam aurum, obrizum, adamas, margarita ingens, & omnis lapis pretiosus, quod esset ridiculum dicere absolum, & temerarium, sed valor intrinsecus est res ipsa, quatenus ea omnes gentes indigent in ordine ad commercium in quo res sibi necessarias negotiatione conquirunt, legendi sunt Plin. lib. 18. Hist. cap. 3. Leonardus de portis lib. de sextario. Petrus Greg. l. 36. syntagmat. cap. 2. n. 6.

8 Negotiatio † continet commercium gentium inter se se de iure gentium est vt gens quæ in vno abundat id deferat ad aliam indigentem, & sic dicitur commensuratio inter res quæ commutantur inter diuersas gentes, cumque inter illas non sit commune signatum numisma, & denarius, quia sub diuerso Principe, & politia viuunt. Ius gentium ipsum introduxit valorẽ aliquibus metallis, vt ipsorum pondus publicum mensura sit in commerciis, & commutationibus, hic autem valor apud gentes politice viuentes iure ipsarum gentium introductus, & à quolibet particulari Principe penitus immutabilis, quamuis magis aut minus possit minui, aut augeri propter abundantiam vel inopiam, hic inquam valor intrinsecus dicitur sumiturque in ordine ad indigentiam generis humani, quam incurrit post peccatum, & in illius pœnam, etenim in statu naturæ integræ, & innocentia cum nulla esset indigentia, nulla commutatio, nullum numisma ibi reperiretur, sed quilibet absque auro, & argento vllaue commutatione haberet vinum, & lac, & omnia sibi necessaria ad vitam, quod secus esset in statu puræ naturæ, in qua necessaria erat commutatio, & commutationum mensura quæ est numisma, sicut & ibi esset appetituum pugna.

9 Igitur † nullus est intrinsecus valor cui correspondeat pretium nisi in ordine ad indigentiam rerum, quæ est mensura secundum rei veritatem commutationum, quare quantum crescit indigentia tanto augetur, & va-

Tom. II.

lor, & pretium, cumque iure gentium argentum, & aurum sint in pretio, & æstimatione omnes gentes illo indigent, vt in pondere publico (quod denotat signum regium) vel etiam non sit sigillatum imagine Principis, aut superscriptione, mensura est commutationum ratione valoris intrinseci qui desumitur, vt dixi in ordine ad indigentiam rerum, quam homines habent in diuersis regionis & prouinciis.

SVBDIGGRES. II.

Quaratione lucrum quod Princeps habet ex moneta alteratione sit turpe, aut honestum.

S V M M A R I V M.

1. An lucrum, & emolumentum quod Princeps acquirit ex moneta mutatione sit iniustum, & n. 2.
3. Quæ mutationes monetarum tam malæ sint quod de naturæ sua non sunt aliquatenus permittenda.
4. Ratio difficultatis enodatur, & numero 7. & 8.
5. Moneta falsa facta ab aliquo particulari non impunè expendantur, sed statim ac innotescunt precluduntur, & comprehensus fabricator variè punitur, & n. 6.
9. Superscriptio monetae, & figura impressa auctoritate principis est nuntius, & signum veritatis materia, & ponderis, & n. 10. & 11.
12. Oresmij sententia propalatur, & numero 16.
13. Regis est & absoluti principis altum dominium dum mutat monetam.
14. An princeps, siue Rex, siue imperator nequeat immutare proportionem, & habitudinem quam habet metallum monetae pretiosus, ad aliud minus preciosum, & n. 15.

Corollarium secundum ex doctrina tradita in corollario anteriori colligitur ratio eorum, quæ dicit Nicolaus Oresmius, fere in toto opusculo, & maxime cap. 15. 16. & 17. & 18. vbi dicit quod † lucrum, & emolumentum, quod Princeps acquirit ex monetae mutatione est iniustum, quia omnis mutatio monetae propter quam in rarissimis accipit simpliciter inuoluntarie pecuniam subditorum, quod prohibet cursum prioris monetae melioris, forte & quam quilibet plus vellet habere, quam aliam, deinde prater necessitatem absque utilitate, quæ ex hoc posset venire subditis, ipse reddit eis pecuniam minus bonam, & si faciat meliorem, quam antea, hoc tamen est, vt deterioreretur in posterum, & tribuat eis minus æquiualeter, de bona, quam receperat de alia, & qualitercunque sit ipse retinet

rinet perfecte partem pro se, in hoc igitur quod ipse supra pecuniam recipit incrementum contra, & præter naturalem ipsius usum, ipsa acquisitio par est usura, & peior quam usura, eo quod minus voluntaria, vel magis contra voluntatem subditorum, & absque hoc quod possit eis proficere, & præter necessitatem penitus, & quoniam lucrum fænerationis non tantum excedit nec ita præiudicabile generaliter multis, sicut istud quod contra, & supra totam communitatem impositum non minus tyrannice, quam dolosè, ita ut sit mihi dubium an potius debeat dici violenta prædatio vel exactio fraudulenta.

- 2 Ex quibus colligit cap. 16. Quod, † etsi aliquotiens eueniat, ut pro scandalo vitando permittantur in communitate aliqua inhonesti, & mala sicut lupanaria publica, aliquando etiam pro aliqua necessitate, vel opportunitate permittitur aliqua negotiatio vilis sicut est ars camporis, vel etiam praua sicut est usura, sed de tali mutatione monetæ pro lucro accipiendo non apparet aliqua causa mundi, quare tantum lucrum debeat, aut possit admitti quoniam per istud non vitatur scandalum, sed potius generatur, & multa inconuenientia inde sequuntur. Nec est aliqua necessitas siue opportunitas hoc faciendi, nec potest Reipublica expedire, cuius rei manifestum signum est, quod mutationes huiusmodi sunt nouiter adinuenta. Neque enim sic factum est in Ciuitatibus, aut Regnis olim prospere gubernatis, neque unquam reperi historiam quæ de hoc faceret mentionem hoc excepto, quod in quadam Epistola Cassiodori scripta nomine Theodorici Regis Italia, vna parua mutatio in pondere facta durissime reprehenditur, & multum efficaciter reprobatur, quam quidem efficacius fecerat pro quibusdam stipendiis persoluendis, vnde prædictus Rex Boëtio de hoc scribens inter cetera dicit. Quapropter prudèria vestra lectionibus erudita, dogmatis scelestam falsitatem à consortio veritatis eiciat, ne cui sit appetibile de illa integritate subducere, & quibusdam interpositis, rursus (inquit) mutilari certe non debet quod laborantibus datur, sed à quo actus fidelis exigitur compensatio minuta præstetur, &c. Si vero Itali seu Romani tales mutationes finaliter fecerunt, sicut videtur de quadam praua monetâ veteri, quæ quandoque reperitur in campis, hoc fuit forte vna de causis, quare eorum nobile dominium (notent hoc consiliari Principum) deuenit ad nihilum. Sic igitur patet, quod † istæ mutationes tam malæ sunt quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ, quam verissimam doctrinam à cap. 17. & deinceps ex manifestis absurdis, & inconuenientibus, quæ necessario inferuntur ex mutationibus quibuscunque monetarum, quarumcunque sequuntur euidenter confirmat, vt legenti sincere constabit.

Sed † duas vel tres rationes premo quæ fundantur in doctrina D. Th. & *ibi supra*, primò quia si Principi incumbit filios monetarios (idest eam falsificantes, decurtantes, colantes, & miscentes) condemnare, quomodo potest non satis erubescere, si reperitur in eo quod in alio debet morte turpissima punire, quæ ratio iure, & dictamine naturæ conuincit, quia cum maiori damno Reipublicæ Princeps aut minori pondere cudit monetam, aut antiquam decurtat, colare facit, aut mixturam inducit volens quod moneta in valore maneat immutata, quam si aliquis particularis hæc faceret, cuius ratio est euidens, quia † monetæ falsæ factæ ab aliquo particulari non impune expenduntur, sed statim innotescunt præcluduntur, & exterminantur, & si fabricator comprehenditur varie punitur, vt infra dicam, & raro, diu perdurant falsæ monetæ, at dum Rex eas perficit impune currunt, & suo cursu regnum, & principatum deuant, & destruunt, & tanquam singularis ferus depastat, & veluti ignis comburens montes, & sylvas in cineres conuertit. Ciuitates, & commercium exterorum euertit, & conciuum œconomicam gubernationem conturbat, familias ad nihilum redigit, pauperum miseriam auget, cum omnium rerum pretia crescant, quare dubio procul, sicut particularis homo dum has falsitates in monetis facit peccat grauissime, & ad restitutionem eo modo quo possit tenetur. Ita & Princeps, qui iure gentium obligatur sicut quilibet alius ad non falsificandam monetam, hoc autem faciens aufert à subditis contra eorum voluntates, & ipsis inuitis, quod suum est, subditi enim habent suarum rerum, & pecuniarum dominium nõ solum quantum ad valorem extrinsecum à lege, & Principe dimanantem, sed etiam quantum ad valorem intrinsecum, qui vt vidimus est de iure gentium, & immutabilis ab aliquo Principe particulari in pondere, & qualitate metalli, quare si pondus minuit, aut qualitatem alterat contra iustitiam ex iure gentium facit, quare Princeps, vbi non est necessitas vtendi dominio alto monetam nequit alterare.

Secunda ratio † sumitur ex Cassiodori Epistola rescripta Boëtio, nomine Regis Theodorici, cuius erat Secretarius. Cum enim moneta in pondere esset diminuta pro soluendis stipendiis, vt dicit prudentissim. vir. Mutilari certe non debet, quod laborantibus datur, sed à quo actus fidelis exigitur compensatio minuta præstetur. Quæ ratio profundissima est, cuius profunditatem si penetrant consiliarij Regij non ita facile declararent propter quamcunque regni necessitatem, cui alijs viis succurri potest in Monetarum altera

tarum alterationem ex qua iusta stipendia laborantibus auferuntur, ad monetarum autem mutationem cum moneta sit commutationum mensura, rerum quibus indigemus, alterantur pretia, vt sic sit commensuratio rerum, & mensuræ in qua commensuratione, & proportione consistit nationum omnium commercium, vnde cum stipendia publica taxata lege, pragmaticis, & statutis municipalibus, tam in seruitiis officiorum Reipubl. quam beneficiorum Ecclesiasticorum, quam in eleemosynis taxatis pro eorundem ministrorum congrua sustentatione, quam in arte campforia, & similibus, hæc inquam stipendia maneat immutata, tota congrua sustentatio corrumpitur, & rectum regimen politicum, & economicum auferitur, nec potest ab his ministris, & sacerdotibus actus fidelis exigi, cum compensatio minuta præstetur.

8 Tertia ratio † sumitur ex Oresmio *cap. 4.* sic aiente. *Cum primum cepissent homines mercari siue comparare diuitias mediante moneta, non dum erat in ea aliqua impressio, vel imago, sed vna portio argenti, vel æris dabatur pro potu, vel cibo, quæ quidem portio mensurabatur ad pondus, & quoniam tædiosum erat ita crebro ad trutinam recurrere, nec bene poterat pecunia mercatoris equiparari per pondus. Cum hoc etiam, venditor, vt in pluribus non poterat cognoscere metalli substantiam, siue modum mixtionis ideo per sapientes illius temporis prudenter prouisum est quod portiones monete fierent de certa materia, & determinati ponderis, & quod in eis imprimeretur figura quæ cunctis notior significaret qualitatem materiae, numismatis, & ponderis veritatem, vt amota suspitione posset valor monete, sine labore cognosci. Quod vero impressio talis sit nuntius, & signum veritatis materiae, & ponderis nobis ostendunt antiqua nomina monetarum cognoscibilem, ex impressionibus, & figuris, & c.*

9 Ex quibus tale elicio fortissimum argumentum, quia † superscriptio, & figura impressa autoritate Principis est nuntius, & signum veritatis materiae, & ponderis, quem princeps emittit ad omnes gentes cum quibus commerciatur, & quarum diuitiis naturalibus indiget, ergo materia, & pondus immutari nequeunt à Principe sua constitutione mutante veritatem materiae, aut immutante ponderis quantitatem, consequentia est euidens, quia tale numisma esset nuntius mendax, & signum falsum contra fidelitatem, quam tenetur seruare iure gentium, gentibus commerciantibus & distrahentibus diuitias suas naturales pro
10 artificialibus fallacibus in veritate, & pondere, quare à commercio, quod introductum est iure gentium extranei se retraherent,

& subditi perirent cum non possent habere ea quibus indigent ex defectu veritatis, & ponderis monete, quam vix extranei vellent recipere cum pondus, & veritas materiae iure gentium requisitæ non adsint, quare sicut si aliquis particularis monetam fabricet sine veritate materiae, & pondere requisito falsam monetam cudet, & tanquam monetarius falsus crimine læsæ Maiestatis incurret, ita Princeps, qui sine requisito pondere valoris intrinseci, & veritate materiae facit monetam illam superscribens, & imaginem suam, aut sigillum imprimit falsus monetarius est, & crimen læsi iuris gentium incurrit grauissimum, quia in hoc non procedit vtens dominio alto, sed vt particularis persona.

Quando enim † vtitur alto dominio, & 11 absoluta Principis potestate cuius potestatis vsus tunc solum est licitus, quum si non fiat in bonum commune, aut læditur, aut periclitatur, vnde *tom. 5. de Vero Martyrio fidei in disputat. de torment. & questionibus inter Christianos Memb. 4. §. 1.* resigillationem monete æneæ, quam fecit Rex noster Catholicus Philippus I V. anno 1641. (quam postea satisfacta necessitate vrgentissima ad suum valorem intrinsecum reduxit) illam enim fecit, non tanquam moneta vniuersalis, & commercialis in toto Orbe, sed tanquam exactionem, vt regnum, & vassallos valde periclitantes ex circumuallatione inimicorum tueretur, vt ibi monstravi in hac autem necessitate licitam esse monete maxime si Prouincialis sit, & non totius Monarchiæ, & orbis mihi indubitatum est, & docet † ipse Oresmius monetæ mutationis
12 inimicus *cap. 15.* vbi stante necessitate boni publici potest Princeps reddere subditis monetam minus bonam, quia cum hic interueniat interesse boni publici, etsi subditi quatenus particulares personæ inuiti sint in acceptione monete minus bonæ, & deficientis in valore intrinsecum, tamen quatenus sunt membra Reipublicæ volūtariissime eam accipiunt, sicut aqua ponderans deorsum ob bonum vniuersi sursum detinetur ne detur vacuum, tanquam pars vniuersi ibique naturalissime sistit, & sistet in æternum, vnde in hoc casu ad nullam tenetur restitutionem.

Quare † Regis est, & Principis absoluti 13 altum dominium quo vtitur dum mutat monetam, quum est necessarium hoc ad boni communis tutelam, & defensionem, vnde si necessitas ista succurritur alteratione monete æneæ non debet fieri in argentea, & si in argentea, non debet fieri in aurea, nec istæ duæ deturpari debent, neque hoc est in Principis voluntate alterare, quia subditus est iuri gentium, quare vt egregie

- 14 Oresmius *cap. 10.* dicit, quod † Princeps, siue Rex sit, siue Imperator, nequit immutare proportionem & habitudinem, quam habet metallum monetæ pretiosius, ad aliud minus pretiosum v.g. si vna vncia auri valeat 16. argenti, in valore intrinseco, nequit facere, quod hæc habitudo, & proportio auri ad argentum, quæ fundatur in valore intrinseco auri maiori & pretiosiore, quam argenti, quod Princeps voluntariè nequit transmutare, nec iure variare, nisi propter causã realem, & variationem ex parte materiæ, quæ causa raro contigit, vt si forsam minus inueniretur de auro quam antea, tunc enim oporteret, quod esset carius in proportione ad argentum, & quod mutaretur in pretio & valore respectu sui Regni, & commercij ciuilibus, inter suos subditos, si vero parum, aut nihil sit mutatum in re, tunc hoc nullo modo posset licere Principi, si enim ad libitum hoc posset Princeps facere facillimè corradere omnem substantiam subditorum in
- 15 iusta exactione & dura tyrannide, dixi ad libitum, nam si subsit ratio boni communis tuendi in vrgentissima necessitate, tunc nec tyrannis esset, nec iniusta exactio, vt de moneta aenea diximus, non enim immutat valorem intrinsecum, quem iure gentium habet metallum, nec pretiositatem suam intrinsecam, sed eam extrinsecè minuit in massa, aut auget, vt postea carius vendat in numismate suis subditis, (nam respectu exteriorum, hoc nequit facere, quia respectu horum semper aurum retinet suum pretiũ, & valorem intrinsecum,) quæ alteratio iustificatur, quia ita exigit necessitas boni communis tuendi, & cõseruandi. Pecunia enim non est Principis, sed communitatis, cui primo competit iudicare, an alteratio sit expediens & necessaria, quod his verbis conclusit Oresmius. † *Et ne Princeps possit malitiõse fingere causam mutationis proportionis monetarum, ipsi soli communitati spectat discernere, si & quando, & qualiter, & vsquequo immutãda est huiusmodi proportio, nec Princeps debet hoc sibi quomodolibet usurpare.* Ita ille, quod ego intelligo, nisi necessitas defensionis Regni, ita vrgeat, quod non sit locus cõgregandi comitia, tunc enim ex consilio virorum timorata conscientia, (qui polleat sapientia, zelo, & noticia status Regni, & Regiæ indigentia, quæ notissima debet esse, & quales debeant esse huiusmodi consiliarij & consultores, quos Rex in his negotiis arduis debeat asciscere, rectè & prudenter determinat Archiepiscopus Hispalensis *in sua catena Morali lib. 1. q. 8. art. 21. n. 7.*) hæc monetarum transmutatio fieri potest tantum, & non amplius quantum communis necessitas exigit.

SVBDIGGRES. III.

Vtrum ad mutationem monetæ, sufficiat opinio probabilis?

S V M M A R I V M.

1. *An ad mutationem monetæ sufficiat opinio probabilis.*
2. *An Princeps motus ex rationibus probabilibus de iustificatione legis imponentis tributa noua, possit licitè ea imponere.*
3. *An ad mutationem monetæ nequeat Princeps facere motus duntaxat rationibus probabilibus de eius iustificatione, si contraria opinio securior sit.*
4. *Moderatus debet esse Princeps in mutando metallum, ex D. Thom. & n. 10.*
5. *Exactiones & vectigalia multiplicata corrodunt subditorum numismata.*
6. *Authoris iudicium adducitur, & n. 7.*
8. *Vt sit ratio practicè probabilis ad mutationem monetæ quid requiratur, & numer. 9.*
11. *Principum moderatio circa mutationem metalli & monetæ prudens debet esse.*
12. *Aliud bonum commune, & aliud bonum multitudinis, & n. 13.*

COROLLARIUM tertium est decisio illius grauissimæ difficultatis ad praxim Principum valde necessariam, quam tractat Archiepiscopus Hispalensis *vbi supra n. 6.* † an ad mutationem monetæ sufficiat opinio probabilis, ita vt si dum bonum commune periclitatur ex tali mutatione, sunt tamen rationes probabiles, vt possit fieri sufficiat hæc opinio probabilis, an necessario debeat sequi tutior opinio, quod non fiat, ne bonum commune periclitetur, & respondet duo, primum *l. 4. q. 11. art. 3.* quod † Princeps motus ex rationibus probabilibus de iustificatione legis imponentis tributa noua, potest licitè ea imponere, nec in his imponendis expectanda est omninoda certitudo, & euidencia, quæ cum rarissime habeatur, sæpe periclitaretur bonum publicum & defensio Religionis, quæ sunt præcipua motiua huius impositionis, vt egregiè ait S. Th. *lib. 4. de Regim. Principum cap. 17.* ibi, *exactiones enim, siue vectigalia multiplicata in populo nisi pro vrgenti causa, vt putã pro cõseruatione ciuitatis, vel religionis, ipsam conturbant & sunt causa dissensionis & litis.*

Dicit secundum *l. 1. quest 8. art. 21. num. 6.* quod † ad mutationem monetæ nequit Princeps facere motus duntaxat rationibus probabilibus de eius iustificatione, si contraria opinio securior est. Quia ex hac numismatis mutatione periclitatur bonũ multitudinis,

itudinis, & grauissimis exponitur damnis, cum pecunia in corpore politico sit veluti sanguis corpore animalis, at vbi imminet graue damnum bono communi nō licet vti opinione solum probabili cum tanto periculo, ratione cuius redditur improbabilis practice, vt de medicamento probabili minus tuto, de quo ipse bene discurret fere in omnibus *eadem quest. art. 19.* non est autem minus fugiendum periculum interficiendi corpus politicum Regni, vel ciuitatis quam corpus singulare, vnius hominis, vnde recte D. Thom. *lib. 2. de Regim. Princip. cap. 13.*

4 inquit. † *Moderatus debet esse Princeps in mutando metallo, quia hoc cedit in detrimentum populi cum sit rerum mensura. Vnde tantum est mutare monetam, quantum stateram, siue quodcumque pondus, de hac materia videatur opusculum doctū de mutatione monetæ Nicolai Oresmij Episcopi Lexiouiensis in tom. 9. Biblioth. veterum Patrum, hæc fere ille, cuius opusculi notitiam, & librum, ego illi dedi, & comodaui.*

Verum enim vero hæc duo Illustrissimi Præsulis asserta, non multum sibi cohærent nam vt vidimus ex D. Thom. † exactiones & vectigalia multiplicata etiam corrodunt subditorum numismata, & pecunias quæ sunt veluti ipsorum sanguis, sine quo est periculum mortis, & defectus corporis mystici, tanta enim potest esse sanguinis corrosio, & diminutio per vectigalia, & exactiones, vt corpus exangue, & depauperatum deficiat, & hæc corrosio, & diminutio vectigalibus, exactionibus, & nouis impositionibus æquiualeat monetæ alicuius mutationi si Prouinciale sit numisma, æqualiter enim spoliantur subditi rebus suis, vnde æquale est in vtroque periculū defectus multitudinis, & ex vtroque nisi fiat ex motiuo cōseruandi regnum aut tuendæ religionis urgente necessitate, sequitur conturbatio, dissensio & lis, quare in vtroque vel debet sufficere ratio dumtaxat probabilis, vel in vtroque requiritur quod sit tutior, cum in vtroque periclitetur bonum multitudinis, & vtrumque grauissimis sit expositum periculis, & conturbationibus politicis, quare magis consequenter loquitur Reuerendissimus pariter, & Doctiss. Magister Fr. Ioannes à S. Thom. *1. 2. tom. 1. disp. 12. art. 5. pag. 757.* qui de vtroque eodem modo philosophatur, & discurret.

6 Igitur † ego aliter discurrendo iudico, existimo enim quod in vtroque ratio probabilis ex qua formetur iudicium practicum de iustificatione circa imponenda tributa, vel circa numismatis mutationem sit sufficiens, vt & tributa necessaria imponantur & fiat monetæ alteratio tanta quanta sufficiat, vt necessitati vrgenti ad bonum com-

mune, & Religionem tuendam, vt supra dicebam. Ratio autem probabilis non solum debet respicere conuenientiam ad expiscandas pecunias à subditis pro quocumque motiuo, sed pro succurrendo bono cōmuni, & tuenda Religione, si enim ex hoc motiuo fiat nouorum tributorum impositio, & numismatis alteratio, tantum abest quod bonum multitudinis periclitetur, quod imo potius firmatur, solidatur, defenditur, quamuis enim ex bonis particularium monetarum alteratione expiscetur, & detrahatur, sicque particulares homines partem bonorum suorum amittant, & numismata multitudinis minuantur, tamen hæc diminutio sanguinis membrorum in particulari ad salutem & conseruationem boni cōmunis, & Religionis ordinantur, vt corpus mysticum Reipubl. non peccat, sic enim manus abscinditur, vt corpus animalis seruetur.

Quare si probabili & prudenti motiuo 7 Rex iudicat ad defensionem regni & boni communis & ad tuendam Religionem necessariam esse monetæ alterationem, aut nouorum vectigalium impositionem, sine quibus alterationibus monetæ & impositionibus nouis, non est sufficiens in Thesauris Regis, vt Regnum & Religio defendatur ab inimicis, id poterit tuta conscientia facere, quia si fiat monetæ alteratio ex hoc motiuo prudenti & probabili etiam in praxi est opinio securior, cum vitetur maius damnum scilicet corruptio boni communis, & Religionis euersio ab inimicis intentata.

Verum est, quod † vt sit ratio practicè 8 probabilis ad mutationem monetæ requiritur, quod attentis omnibus circumstantiis status Regni, instantia remedij & celeritate succurrendi probabiliter iudicetur, quod non sit aliud medium, quam mutatio monetæ si enim sit modus, quo necessaria ad defensionem boni communis & Religionis habeantur, sine eo, quod numisma alteretur, nec practicè, nec speculatiue est probabile etiam speculatiue, quod si infirmus potest sanari à cancro aliis remediis sine manus abscissione, quod ista abscindi potest, est enim contra charitatem membrum abscindere, quum sine eius abscissione sanitas acquiri potest. Cæterum si Chirurgus probabiliter iudicat, quod non est aliud remedium ad sanandum infirmum, nisi manus abscissio dubio procul potest tuto manum abscindere, secus tamen esset si aliàs æquè iudicaret etiam probabiliter, quod potest infirmus sanari sine manus abscissione, tunc enim tenetur non abscindere, quia tenetur salutem intēdere cum minori infirmi dāno: idem proportionate dicendum de nouorum

vectigalium impositione & numismatum mutatione, cuius mutationis probabilis ratio debet sumi in ordine ad necessitatem urgentem defendendi & tuendi bonum commune & Religionem in ordine, ad quod probabiliter iudicat Princeps non esse aliud medium, nisi mutatio monetæ, aut nouorum vectigalium impositio.

9 Imò † ista noua tributorum impositio, ita potest crescere, quod damnosior sit bono multitudinis, quam alicuius monetæ mutatio, & ista potest esse aliquando congruentior v.g. si Princeps sit ita exhaustus & ad tantam paupertatem Regiam redactus, quod non possit tueri Religionem & regnum nisi, vel moneta mutetur, vel argentum Ecclesiarum auferat, non dubiro, quod satius esset monetam alterare, vt expiscetur numisma necessarium, quam quod sustollatur Ecclesiarum argentum, quod dicatum est diuino cultui.

Hoc est, quod dicebat D. Thom. cap. 13. citat. quod † moderatus debet esse Princeps in mutando metallum, quia hoc cedit in detrimentum populi, quia tantum est mutare monetam, quantum stateram, siue quodcunque pondus. Egregia verba si rectè intelligantur iuxta principia politica, quam idem S. Doctor circa regimen Principum piè & Catholicè statuit, etenim ista † Principum moderatio circa mutationem metalli & monetæ prudens debet esse, est autem prudens, si conscientia probabili dirigatur, est autem probabilis conscientia, quum Princeps probabiliter iudicat hoc esse medium necessarium ad Regni & Religionis tutamen, sicut vt ferat legem obligantem sufficit, quod probabiliter iudicet esse conuenientem bono communi, eo autem ipso, quod probabiliter iudicet, quod monetæ mutatio, aut noui vectigalis impositio, est necessaria hic & nunc ad bonum commune securior est, quamuis sequatur detrimentum populi, & multitudinis.

12 Aliud enim est † bonum commune, quod est diuinum & immutabile semper, & quod omnes ciues & membra corporis politici appetunt, aliud est bonum multitudinis, & populi, quod minui potest & decurtari, quia mutabile est, vt bonum commune immutatum perseueret, quia est bonum totius, ad quod ordinantur bona partium, & multitudinis, semper tamen bonum totius conseruare debet Princeps, cum minori detrimento partium, & sic moderatus debet esse in mutando metallum, & moderatior in mutandis mensuris, & ponderibus publicè assignatis, quia pondus, & mensura magis necessaria sunt ad conseruationem Reip. quam numisma, magisque imitantur naturam, vt egregiè adnotabat S. D. cap. 14. eiusd. lib. 2.

quare maius pondus rationis exigit Princeps, vt pondus & mensuras rerum immutet, quam numisma, quia licet hoc sit instrumentum vitæ humanæ & commutationum, tamen cum sit ex auro, & argento, vel alio metallo, non ita per se ordinatur ad hanc commutationem, at pondus & mensura publica, vt vlna, statera, ynica, congium, & similia ex quacunque materia fiant semper mensurant, & sic per se ordinantur ad commutationes, quare in nostra Hispania raro leguntur minuta pondera, & mensuræ, vt constat ex historiis Regis Alfonso II. Ioannis I. & Henrici II. vt eruditè refert Couarru. tract. de pondere monetarum Hispanicarum, cap. 5. & 6.

SVBDIGGRES. IV.

Vtrum Princeps possit materiam numismatis pluris aestimare, quam in se aestimatur?

S V M M A R I V M.

1. *An Princeps materiam numismatis possit pluris aestimare quam in se aestimatur.*
2. *Authoris mens propalatur.*
3. *An de consensu populi, aut ciuitatum Regni etiam absque publica inopia & indigentia poterit Princeps augere numismatum pretia, & n. 4.*

Corollarium quartum, est intelligentia Doctissimi Couarr. vbi modo cap. 7. n. 5. vbi sic loquitur. † Nam ad subueniendum publicæ necessitati publicisque impensis poterit pluri aestimari Princeps, quam numismatum materia aestimetur. Imò hoc ipsum quandoque utile Reipub. est, ne pecunia aurea, vel argentea extra Regnum, aut extra Prouinciam exportetur, vt admonent Innocentius & Guid. Pap. cap. quanto de iureiur. constat sanè ex constitutionibus Henrici II. & Ioannis I. ob publicas necessitates ab ipsis Regibus numismatum pretia augmentum accepisse, sed & consensu populi, aut ciuitatum Regni, etiam absque publica inopia poterit idem Princeps efficere secundum Innocent. Panormit. & alios in dict. cap. quanto itidem hoc factum Roma ob publicam inopiam ab ipso Senatu testatur Plinius lib. 33. cap. 3.

Quæ doctrina grano falis Theologici cõdienda est. Veram enim reputo, † quum interuenit publica indigentia, cui subuenire aliter non posse probabiliter iudicat Princeps de consilio virorum sapientum & timoratæ conscientiæ. Si enim factum est, ann. 1652. in moneta ænea, quæ ultra valorem intrinsecum fuit aestimata ob ingentem, quæ tunc premebat, necessitatem, qua succursa

curfa, ad suum antiquum valorem est redu-
 cta. Existimo, quod ob illam rationem, ne
 moneta aurea, vel argentea extra Regnum
 ab exteris & incolis deferatur, non est suffi-
 ciens motiuum, vt istæ monetæ in pretio
 valoris intrinsecè alterentur, nisi sit maius
 detrimentum, quod Reipub. sequitur ex hac
 exactione, quam vtilitas commerciandi &
 aliorum finium politicorum, quos habent
 Principes ad tutamen regni & Monarchiæ,
 3 id autem, quod dicit Couarr. quod † de con-
 sensu populi, aut ciuitatum Regni etiam
 absque publica inopia & indigentia poterit
 Princeps augere numismatum pretia, mihi
 non arridet sic absolute prolaturum, si loqua-
 mur de pretio fundato in valore intrinsecò
 materiæ monetæ, hic enim valor non pen-
 det à lege Principis, aut communitatis ciui-
 tatumve Regni, sed habet suam intrinsecã
 æstimationem à iure fere omnium gētium,
 & populorum nationum, quare si pretium
 augetur in æ ultra valorem intrinsecũ,
 hoc augmentum facere cogit necessitas, &
 indigentia publica, neque ad libitum potest
 fieri, sicut nec alteratio stateræ, & mensu-
 ræ publicæ, ex qua alteratione, & pretiis
 pecuniæ augmento innumeræ sequuntur
 perplexitates, & incōuenientia, vt adnume-
 rat Oresmius, quare † sine publica indigen-
 4 tia nequit Princeps, aut ciuitatum Regni
 comitia pretium monetæ augere, & multo
 minus minuere, nam si minuitur est, cum
 magno multitudinis detrimento, si augetur
 pari modo stipendia ministrorum & ope-
 rariarum minuuntur, cum eorum ministe-
 ria, ita exigantur sicut antea, & cum pecu-
 niæ pretium augetur cæterarum mercium,
 & aliorum quæ ad vitam in victu & vestitu
 requiruntur etiam augentur, quare vel sti-
 pendia debent augeri & pretia rebus taxa-
 ri, (quod in praxi est moraliter impossibile,
 vt iam est expertum tempore diuersorum
 Regum,) vel pecunia immutata debet esse,
 & sic mutari & eius pretium augeri nequit
 Princeps, aut Respublica etiam de consensu
 ciuitatum Regni.

SVBDIGGRES. V.

*Nullus nisi Princeps potest, resigillare
 monetam.*

S V M M A R I V M.

1. An nullus nisi princeps possit resigillare mo-
 netam.
2. Ratio difficultatis afferatur, & numer. 3.
 & 4.
3. Fallificans regium sigillum pœna mortis pu-
 nitur.
4. An qui resigillat auctoritatem Regiam si-

*bi vsurpet iniuste, & contra ius ipsum
 naturale.*

C Orollarium quintum sit, quod si Prin-
 ceptus ob publicam & vrgentissimam
 necessitatem monetæ pretium auget, in
 cuius augmenti signum, ipsam iterum su-
 pe addit, super inscriptionem numeri au-
 gmenti, quod sibi applicat indefensionem
 regni & Religionis, ita hæc superinscriptio
 Regia soli Principi priuatiuè ad omnes alios
 pertinet, quod nullus alius potest tuta con-
 scientia, & liber ab obligatione restituendi
 augmentum, quod sibi reseruat, monetam
 resignare & resigillare contra facto sigillo à
 Rege posito & contrarium asserere omnino
 est improbable & temerarium, vt potè con-
 tra regimen Politico-Christianum. † Ratio
 est perspicua, quia Rex Catholicus & pius,
 qui augmentum pecuniæ non infert, vt cor-
 rodat & collimet diuitias suorum subdito-
 rum, ad augendum suum thesaurum, vt diuitiis
 abundet ad ostentationem sicut forsan fe-
 cit Rex ille de quo, *cap. quanto de iureiuran.*
 sed ad Regni Ecclesiæ Catholicæ & Roma-
 næ Religionis, motus, imo coactus necessi-
 tate, in qua constitutus nequit, vt oportet
 attentis circumstantiis, (quas considerare &
 discutere ad subditos non pertinet, sed ad
 Regem vnà cum vitis zelo & prudētia præ-
 dictis, scientia Theologica & vtriusque iuris
 peritia ornatis) tutari bonum publicum &
 Religionem Christianam Catholicam, ergo
 qui resigillat monetam, vt sibi vsurpet, au-
 gmentum, quod ex resigillatione accrescit,
 & mortaliter peccat, & ad restitutionem te-
 netur, vt potè rem alienam retinens inuito
 Domino.

Secundò, quia † si Rex Catholicus in
 subsidium bellorum contra hæreticos &
 alios infideles oppugnantes Ecclesiã & suum
 regnum monetæ augmentum facit, vt pro-
 pterea habeat stipendia & auxilia bellica, cū
 id faciat ex consilio prudentum, & dictami-
 ne ad conseruationem boni communis, &
 publici, lex ex hoc dictamine dimanans ius-
 ta est, & subditos obligat in conscientia, er-
 go in conscientia nequeunt, sibi vsurpare
 augmentum pecuniæ, quod accrescit ex re-
 sigillatione regia, consequentia est euidentis,
 quia lex ista iusta est ex vi cuius augmētum
 monetæ accrescit Regi in tutamentum re-
 gni & Ecclesiæ, & ita qui illud retinet resti-
 tuere tenetur, siquidem furatur à Rege,
 quod suum est, quod aufert Rege ratio-
 nabiliter inuito, & toto Regno etiam in-
 uito, quod in illam resigillationem & mo-
 netæ augmentum consentit propter sui &
 Ecclesiæ tutamen, & sic euidentis est, quod
 qui resigillat auctoritate propria sibi vsur-
 pat rem alienam, & sic contra iustitiam
 peccat,

peccat, cum augmentum monetæ sit Regis & Regni non particularium personarum.

4. Tertiò, quia † dato, & non concesso, (de hoc enim alibi disputo,) quod licet possit quis absque obligatione restituendi defraudare alia vectigalia occultè & furtim merces introducendo, tamen nequit vllus resigillare monetam & augmentum sibi expiscari. Ratio discriminis est manifesta, quia in hac specie si quis furtim introducit merces est, cum periculo eas in integrum amittendi, & in hac introductione Regij sigilli, aut superscriptionis falsificatio non interuenit, sicut interuenit in falsa moneta, aut resigillatione, cum enim sigillum regium, aut superscriptio sit substantia valoris, tum regiarum litterarum, tum monetarum, vt bene aduertit cum aliis Couarr. cap. 22. pract. num. 9. vers. sic. quod sigillum. † falsificans regium pœna mortis punitur, vt latè Afflictis decis. 404. Vnde moneta, quæ fit, aut resigillatur æqualis sit valoris, cum ea quæ facta est à Rege, tamen falsa & adulterina, si fabricetur, aut resigilletur à non habente potestatem, vt latè Baldus cap. quanto cit. & consil. 376. est enim falsa ex causa formali, quia sine auctoritate imprimit sigillum, quale illud sit ex vi cuius accrescit lege Principis valor, quem imponere solus Rex ex auctoritate Regia potest.

6. Vnde † qui resigillat auctoritatem Regiam sibi vsurpat iniuste & contra ius ipsum naturale, & sic crimen læsæ maiestatis committit, & cum titulo falso sibi arrogato Regi expiscaretur augmentum monetæ, quod necessitate publica Rex coactus posuit, & auxit, dubio procul qui surripit sic resigillando tenetur restituere, etsi posset aliàs vti recompensatione, quod valde difficile est, (quia semper præsumendum est de Principe Catholico, quod non peccat imponendo vectigalia,) tamen resigillans, nec excusat peccatum grauissimum contra iustitiam, neque pœnam mortis iuste impositam. Verum est, vt dixi tom. 5. de vero Martyr. loc. cit. quod pœna debet moderari & quæstiones tormentorum mitigari, quum non fabricatur falsa moneta ex adulterino metallo, aut nimium mixto, sed solum resigillatio fit, & resigillatores nimium crescunt, vt ibidem adnotaui.

SVBDIGGRES. VI.

Iuste est lata pœna mortis, etiam Regularibus cudentibus falsam monetam.

S V M M A R I V M.

1. An iuste feratur pœna mortis etiam Regu-

laribus qui cudent falsam monetam.


2. Falsificans monetam alicuius ciuitatis quæ pœna sit puniendus, ex Claro Alexandro.

3. Authoris iudicium prepalatur,

COrollarium sextum, quod † iuste Summus Pontifex Urbanus VIII. se conformans aliis Summis Pastoribus, Regibus, & Principibus statuit pœnam mortis etiam Regularibus & personis Ecclesiasticis traditionis curiæ sæcularis, qui aliquo modo monetas maximè aureas, & argenteas, tonderit, aut fabricarit, aut aliquo modo falsificarit, nulla est enim Respublica bona politia directa, in qua pœna mortis naturalis non sit imposita, quamuis modus mortis varius fuerit à diuersis Principibus decretus. Imperat. Constant. leg. si quis 2. Cod. de falsis monet. lib. 9. pœnam ignis. Rex Catholicus eandem statuit. Rex Gallus, vt notant Clarus Alexand. verb. falsum num. 37. Gotifred. ad leg. 2. cit. aqua oleoque feruenti suffocatur reus læsæ Maiestatis, qui refert ex aliis, quod illi manus abscinduntur. In Hispania tamen qui resigillarunt monetam æream, dum eius valor intrinsecus duorum marauetinum creuit lege & auctoritate Regia ad octo marauetinos ascititij valoris, hi inquam resigillatores in furca animam suffocati exhalabant, quia pœna ignis solum videtur taxata illis qui nummos falsa fusione formant, vt instrumentum, quod assumpserunt ad falsam monetam cudentam, illis sit in pœnam mortis habendæ, leg. 2. si quis citat.

Notat tamen clarus Alexand. ubi supra, quod † falsificans monetam alicuius ciuitatis non est morte naturali puniendus, sed pœna capitali, quam statuit lex 1. C. de falsa monet. pœna autem capitalis absolutè taxata non est pœna mortis naturalis, sed ciuilis, qualis est deportatio, vt est communis intelligentia, vt multis citatis tenent Clarus Alexand. §. final. q. 67. Farinacius q. 19. pract. Follerius in pract. verb. pœnis debitis n. 47. Ioann. Andr. cap. quanto de iureiuran. Vnde si lex absque aliquo addito dicat, quod quis pœna capitali puniatur, intelligi debet de pœna deportationis, aut damnationis exilij perpetui. Existimo tamen, † quod crimen resigillationis monetæ æneæ etsi grauissimum, sit & pœna capitali dignum, non tamen ita grauissimum, quod Religiosus ex eo, quod resigillet, aut consentiat, quod in sua cella, aut conuentu resigilletur, non debeat ad vitæ remes damnari, aut ad carcerem perpetuum, non enim ita euersiuum est religiositatis, quare si pœnitentia ductus sit, mitiori pœna puniri potest. Pontifex enim Urbanus VI. solum falsificationem circa monetam

netam auream, vel argenteam seuerè puni-
nit, sed hoc relinquerem circa monetæ
aeneæ refigillationem, iudicis Regularis pru-
denti arbitrio.



RESOLVT. VII.

*Aliquæ Regulae statuuntur pro dam-
natione fratrum ad triremes, non
obstante decreto Urbano, de non
eiciendis.*

LONGISSIMVS esset tractatus, si de
praxi omnium delictorum, quæ in
sæculo puniuntur pœna mortis, vt huius
loco substituatur triremium pœna, tracta-
remus, & tomus iste nimitiū cresceret. Qua-
re decreui (post discussionem horum crimi-
num, quæ deseruiat in exemplar aliorum, de
quibus latè Clarus Alexand. §. final. qu. 68.
Santorius p. 1. cap. 4. pag. mihi 157. vbi plura
adfert, quæ in praxi non puniuntur inter
Regulares, pœna triremium, etiam si in sæ-
culo puniantur pœna mortis, confundit etiã
pœnam mortis & pœnam capitalem, quod
non est verum, cum in ordine ad hoc pun-
ctum valdè differant.) Vela complicare &
ad aliquas regulas rem reducere, quibus in
hac grauissima pœna imponenda dirigi pos-
sint iudices Regulares, sine eo, quod decre-
tum Urbanum, de non eiciendis, nisi spe-
ciali forma sibi disposita, quæ dubio procul
obseruanda est ad formalem expulsionem à
Religione, vim suam amittat, sed in praxi à
Summo Pontifice intenta semper existat,
vt potè Sanctissimum & Religioso statui val-
de conueniens. Igitur ex dictis sequentes
accipe Regulas.

SVBRESOLVT. I.

*Expediens est hodie aliquos Regulares ob deli-
cta ad triremes damnare.*

SVMMARIVM.

1. *An hodie liceat & expediens sit Religioni-
bus aliquos Religiosos professos propter
aliqua enormia & atrocia delicta ad tri-
remes damnare.*
2. *Sanctori de Malefic. sensus adducitur.*
3. *An pœna triremium sit pœna incorrigibi-
lium, & contumacium.*
4. *An Religiosus qui damnatur ad triremes,
sive ad tempus, sive ad vitam si aliàs sit
contumax & animo indurato, possit simul
ab ordine expelli.*
5. *An aliquis possit expelli à Religione, qui*

*non potest damnari ad triremes, & sic è
contra.*

6. *An Regularis simplici fornicationi deditus
ter correctus iuridicè, si post annum car-
ceris Urbani contumax sit, possit expelli
à Religione.*
7. *An si quis semel peccatum sodomiæ commit-
tit possit ad triremes damnari.*
8. *Authoris iudicium assertur, & n. 9.*
10. *Quid item ex dictis sit inferendum, &
num. 11.*
12. *An si expediens sumatur respectu Religio-
nis, an expediat Religionibus suos delin-
quentes condemnare ad triremes.*

Regula prima, hodie † licet, & expe-
diens est Religionibus aliquos Religio-
sos professos propter aliqua enormia, &
atrocia delicta ad triremes damnare, hoc
constat ex priuilegiis Summorum Pontifi-
cum concessis, tum ordini D. Hieronymi,
tum fratribus minimis, de quibus in superio-
bus mentionem fecimus, & egregie pro-
bant Miranda tom. 1. quæst. 52. art. 8. Rodrigue-
z tom. 1. quæst. 30. art. 16. & tom. 2. q. 25.
art. 1. Pellizarius tract. 9. cap. 3. à num. 97. hæc
Regula constat consuetudine, & praxi om-
nium fere Regularium approbata à sede
Apostolica, quæ hanc pœnam videt infligi,
& non reuocat.

Dixi hodie, etiam post decretum Urba-
num de eiectis. contra Lezan. in summ. verb.
triremes n. 5. Hieronymum Rodriguez Re-
sol. 57. n. 8. contra quos sic grauissimè loqui-
tur Sanctorus de Melfi. p. 2. de pœnis cap. 21.
pag. mihi 289. † Nescio, qua ratione persuasum
sit aliquibus, vt speculationibus sibi aditum ad
communem utilitatem occludant nulla lege
coacti decretum de eiectis, pestilentes intra Re-
ligionem, ita concludit, vt vir, vel nunquam
expelli possint, restat exitus ad triremes, & hunc
sibi præripiunt, dum salua lege possunt noxios eo
ablegare, vbi & pœnam sentiant & Religio-
nem leuent, sedes enim Apostolica disponit de ex-
pellendis, non de puniendis, formam pro primis
tradit, circa secundum nihil innouat, reuocat
priuilegia & constitutiones ordinum, quoad ex-
pulsionem, non quoad alias correctiones. Hæc
ibi, satis conformiter, ad ea quæ in superio-
ribus est monstratum, tum ex intento de-
creti Urbani, tum quia expulsio, cum sit
pœna spiritualis, sicut excommunicatio, nõ
datur nisi cõtumacibus, at damnatio ad tri-
remes, sicut & incarcerationio est pœna cor-
poralis, quæ datur in criminis vindictam, &
pro satisfactione communis boni læsi, etiam
si reus sit valdè pœnitens, & contritus de
crimine commissio. Vnde falso Aldrete l. 2.
de discipl. Relig. cap. 22. Pelliz. tract. 9. cap. 2.
num. 166. Senior Rodriguez to. 2. q. 24. art. 1.
dixere, quod † pœna triremium est pœna 3
incorrigi

incorrigibilem, & contumacium proprie enim talis non est, sed pœna malefactorum & criminoforum, illis imposita in satisfactionem publicam delicti commissi, quod aliàs meretur pœnam mortis, secundum leges ciuiles, illius Reip. in qua committitur delictum.

- 4 Verum est, quod † ille qui damnatur ad triremes, siue ad tempus, siue ad vitam, si aliàs sit contumax, & animo indurato potest simul ab ordine expelli, cæterum vt sētentia expulsionis feratur debet obseruari forma Urbana sine qua, etsi sētentia ad triremes sit firma, & valida, quia hæc est independens à tali forma, tamen sētentia expulsionis omnino est nulla, quia lata sine forma requisita necessariò, ex decreto Sedis Apostolicæ. Cæterum aduerto, quod † aliquis potest expelli à Religione, qui non potest damnari ad triremes sicut potest damnari ad triremes, qui non potest à Religione expelli cum istæ pœnæ inter sese nullam habeant connexionem, nam expellitur quis à Religione si tribus vicibus correctis à peccato graui post annum incarcerationis Urbanae adhuc est contumax, & ad hoc non est necessarium, quod peccatum illud & crimen dignum sit pœna mortis, secundum leges ciuiles, ast si crimen tali pœna sit dignum, potest ad triremes reus damnari, etiam si contumax non sit, nec possit à Religione expelli.
- 6 Vnde existimo quod † Regularis simplici fornicationi deditus ter correctus iuridicè, de qua triplici correctione constet ex triplici sētentia data & seruata in archiuio Religionis, si post annum carceris Urbani contumax sit potest expelli à Religione, ne suo malo exemplo alios corrumpat, at non potest ad triremes damnari; quia simplex fornicatio non est punibilis legibus ciuilibus pœna mortis (etiam si sit mortale contra legem naturæ,) vt latè clarus Alexand. §. *fornicatio, n. 3.* nisi ob insignem deformitatem illi adiunctam, aut circumstantiam notabilem, ratione cuius legibus ciuilibus pœna mortis est imposita, de quo latè Menoch. *de arbitr. cent. 3. casu 89.* Couarru. *lib. 3. variar. cap. 18. num. 2.* quantumcunque fœmina nobilis sit, & intercesserit scandalum, nisi timeatur graue damnum Religioni, nisi in fornicatione fœmina vi & violentia sit cognita, etiam si sit meretrix iuxta Constitutionē Neapoli, quam citat Menoch. *ubi supra, casu 91.* hæc enim violentia punitur pœna mortis in illo Regno, de cuius praxi nondum sum certificatus.
- 7 Et è contrario † si quis semel peccatum sodomix committat potest ad triremes dānari, quia pro hoc peccato semel commisso pœna mortis est imposita, at si contumax

non sit, neuiquam potest à Religione expelli, sed si ad triremes iudices nolunt misericordia moti damnare alia pœna, vt incarcerationis, ieiuniorum, & disciplinarum puniendus est vsque ad publicam satisfactionem, addo quod nisi sit speciale statutū, nullus Regularis potest ad triremes damnari etiam propter quadruplicatam Apostasiā quia hoc delictum non est dignum mortis pœna secundum leges ciuiles, est tamen tale statutum in ordine Seraphico in quo obseruari debet, non tamen etiam in hoc ordine potest expelli propter Apostasiam, multiplicatam nisi obseruetur forma Urbana, quia quantum ad expulsionem est reuocatum statutum Decreto Pontificio.

Cæterum aduerto † quod si iudex Regularis iudicium inceperit ad expellendum aliquem Religiosum à religione iuxta formam Urbanam, ita vt Reus sit, vel in carcere vel iam annum expleuerit probationis an sit contumax in delicto, si iudex Regularis attentis probationibus, & meritis causæ velit reum, & ad triremes damnare propter delictum dignum morte naturali, & simul expellere à religione, tanquam contumacem de facto, & incorrigibilem, potest vtrumque simul agere, & vtramque infligere pœnam quia hanc simulationem non prohibet Decretum Urbanum. Cæterum si inceperit causam ad expulsionem stante hac tela iudicij, nequit ad triremes reum damnare, si iam vel maior pars vel integer probationis annus est transactus vel in carcerem iniectus, ea intentione, vt probetur an sit animo induratus, & contumax, esset enim pœnas cumulare, quod pietas non patitur, si autem maceratus reus per annum probationis Urbanae, & religio ipsum non expulerit, sed amplius velit expectare si iterum labatur, & si Religio possit illum eiicere, quia iam obseruata est forma Urbana, potest tamen ad triremes damnare propter nouum delictum illa pœna dignum, insuper etiam potest ipsum eiicere, & coniungere vtramque pœnam spiritualemente eiectionis propter contumaciam anno expertam Urbano, & corporalem triremium propter nouum delictum, sicque coniunguntur duæ formæ forensis iudicij, & ad eiiciendum, & iuris communis Canonici ad puniendum pœna temporali, posse autem coniungi duas formas iudicij ex consuetudine totus mundus adfirmat, vt ait Drogo *apud Clarum §. fin. quest. 3. n. 7. & 8.*

Ex dictis infero † concordiam doctorum inter se pugnantium, quidam enim dicunt non esse expediens ad triremes damnare regulares, alij dicunt criminibus id exigentibus valde expedire hanc pœnam. Et enim vt ait D. Thom. 3. *quest. 80. art. 10.* aliquid

quid potest esse expediens secundum se, quod subiecto nō sit expediens, sed Sanctorius de Melfi. *part. 2. de pœn. cap. 21. pag. 291.* iuxta hanc distinctionem bene respondet, & concordat auctores, primi enim deplorāt & piē quidem statum horum miserabilium ob omnimodam, quam habent in corpus, & animam diuini furoris suorum criminū vindictam, etenim inexplicabilibus malis corporalibus, & spiritualibus affliantur, quare ferunt Peyrinis & Bernard. Diaz. *vbi supra*, quare si illorum conuenientiam spectemus, illis nullatenus expedit damnatio ad triremes, quod maximè verum tenet in sacerdotibus, quorum officio indecens valdè est spurcæ colluiei adicere sacras manus, & corpora, quæ Deus sibi tanquam partem præcipuæ hæreditatis, suis summis mysteriis consecrauit. Vnde Urbanus VII. ergastulum, pro illis institui ordinauit, sed hoc vbiq; institutum non est, maxime in Religionibus, quæ pauperes sunt, & nequeunt alere hos facinorosos, qui quotidie aufugiūt, & moraliter est impossibile, quod custodiantur, vt par est, maxime cum contingere possit plures huiusmodi esse.

14 Si tamen † expediens sumatur respectu Religionis, certū est expedire Religionibus suos delinquentes cōdemnare ad triremes, dum alius expeditior modus nō suppetat se à tam pestiferis, & contagiosis hominibus liberandi, etiam si sciat in triremibus euasuros deteriores, quia in hac parte iure suo vitur, & per accidens est, quod aliquis euadat deterior, nam qui expelluntur, aut ad triremes mittuntur, non destinantur, vt meliores euadant, sed vt puniantur, & sibi imputēt, quod non in melius, sed in peius proficiant, quia hoc, nec religio intendit, nec genus punitio- nis secū fert, pœna enim emendat, non auget culpam, & est remedium, nō venenum. Notat tamen & satis piē, Rodrig. Iunior *Resol. 48. n. 12.* quod pœna relegationis ad triremes non est imponenda Religiosis nisi in grauissimis magnique offendiculi, seu scandali criminibus, hoc namque alienum est à charitate fraternitatis, & paternitatis habendæ simul inter Religiosos, & à dignitate altissima sacerdotali, necnon à fundatorum Religionum consuetudine.

SVBRESOLVT. II.

Damnatus ad triremes finito tempore pœna tenetur ad Religionem redire.

S V M M A R I V M.

1. *An Regularis damnatus ad triremes finito tempore pœna luenda teneatur ad religionem redire.*

Tom. II.

2. *Damnatio ad triremes non est à Religione expulsio.*
3. *Authoris iudicium adducitur.*
4. *An dum quis Regularis sinon expellatur seruata forma Urbana, sed solum damnetur ad triremes, in sentētia debeat poni, quod finito tempore pœna remigij, ad religionem redeat, & n. 5.*

Regula secunda, hodie post Urbanū decretum de eiiciendis, † si aliquis Regularis dānetur ad triremes, finito tēpore definito pœnæ luendæ, ipse tenetur ad Religionē redire, & Religio tenetur ipsū recipere, hæc regula, ita mihi certa est post præfatum Urban. decretū, vt mirer aliquos de illa posse dubitare, quare incōsequenter loquitur Sāctor. *c. 21. cit. p. 292.* & vt defendat sua statuta exfundat Sedis Apost. cōstitutionē. Ratio est perspicua ex doctrina ipsius, quæ certissima est, quia † damnatio ad triremes nō est à Religione expulsio, ast omnis Religiosus, qui à Religione iuridice nō est expulsus, tenetur ipse ad Religionem redire, & Religio tenetur ipsū recipere ex vi professionis solēnis, cuius vis & obligatio solū impeditur, ne vires suas exerat, per expulsionē solēnē & iuridicam, qua nō est punitus, (vt suppono) damnatus ad triremes, sicut ergo iste tenetur redire ad Religionem finito tempore remigandi, ita & Religio est obligata ad illum recipiendum.

Hæc ratio euidens est & adeo vera, quod existimem, † quod finito tēpore remigij teneatur Religio religiosum suū petere à trierarchio, & ipsum compellere, vt restituat tāquam rem suam, & Trierarchus si violenter retineat, aut verberet, incidit in excōmunicationem Canonis *si quis suadente*, imò & ipse superior si sit in notabili & malitiosa mora religiosum suum non extrahendi, si commode potest, neque consuetudo aliqua rationabilis potest superiorem excusare ab hac obligatione, si potest commode religiosum ad religionem adducere, sicut non potest excusari, quod si Apostatā, quamuis sceleratissimū potest capere, si non capit, at iste qui tēpus remigij impleuit, cum non sit verè expulsus, sed ad religionē pertineat tanquā ipsius membrum, non præcissum neque abscissum, si extra Religionem demoretur est verè Apostata. Ergo si capi potest capere tenetur superior, nec video qua ratione oppositum sit præctice probabile, vbi decretum Urbanum receptum est, in quo clausulis derogatoriarum derogatoriis, & omnibus aliis requisitis, abrogantur priuilegia, consuetudines etiam immemorales, & omnia adminicula in contrarium, etiam si speciali forma sint à Sede Apostolica firmata, & roborata.

v v

Vnde

4 Vnde in superioribus ostendi, quod † dum quis Regularis si non expellatur seruata forma Urbana, sed solum damnetur ad triremes in sententia debet poni, quod finito tempore pœnæ remigij ad Religionē redeat, sic factum est ex meo consilio in Sanctissima Prouincia Angelorum *an.* 1658. neque aliter potest quis sine manifesta contrauentione decenti sententiam ferre, & quamuis id sententia diffinitiuā non exprimat, implicite continetur, quia debet ferri secundum ius nouum Urban. VIII. & non secundum statuta ordinis seraphici, quæ quantum ad hoc omnino sunt abolita, & reuocata, nec aliud tuto quis dicere potest.

5 Verum est, quo cum ordinariè huiusmodi scelesti homines de triremibus peiores reuertantur pessimis moribus imbuti, & assuefacti insolenti viuendi modo, sicut solent reuerrere dum capiuntur multi Apostatæ, Religio potest ipsos rigide probare, nec in integrum ad commercium aliorum fratrum admittere in conuentu strictiore retinere, exitus à domo prohibere in humilioribus exercitiis probare, hoc enim facere iure possunt superiores ex vi prioris sententiæ damnationis ad triremes, quod si non emendentur & mores corrigant, possunt telam iudicij ad expulsionem sordiri & expellere, si contumaces sint iuxta Urbanam formam.

SVBRESOLVT. III.

Ob delictum valdè atrox potest Regularis ad perpetuum triremium damnari, etiam post decretum Urbani VIII.

S V M M A R I V M.

1. *An ob delictum valde graue & atrox Regularis ad perpetuum triremium possit damnari, etiam post decretum Urb. VIII.*
2. *Authoris iudicium propalatur.*

1 **R**egula tertia, si † delictum ita graue, & atrox sit etiam post Urbanum decretum potest regularis ad triremes perpetuos damnari. Ratio est, quia vt vidimus damnatio ad triremes est pœna corporalis, quam infligere non vetat decretum Urbanum, crescit autem pœna iuxta augmentum criminis, quare si istud ita graue est potest regularis perpetuo affigi, & affligi remo. Vnde in ordine seraphico est statutum, quod qui Prouincialem percusserit, ita vt ex percussione sequatur mors, perpetuo ad triremes mittatur. Idem statuitur de leuissima percussione Generalis, vt refert Sanctorus de Melfi. *p.* 2. *de panis cap.* 21. *pag.* 285. existimo tamen nisi aliud exprimat in sententia, quod † hæc damnatio ad triremes perpetuos fi-

nitur decennio, quo concluditur ciuilitate vita hominis, & perpetuitas pœnæ huius, quod si aliter sententia intendat debet clariis verbis exprimi, atrocitati enim pœnæ hanc leuitatem ius ipsum apposuit, ita enim dura est triremium pœna, vt vix sint ex centum decem viri, qui decennium in illa transigant, & sic in decennio perpetuitas huius pœnæ concluditur.

SVBRESOLVT. IV.

Hodie nullus Generalis etiam Societatis potest expellere professum, non seruata forma Urbana.

S V M M A R I V M.

1. *An hodie Generalis alicuius Religionis etiam Societatis Iesu ex quocumque priuilegio, aut causa fauorabili sibi concessa possit expellere à Religione Religiosum solemniter professum, non seruata forma Urbana, & num. 2. & 4.*
3. *Pellizarij mens affertur.*
5. *Quid ex pramissis sit deducendum.*

Regula quarta, † hodie nullus Generalis alicuius Religionis etiam Societatis Iesu ex quocumque priuilegio sibi concessa, quacumque causa fauorabili, potest expellere à Religione Religiosum solemniter professum non seruata forma Urbana, eo modo quo introducta est in decreto & eiusdem circumstantiis, (vt digressione sequenti, enodabo & extricabo eas.) Hæc regula mihi est indubia contra Pellizarium *to.* 2. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 41. & 42. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *Resolut.* 57. dicit enim Pellizarius, quod ex priuilegio Gregor. XIII. concessa in Bulla edita 22. Septembr. 1582. Generalis potest subditos suos etiam solemniter professos dimittere, etiam si non committant culpas dignas eiectione, etiam si non sint incorrigibiles & contumaces, si ita iudicauerit expedire puritati Societatis, & saluti emissorum, si isti eiectioni suæ non contradicant, quod priuilegium nulli alteri Religionis (ait) datum est, etiam per viam communicationis. Cæterum si eiectio à Societate fiat ob incorrigibilitatem, utique facienda est iuxta formam Urbani decreti, obseruando omnia, quæ ibi dicuntur, vt eiectio sit valida.


Verum enim verò sententia Pellizarij nullo modo est sustinenda, si enim audiendus non est Gubellinus, (vt ait Diana,) quia dicit, quod decretum Urbanum non est in praxi, nec ipse, nec Pellizarius audiendi sunt, dum dicunt, quod Generalis Societatis potest ex priuilegio Gregor. XIII. eiectione

eiicere professos suos ex aliis causis, quam incorrigibilitatis, & contumaciæ, cum expressè Urbanus VIII. suo decreto decernat §. 4. *ut in posterum è religionibus nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis, & c.* Vnde ipse Pellizarius ibidem num. 3. qu. 3. dicit, quod

3 † post decretum Urbanum nullus verè professus eiici potest à Religione alio titulo, quam incorrigibilitatis etiam vigore priuilegiorum, aut statutorum particularium, quia præfatis decreti verbis abrogantur in contrarium concessa, non solum explicitè quomodo ibi abrogantur, sed etiam implicitè, si hoc ita est, vt verè est, qua ratione? quo motiuo eximitur hoc priuilegium concessum Patri Generali Societatis? cum decretum omnem quamcumque Religionem mendicantium, & non mendicantium comprehendat, quare iudico omnino impracticabile, quod dicunt Pellizarius, & Diana, decretum solum loqui de eiectione titulo incorrigibilitatis, non vero si aliis titulis celebretur, cum expressè Sedes Apostolica dicat, quod in posterum nullus alius titulus eiectionis sit legitimus, quam incorrigibilitas, & contumacia priuatiuè ad omnes alios cuiuscunque generis titulos. Neque ipse eiiciendus consensus potest præbere, vt ex alio titulo eiiciatur à Societate ad sæculum cum non pendeat ab eius voluntate, aut Religionis, quod nisi incorrigibilis sit & contumax, suspendatur vis & energia obligationis voti solemnem obedientiæ.

4 Præterquam, quod Bulla Gregorij XIII. expressè non dicit, quod Generalis Societatis possit alio titulo, quam incorrigibilitatis eiicere professos, tantum enim dicit. Dubitari contingit, an Præpositus, (Generalis) pro tempore existens, valeat etiam professos ex causis id exigentibus ab ipsa Societate. Nos re perpenſa, atque diligenter examinata, Societati ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore salutem consulere volentes, statuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere eosque de eius licentia, ad aliū ordinem se transferre. Hactenus ibi, quæ verba latè enucleat Suarez tom. 4. lib. 11. c. 1. & 2. & rectè concludit cap. 2. num. 7. quod si sit de sermo de eiectione punitiua, qua etiā inuitus, quis expellitur à Religione requirit delicta proportionata ad talem pœnam iuxta exigentiam suarum constitutionum, iuxta quas ob alia crimina, quam incorrigibilitatem, & contumaciam expelli potest professus à Societate, vt probat cap. 1. num. 2. ex quibus † manifestè constat, quod licet ante decretum Urbanum posset Generalis eiectione punitiua professum suum eiicere à

Societate propter aliquod delictum in suis constitutionibus expressum, iuxta quas dedit illis Gregor. XIII. hoc priuilegium, quia antea dubitabatur, an constitutio, id posset determinare. Cæterum hodie post Urbanum decretum, hæc dubitatio absorpta est & priuilegium abrogatum, cum in posterum nullus legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis in hac parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis & ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis. Hæc verba proclamant decretum Urbanum, post quod scripsere Pellizarius, & Diana, & sic non audiendi contra ipsum ante, quod opus Patris Suarez prælo sudauit, & ita non est reprehensione dignus, quare aut decretum, non est receptum, aut si receptum est, hæc sustineri nequit.



DIGRESSIO III.

Explicantur circumstantiæ requisitæ ad eiectionem in forma Urbana.

QVAE sic habet. §. 4. *In posterum è Religionibus nullus legitime professus eiici possit nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum conueniant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis & Ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis, verum etiam unius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus proindeque vnaquaque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia, elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pernicatia perseuerauerit, ne contagione pestiferæ plurimos perdat tanquam pecus morbida; ac membrum putre tandem eici possit, sed ab ipso Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus. Tum non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum, & c.*

Circa quam formam vere piam & valde necessariam plura sunt enucleanda, vt facilius in mentibus iudicum Regularium introducat. Primum, quid intelligatur per legitime

legitime professum. Secundum, quid sit ex iure incorrigibilitas. Tertium, qualis carcer debet esse. Quartum, qualiter computandus annus hic. Quintum de sex Patribus coniudicibus, & adiunctis Generali. Sextum, de modo procedendi iuridico circa expulsionem.

SECTIO I.

Quis intelligatur legitime professus.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur per legitime professum.*
2. *Habitus non facit monachum sed professio.*
3. *Sine professione nequit quis esse vere & proprie Religiosus.*
4. *Iure communi idem est verè & proprie Religiosus ac legitime professus. Quid item sit legitime professus.*
5. *Triplicem distinguit professionem P. Suarez, & n. 6.*
7. *An scholares Societatis per tria vota simplicia sint vere & proprie Religiosi.*
8. *Quæ professio scholarium possit dissolvere unionem quamcumque fecit Religiosus.*
9. *An admissio scholarium per vota simplicia ad Societatem sit vera & legitima professio.*
10. *Quandonam vere & proprie dicantur religiosi, & n. 11.*
11. *Quid veniat advertendum.*
13. *Quæ vota ex parte vouentis absoluta sint & perpetua.*
14. *Authoris iudicium admittitur, & n. 15. 16. 17. 20. 21. & seqq.*
18. *Vrbani VIII. sensus adducitur, necnon S. Thomæ, & n. 19.*
24. *Societatis institutum à Summis Pont. laudatum.*
25. *Quid Sacra Congreg. per Ly legitime professus intelligat.*

Ratio dubitandi sumitur † ex pluribus, quæ valde sunt consideratione digna respectu scholarium Societatis Iesu, qui post biennium nouitiatus tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis emittunt, insuper & ingrediendi Societatem in eaque perseverandi emittunt, isti enim vt determinat Gregor. XIII. duplici Bulla vna de anno 1582. incipit. *Quo fructuosus* altera de anno 1584. incipit. *Ascendente Domino*, sunt vere & proprie Religiosi, non secus ac ipsi, tum Societatis, tum quorumuis aliorum Regularium professi, atqui vere & proprie Religiosi constituuntur per professionem, cap. porrectum de Regular. vbi dicitur. † *habitu non facere monachum, sed professionem, &*

cap. Religioso de sententia excommunic. in 6. ait Pontifex. Is qui Religionem ingreditur Religiosus censeri, cum effectu non potest donec sit tacite, vel expresse professus, & Sixt. V. in sua Bulla edita an.... quia declarauit aliam Bullam suam de illegitimis, dicit, quia tunc vere & proprie Religiosi esse dicuntur, cum professionem emittunt.

Ex quibus deducitur, quod † sine professione nequit, quis esse vere & proprie religiosus ex iuris communis, & Bullæ Apostolicæ determinatione, & per professionem quis à nouitio secernitur & distinguitur, professionem enim nullam emittit nouitius etiam si tria vota castitatis, obedientiæ, & paupertatis emittat in manibus Prælati, qui ante annum completum nequit ea acceptare. Vnde † iure communi idem est vere & proprie Religiosus, ac legitime professus, & legitime professus est, qui tria vota substantialia in manibus Prælati post annum nouitiatus iuxta dispositionem iuris communis & Bullarum Summorum Pontificum, & constitutionem Ordinis approbati, emittit.

Propter quæ Pater Suarez to. 4. de Relig. tract. 3. cap. 5. quantum ad præsens atinet † triplicem distinguit professionem vna est, quæ tribus votis solemnibus celebratur, in hac acceptione, ait vtuntur iura & DD. Summique Pontifices in præfatis iuribus, & Bullis quarum temporibus, dum dicunt, quod professio constituit Religiosum, tunc enim (ait) nondum erat Societas approbata, ante cuius approbationem necessaria erat professio secundum illum Ecclesiæ statum, in quo alius modus non erat in vsu, nec approbatus. Vnde ante professionem non erat, quis verus Religiosus, sed quia Sixtus V. qui præfuit Ecclesiæ post approbatam Societatem Bulla Gregor. XIII. & ipse Sixtus dixit, quod tunc vere & proprie Religiosi esse dicuntur cum professionem emittunt, & scholares Societatis in forma, qua admittuntur ad Societatem, & illi se tradunt votis dumtaxat simplicibus, non dicunt se professionem emittere, sicut alij qui solemniter profitentur, sed tantum dicunt *voueo coram Sanctissima Virg.* quare iuxta determinationem Sixti V. ante Bullam Gregorianam isti scholares non videbantur fuisse vere & proprie religiosi, dicit Pater Suarez, quod professio sumitur latiori significatione prout iuxta suas constitutiones, & Canones Congregationis Generalium admissio coadiutorum formatorum dicitur professio, quæ etiam non requiritur (inquit,) vt quis sit verè professus.

Quare eodem capite 5. numero 2. ait. 6 *Potest tertio modo vox illa professio religiosa, generalius pro quacumque firma, ac stabili unione*

vnione cum Religione approbata per traditionem, & vota substantialia Religionis per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè admissam, & hoc modo dicendum est hanc scholarium admissionem esse veram professionem, ut ex dictis constat, sic etiam generaliter pro quocumque tempore, & tam de facto, quam de possibili, verum est per omnem professionem eiusmodi, & per solam illam verum ac proprium statum religionum constitui. Hæc ille, quæ in sequentibus confirmat, an solide? alij viderint.

7 Ex quibus tale sumitur efficax argumentum. † Scholares Societatis per tria vota simplicia sunt verè & propriè Religiosi, quorum admissio est vera professio, & legitima, cum per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè sit admissa, ergo continentur sub decreto Urbano, *de eiectione, & eiectionis*, consequentia est euidens, quia dicitur, *quod in posterum nullus legitimè professus eiici potest à Religione*, vel ergo hæc professio scholarium est vera, & legitima professio, & sic habemus intentum, vel non est vera & legitima professio, & sic scholaris hic vouens tria vota substantialia simplicia non est verus, & proprius Religiosus, quia quis Religiosus constituitur professione, nam *professio facit monachum, & non censetur quis cum effectu Religiosus donec sit tacite, vel expressè professus.* & rursus. *Tunc verè & propriè religiosus esse dicitur cum professionem emittit.* Vnde si ista est vera & propria, qui illam emittit verè & propriè atque legitimè religiosus dicitur & efficitur, si vero non est vera & propria & specifica professio, qui illam emittit ex vi professionis, & status non est legitimus, verus, & proprius Religiosus.

8 Rursus † hæc professio scholarium talis naturæ est, & institutionis, quod Religio potest illam dissoluere vnionem quamcumque, ipse Religiosus fecit, quam nequit Religio alia facere, nisi ad summum, (vt aliqui volunt) ex dispensatione Sedis Apostolicæ, quam non faciet Summus Pontifex nisi magna consideratione, & ex vrgentissima causa, quæ respiciat bonum commune Ecclesiæ, (vt etiam iidem ipsi fatentur,) quare religiosus status horum scholarium, non videtur eiusdem specificæ rationis, & immutabilitatis, ac status aliorum professorum, siue in Societate ipsa, siue in aliis ordinibus, & qua ratione obsecro potest esse status religiosus eiusdem rationis, ille qui solui potest taliter, quod ab illo solus licitè, & validè contrahat matrimonium, & qui ex natura sua non erat impedimentum dirimens matrimonium, nisi accederet indultum Apostolicum, cum illo Religioso statu, qui ex vi sua & dirimit matrimonium, &

incapacem facit cuiuscumque dominij, & proprietatis: etenim ex diuersis proprietatibus alicui rei connexis, rerum specificam differentiam colligit omnis antiqua & rationalis philosophia.

Hæc argumenta apud me tantæ sunt energiæ & efficacæ, vt existimem omnino falsum, quod dicit Pater Suarez, quod † admissio scholarium per vota simplicia ad societatem sit vera & legitima professio, quamuis sit vera, & legitima admissio ad societatem, quæ impropriè dicitur professio, hæc enim iuxta commune ius & Ecclesiæ traditionem reddit professum incapacem dominij, & inhabilem ad matrimonium cum sit traditio personæ totaliter dicatæ & mancipatæ diuino seruitio. Vnde radicem libertatis Deo consecrat, quam traditionem non faciunt totaliter scholares Societatis, & sic eorum admissio per tria vota simplicia, non est legitima, & vera professio, sed vt dicebam legitima admissio, quod hodie negari nequit, & impropria professio, quare huiusmodi scholares non sunt legitimè professi, & sic non comprehendit eos decretum Urbanum, sed possunt eiici & dimitti à Societate, non seruata forma Urbana.

Sed modo restat dissoluenda ratio dubitandi adducta, quia vt vidimus ex iure communi, & ex Sixto quinto, † tunc vere 10 & propriè religiosi esse dicuntur, cum professionem emittunt, quæ verba dixit postquam Gregorius XIII. in Bulla *ascendente Domino*, decreuit quod scholares per emissionem trium votorum simplicium fiunt vere & propriè Religiosi sicut professi, *tum Societatis, tum quorumcumque aliorum Regularium Ordinum*, atqui scholares non faciunt veram & propriam religiosam professionem. Ergo videtur, quod non sunt vere & propriè religiosi dicendi, quod dici nequit cum contrarium decernat Gregor. XIII. Respondetur, tamen horum Summorum Pontificum concordiam facilem esse. Nam Sixtus V. loquitur de iure communi, & de ratione Religiositatis & status Religiosi, quem agnouit vsus Religionum & status à tempore immemoriali agnitus in Ecclesia à tempore, quod Episcopus iure Ordinario, & Sedes Apostolica Religionem approbarunt, vsque ad tempus Pauli III. in quo confirmari incipit Societas, & sigillatius, & minutius confirmauit, & solidauit Gregor. XIII. Societati ob eius insignia merita valde affectus, qui speciali priuilegio voluit, quod etsi scholares Societatis non faciant veram ac propriam professionem religiosam, nihilominus 11 admissio in societatem per emissionem votorum simplicium fierent verè & propriè

Religiosi, & sic illis concessit exemptiones, fauores & indulta concessa omnibus professis, tum ipsius Societatis, tum aliarum Religionum, etsi illos non fecerit incapaces dominij, & proprietatis, fecit tamen quum diu sunt in societate inhabiles ad validè contrahendum matrimonium, dimissi vero, nisi sint insigniti ordine sacro innumeros agnoscimus matrimonio copulatos. Vnde Generalis ex causis sibi bene visis, ita dimitti & absolutos abire ille eos facit ad sæculum, ac si non fuerint verè & propriè Religiosi, nullumque votum emiserint.

- 12 Hoc enim † magna consideratione dignum est, etsi enim scholares vota simplicia faciant castitatis, obedientiæ, & paupertatis insuper perseverandi & ingrediendi societatem sub conditione, quandiu scilicet, non dimittantur à Generali, à Societate, qua admissione absolutus ab omnibus votis illæsus, qui eiicitur, vadit ad sæculum absque omni prorsus vinculo votorum, ac si ea non emiserit, & verè & propriè non fuerit Religiosus, matrimonium contrahat, ac si incapax non extiterit eius contractus. Fateor, quod huiusmodi vota & status religiosus sit conditionatus, quandiu quis est in Societate in aliquo gradu Religiositatis inter tot quos habet approbatus à sede Apostolica. Vnde tam in suis constitutionibus, quam in Bulla *ascendente Domino*, dicitur, quod *hæc vota simplicia ita fiunt in societate ab scholaribus, ut ex parte vouentis sint ex intentione se obligandi in perpetuum ad viuendum & moriendum in hac Religione sub obedientia eius, ex parte verò Religionis solum admittantur, acceptando traditionem, & obligationem ipsius vouentis, non tamen se obligando ad semper retinendum ipsum vouentem, aut vota eius, sed solum quantum Præpositus Generalis eos in Societate retinendos censuerit.* Hæc ex Suarez *lib. 3. cit. cap. 1. num. 6.* quod dilucidè explicat
- 13 *cap. 2. à num. 3.* Vnde † vota ista ex parte vouentis absoluta sunt & perpetua, sed ex parte societatis sub ea conditione quantum Generalis, tam vouentem, quam vota eius retinendum censuerit.
- 14 Fateor † hæc omnia satis prudenter, & politico-religiosè esse instituta à S. Ignatio Societatis fundatore, & ab eo præmeditata ad conseruandam puritatem, & ministrorum verbi Dei integerrimos mores, qui valdè necessarij sunt ad animarum profectum ob quos fines à Summis Pontificibus sunt confirmata, & institutum huius sancti Ordinis magnis priuilegijs exaltatum, & ob insignia merita in Ecclesiæ augmentum & ædificationem magnis honoribus eleuatum, & iure quidem optimo. Fateor etiam quod Doctissimus Pater Suarez meritissi-

mus societatis Alumnus *cap. 2. cit. à num. 3.* egregiè enucleat difficultates, quæ contra suum institutum quidam excitarunt, easque speculatiuè extricat & componit absolutiorem à votis simplicibus in dimissis, cum vera & propria Religiositate, quam habent, dum sunt huius societatis membra suo capiti Generali & corpori mystico communitatis vnita, hæc enim speculatiuè & pro aliquo societatis statu benè sunt propugnata, & vt propugnatio solida esset sat foret Apostolica confirmatio, à Sanctissimo viro instituta & præmeditata.

Cæterum † magna angor difficultate, & 15 velim, quod Sedes Apostolica ab Spiritu Sæcto directa moderamen poneret, vt dimissorum sic crescens numerus frangeretur & minueretur, & ne tot qui verè & propriè erunt Religiosi, & vera professione, (vt ait Suarez) Religioni vniti, dimissi sint imò facti vna caro cum legitimis vxoribus, quæ vnio vxoria horum dimissorum satis peruia est in vniuerso & magnam generat in fidelium mentibus admirationem, ne dicam scandalum, velim inquam ne isti dimissi multiplicarentur ex vi Religiosi facti & à vinculis vtorum absolutos illæsos ad sæculum abire faciat Pater Generalis, quod his temporibus in quibus primus ille feruor aliquatenus tepuit, exposcantur aliquæ vrgentissimæ causæ quas Sedes Apostolica exprimat & decernat, quas transilire nequeat Generalis, eiusque potestas limitetur, & coarctetur, ne ita crescat dimissorum numerus, quorum plurimi qui ob aliquam causam nõ nimis vrgentem dimittuntur, si in societate perseverarent pænitentia correcti, tum ipsi societati, tum fidelibus maximo essent adiumento in spiritualibus.

Inconuenientia Ecclesiastico-politica, 16 quæ ex hac ita peruia religiosorum exreligiositate & dimissione ad sæculum sine aliquo vtorum nexu, aut vinculo sequuntur, Ordinarij clamant, Capitula Ecclesiarum experiuntur, & mundus admiratur. Cur obsecro non expediet, quod Sedes Apostolica hoc dimissorum genus coarctet & limitet, atque reformet, si enim ferè omnes Religiones (vnam Carthusiam iure excipio) qui in primæua sui instituti obseruantia flourerunt, creuerunt, & fructus suauissimos in vinea Domini Sabbaoth protulerunt, & decursu tēporis ob inconuenientia, quæ fragilitate humanæ inconstantia visa sunt pullulare in rigore obseruantia tepuerunt, & declinarunt ab antiquo feruore, & Pontificia auctoritate à viris grauibus, & zelo disciplinæ instructis reformatæ sunt, temperamento apposito vt inconuenientia vitentur, & ordo ipse integer perseveret in rigore regularis disciplinæ, cui erit indecens, quod 17 ostium

ostium ad dimittendum apertum obseretur, & ocludatur? ne ita facile pateat, vt per illud, ad sæculum dimittatur qui Deo se perpetuo dicauit ne inter sæculares delicias, & negotia viuat, exreligiosus factus, ac si nunquam vere Religiosus fuisset, hæc enim ostij huius reclusio moderata satis conformis est tum monasticæ primæuæ, tum Ecclesiasticæ antiquæ disciplinæ, iuxta quam etsi aliqui à monachorum consortio expellerentur, tamen erat temporaliter, nec erat ita monachorum numerus magnus sicut modo est dimissorum à Societate, vñtatum etiã est, quod id quod pro temporum exigentia vñum Concilium rigide decernit aliud subsequens moderetur visis inconuenientibus & crescente multitudine, sic Concilium Anziranum *cap. 6.* & Nicænum *1. c. 12.* & Arelatense *2. cap. 12.* moderantur Concilium Eliberitanum *can. 1. de negando viatico Christiano sacrificanti Idolis*, quam reformationem pro temporum diuersitate declarat Innocentius *1. epist. 3. cap. 2.* vt notant Baronius *ann. 305. n. 40. & 43.* Bellarm. *lib. 2. de Imag. cap. 3.*

- 18 Et quidem non video, cur † Urban. VIII. in suo Decreto *de eiectione* moderamen posuerit, habenas cohibuerit, formam instituerit eiiciendi à Religionibus homines pessimorum morum, quos ex sufficientibus causis Superiores expellebant attendentes puritati religionis, & sanctitati, & bonæ opinioni ministrorum Euangelij (nec enim minus attendunt proximorum saluti ordines alij mendicantes) ne scilicet eiectionum numerus succresceret, & cura hodie dimissorum à Societate numerus in tota Ecclesia quasi sine numero succrescat, non sit cohibenda potentia Generalis? ne dimittat à vinculis absolutos ad sæculum tot, & tantos religiosos, qui se diuino cultui quantum est ex parte sua perpetuo dicarunt, & consecrarunt ex causa non admodum vrgenti, & quæ alio modo, quam dimissione præcaueri potest, & quæ temporis aliquali decursu, speciali cura, & remedio sanari queit, hæc enim dimissio dubio procul est magnum damnum spirituale, quia illa priuatur dimissus tot bonis spiritualibus, quibus fruitur alumnus societatis, dum illi est vnitus, & est veluti quædam excommunicatio, sicut de
- 19 expulsione loquitur D. Thom. † *quodlib. vlt. art. vlt.* de hac enim grauissime loquitur sacrum Urbanum Decretum §. 4. *Sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis quam profitentur nihil intentatum relinquunt, vt lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas antequam grauissimum atque extremum expulsionis remedium expe-*

riantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem qui ex malo negligentium, & sui officij immemororum Pralatorum regimine peribunt. D. N. Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Pralatorum manibus sit requisiturus.

Obsecro à viris cordatis, & animarum zelo præditis, vt præfata verba grauissima ponderent sine passione. Si sacra Congregatio expulsionis remedium ad cõseruandam religionis puritatem, & bonos mores ministrorum, & ordinis decus, dicit esse *grauissimum, & extremum remedium* ante quod nihil intentatum relinquere debent Superiores, cur non idem dicendum est de expulsionem & dimissione Religiosorum societatis, qui ex sua parte perpetuo sunt Deo dicati? isti enim cum ad sæculum redeant à vera religiositate sæcularibus negotiis se implicant sicut ante absoluti, & liberi ab omni religionis vinculo, quo se perpetuo vinciunt, & ligant, & cur expulsi ab aliis religionibus *grauissimum, & extremum remedium* patiuntur, nisi quia priuati consortio Religiosæ communitatis, & bonis, ex illo ipsis prouenientibus spoliatur, hoc idem spoliolum habent dimissi à Societate, imo multo maius, quia absoluuntur à consecratione illa quam acquisierant ex votis, quæ emiserunt, etsi simpliciter non solemniter, expulsi autem ab aliis religionibus manent ligati votis suis, etsi emendentur debent Superiores eos admittere, qua spe manent priuati dimissi à societate, vñde per dimissionem periculosius spoliolum patiuntur, & maius, ergo vt dimittantur grauissima exigitur causa, & hodie erat satis conueniens quod Pontifex eas causas assignaret, & formam dimittendi Generali præfigeret sicut præfixit aliis Religionibus, vt expellant & eiiciant.

Vrgetur † totum hoc motiuum ad reformatum modum istum eiiciendi à Societate, non dico ad reformatos mores, quia de hac reformatione non loquor, sunt enim valde Religiosi, quia etsi Pontifex possit (iuxta Caietani, & ipsis societatis omnium fere scriptorum sententiam) de Religioso solemniter professio facere non religiosum, & ad sæculum à religiositate absolutum illæsum abire facere, quia votum solemnem habet implicitam conditionem, nisi Pontifex ab vinculo illius absoluat, & religiositas solemnem tandiu sit tandiu Papa non manumittat, vt in libertate sæculari viuat, qui se Deo mancipauit, tanquam seruus in professione solemnem; tamen omnes quotquot scripsere adfirmant Pontificem hoc facere ex grauissimis, & vrgentissimis causis, motum, & raro hæc suam de plenitudine potestatis iurisdictionem exercuisse, imo forsan legitur quod exercuerit, vt faceret de religioso ve-

ro ac proprio non religiosum, imo votum de religione capeffenda, nisi ex eisdem grauissimis causis, & raro dispensat, similiter, & in voto castitatis absolutæ simplici, eadem difficultate absolute dispensat, vt praxis antiqua Ecclesiæ monstrat, & confirmat. Ius ergo ipsum quod Põtificem coarctat, ne vtatur sua de plenitudine potestate, expostulat, vt coarctetur potestas Generalis Societatis, ne ita ampla sit vt ex eo præcisè quod quis, qui aptus minister receptus est, factusque vere, & proprie Religiosus perpetuo ex parte sua per emissionem trium simplicium votorum, & ingrediendi societatem, factus est ineptus vel corpore, vel alio obstaculo, aut per crimina occulta, quæ scandalum non generarunt à vinculis votorum absolutus dimittatur illæsus ad sæculum, matrimonium contrahat, & cætera negocia sæcularia tractet, visis enim grauissimis inconuenientibus, quæ quotidie experiuntur ex huiusmodi facili dimissione à Religione sine votorum aliqua obligatione, & vinculo; æquum est, vt à Summis Pontificibus reformetur potestas Patris Generalis, & coarctetur, quam reformationem potestatis dimittendi possunt expostulare Principes sæculi à sede Apostolica tanquam suo regimini politico-Catholico valde conuenientem, vt à grauissimis Regiis Consiliariis audiui. Sic enim aliorum Ordinum instituta moderata sunt, & reformata à Pontificibus, quia visis inconuenientibus nõ poterant vt instituta sunt conseruari, leges enim tam ciuiles quàm canonicæ pro temporum varietate corriguntur, reformantur, derogantur, & immutationem recipiunt, & lex vno tempore erat proficua, in altero est nociua.

24 Hæc dixerim non damnans Societatis institutum toties à Summis Pontificibus laudatum, & iure optimo exaltatum, multotiesque à sede Apostolica confirmatum, sed propono inconuenientia quæ omnes fere agnoscunt hodie in tam facili dimissione, & quod pro causa non ita vrgenti grauissimum & extremum remedium dimissionis applicetur relictis aliis multis mediis, quibus animæ fratrum luctari possunt, quæ Pontifices possunt determinare pro sua desuper data sapientia, cui omnia quæ hic scripsi submitto, sicut & ea quæ in omnibus meis operibus dixi, & pronuntiaui.

25 Igitur † sacra Congregatio per Ly legitime professus, intelligit qui ordinis iure seruato professionem emisit siue tacite siue expresse iuxta Concilij Tridentini Decretum, & cuiusque Religionis approbatæ constitutiones, & statuta, ita ex Abbate cap. consanguinei. de re iudicat. Bertaz. de clausul. instrumental. clausul. 8. gloss. 6. Seraphinus decis. 290. numer. 2. & decis. 433. num. 6. docet Barbosa

tractatu de dictio. vsufrequent. dictio. 188. numer. 2.

SECTIO II.

De incorrigibilitate.

S V M M A R I V M.

1. *Quæ dicatur contumacia.*
2. *Voluntas rebellis & contumax, animusque obstinatus exigitur, vt ouis morbida ab ouili regulari expellatur ad sæculum.*
3. *Quis incorrigibilis dicatur.*
4. *Quæ incorrigibilitas exigat criminis replicationem.*
5. *Vnde eliciatur incorrigibilitas.*
6. *Quæ monitio atque iuridica punitio, vt pœna spiritualis inferatur à iudicibus Ecclesiasticis, trina debeat esse. & num. 7.*
8. *An si quis Religiosus atrox delictum committat semel duntaxat, de illoque maxime doleat, possit à iudice regulari puniri pœna corporali triremium.*
9. *Quid veniat aduertendum. & n. 10.*
11. *Variorum DD. sensus afferuntur.*
12. *Rebellis quis dicatur.*
13. *Authoris iudicium adducitur. & n. 15.*
14. *Nullus legitime professus potest expelli, nisi sit verè incorrigibilis.*
16. *Sacra Congregationis mens adfertur, & n. 23. necnon Gregorij IX. & n. 18.*
17. *Ouis morbida in scabie obdurata, & immedicabilis est eiicienda.*
19. *Antiquitus priusquam aliquis à Religione expelleretur multe præbant monitiones.*
20. *Boerij sententia propalatur.*
21. *Licet quisquam sit immersus frequentium grauiorumque vitiorum voragine, non est à monasterio reiiciendus, ex S. Isidoro.*
22. *Tripliciter potest dici quis incorrigibilis.*

DE qua plura multoties in meis libris publicauimus, sed quia eius vera intelligentia ad plurimas difficultates inter regulares extricandas valde est necessaria placuit à fundamentis eam enucleare. Et quidem supra, contumaciam, & incorrigibilitatem distinximus, vt verè distingui debent. Etenim † contumacia est à verbo *contumeco*, vel *contemno*, derivata & inobedientia voluntaria, qua quis non assentitur monitioni iudicis, aut dissentit alicui veritati reuelatæ, cui assentiri tenetur, vt notat Glossa cap. ex litteris verbo *contumaciter. de dolo & contumacia*, vbi in pluribus terminis iuris *contumaciam* explicat, sed omnes inobedientiam voluntariam inuoluunt, & sic contumacia, quæ requiritur, vt quis in hæresim prolabatur, & vt ligetur excommunicatione, aliave pœna, & censura Ecclesiastica, quæ contumaciam

ciam exigit, necessario exigit quod saltem virtualis sit inobedientia voluntaria, siue respectu iudicis, & Superioris imperantis, siue respectu assensus præceptuali cuius veritatis reuelata, vt latè ostendit Nicolaus Balde-
lus tom. 2. disp. 3.

2 Vnde cap. ea que de statu Monach. dicitur. *Ipsi visitatores, Monachos, quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ regulari censura percellant, & ouem morbidam eiciant ab ouili, ne inficiant oues sanas, &c.* Vbi voluntas rebellis, & contumax animusque obstinatus exigitur, vt ouis morbida ab ouili regulari expellatur ad sæculum, cui textui conformatur *Decretum Urbanum* requirens præter incorrigibilitatem iuridicam, animum obstinatum, contumacem, & rebellem. Hoc est quod D. Thom. 2. 2. quest. 186. art. 10. ad 3. loquens de religiosis, ait. *Si perueniant ad hoc quod ex contemptu peccent efficiuntur, & maxime incorrigibiles. Secundum illud Hieremi 2. confregisti iugum, dirupisti vincula, dixisti non seruiam in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Quibus verbis contumacem, & rebellem voluntatem enucleat, & explicat illis verbis, dixisti, non seruiam, etsi enim quis multoties dirumpat legum, & præceptorum vincula, iugumque regulare confringat, si tamen non dicat non seruiam non est contumax, & rebellis, vt illi pœna spiritualis qualis est eiectio à religione imponatur.

3 Incorrigibilis vero ¶ dicitur quantum at-
tinet ad propositum non ille, qui corrigi non potest, nullus enim est homo viator, qui à via sua mala corrigi nõ possit quantuncunq; sit degrauatus, & obstinatus, solienim damnati in hoc sensu incorrigibiles sunt. Quare in præfenti incorrigibilis est, qui suis malis moribus pessimis inclinationibus abstractus, & illectus, quasi ex quodam contemptu relabatur in crimina, & peccata à quibus non vult emendari, quamuis fraternaliter,
4 & iuridice corrigatur. Hæc autem ¶ incorrigibilitas secundum ius commune, exigit criminis replicationem, essentialis enim incorrigibilitatis conceptus, & primaria nominis notio est replicatio delictorum absque pœnitentia, & dolore, in eis perseverantia, imo vt iuridica sit incorrigibilitas requiritur quod delicta multiplicentur post punitionem, & pœnam à iudice pro illis illatam, vnde ad incorrigibilitatem iuridicam non sat est fragilitas prolabendi in peccata, qua, quis potest multoties prolabi in vnum vel diuersa crimina, sed consideranda est in foro externo obduratio, & perseverantia in illis committendis, quæ non constat nisi experientia comprobetur, vnde egregie Abbas Panormitanus ab omnibus receptus cap. cum non

ab homine n. 28. de iudiciis dixit. Quod ¶ in-
corrigibilitas elicitur non ex simplici iteratione delicti, sed præcedenti illo triplici pœnæ gradu per iudicem Ecclesiasticum, tunc enim in foro externo quis nititur contra Superioris officium, & in profundum deueniens contemnit eius præceptum, fitque plaga immedicabilis, & voluntas incurabilis. Ex quo fit (vt bene notant DD.) vt si quis millies in fornicationem aut aliud grauius peccatum sodomix inciderit, non tamè monitus aut punitus fuisset, non posset ex numero culparum iudicari incorrigibilis, quia omnia illa peccata antecedentia reputantur quantum ad incorrigibilitatem, vt vnum, cum numerus ad incorrigibilitatem necessarius, & requisitus à iure ex repetita monitione, repetitaque iuridica punitione crescat, vnde non sufficit, quod Superior tanquam Pater corrigat, & puniat, sed punitione per iudicem Ecclesiasticum multiplicari debet.

Hæc autem ¶ monitio atque iuridica pu-
nitio, vt pœna spiritualis inferatur à iudicibus Ecclesiasticis trina debet esse, & præcedere debet ad pœnam præfatam inferendam. Ita expresse habetur cap. cum non ab homine de iudiciis, vbi eleganter Glossa verb. post modum versic. vbi vero, & Glossa cap. cum non ab homine de sent. excommun. verb. contempto. vnde quis non iudicatur incorrigibilis in iure nisi correctus ter non emendetur, nam semel atque iterum si correctus non corrigatur, fragilitati, negligentix, & ignorantix, etsi culpabili potest attribui, si tamen tribus vicibus, duritiem, & obstinationem denotat, ex hoc enim numero in iure vtroque satis visitato iudicis patientia, & charitas, & rei obstinatio, & incorrigibilitas designatur & præsumitur præsumptione iuris, & à iure, quod quis incorrigibilis existat, dicitur enim in iure quis incorrigibilis, qui sæpe monitus, & punitus relabatur, sæpe autem non fit aliquis actus nisi tribus vicibus replicetur leg. veluti §. fin. D. de edendo leg. seruus. C. de vi publi. cap. si quis erga 10. quest. 7. vbi Glossa, & quamuis aduerbium sæpe verificetur in duobus actibus leg. iuxta leg. liberorum D. de verb. signific. cap. consideres. de panit. dist. 5. tamen regulariter tres actus requiruntur, quamuis vt notant Rebuff. leg. sæpe 53. de verb. signific. Martha de iurisd. p. 2. cap. 23. num. 17. quot actus requirat aduerbium sæpe iudicis arbitrio relinquunt, quod ego intelligo in ordine ad pœnam temporalem, & corporalem inferendam, ad quam Parlamētum Parisiense duas punitiones iuridicas, dumtaxat dicit sufficere, vt post illas clericus tradatur ob graua crimina brachio, & curiæ sæculari, quod refert Clarus Alexand. §. final. quest. 36. & ibi eius additionatores, at
vero

vero vt quis dicatur incorrigibilis in ordine ad pœnam spiritualem triplicem requiri monitionem, & punitionem iuridicam. Ius Ecclesiasticum passim proclamat. Legendi sunt Sayr. *decensur. l. 5. c. 21. n. 37.* Graffis *1. p. decis. lib. 2. cap. 24. num. 19.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 9. num. 4.* vbi plures citat.

8 Ex qua doctrina valde confirmatur id quod in superioribus probatum relinquimus videlicet, quod si quis religiosus atrox delictum committat semel dumtaxat, de illoque maxime doleat, potest à iudice regulari puniri pœna corporali triremium, aut carceris perpetui, non tamen potest expelli à religione, nisi sit incorrigibilis incorrigibilitate requisita iure triplice præeunte monitione iudiciali, & triplici etiam punitione formato iuridico processu. Videant ergo Regulares quantum pondus grauitatis sit processus criminalis contra Discipulos formatos in archiuio, & prothocollo domus conseruare, quia nisi iuridice constet aliquem esse monitum, & punitum iuridice formato processu triplici, nequit iste talis iuste eiici à Religione, quia sententia de eiectione debet esse pro incorrigibilitate, quæ secundum ius canonicum non existit, nisi reus à iudice trina monitione moneatur, & triplici sit punitus pœna, quod in actis processus ad eiectionem constare debet, aliàs nulla est sententia, Innocentius *c. 2. de libell. oblat.* Ioannes Andreas *in additio ad Speculator. tit. de sent. Prælat. verb. si iudex Abbas cap. illa propositorum de accusat.*

9 Hæc de incorrigibilitate secundum ius canonicum commune, nam si sit aliquod ius municipale, & statutum alicuius Religionis confirmatum à Sede Apostolica iuxta illud explicanda est incortigibilitas, verum si aduertendum est, quod si hoc statutum confirmatum est ab Apostolica sede ante Decretum Vrbanum iam euauit, & abrogatum est, ipso Decreto, & incorrigibilitas decernenda est iuxta iuris canonici sanctiones, & insuper addenda est forma de nouo introducta ab ipso Urbano VIII. cuius particulæ explicamus sigillatim, quod secus est si statutum post hoc Decretum sit confirmatum.

10 Modo restat expugnandum dubium quod quidam iuniores excitarunt, an stante hac doctrina de incorrigibilitate iuridica tam iure communi quam iure nouo Urbano, sufficiat incorrigibilitas *de facto*, quæ in hoc consistit quod quis sit peruersæ naturæ, pessimarum inclinationum, moribus perditissimus, inquietus, litigiosus, multis, & grauibus delictis complicatus, de quo fere nulla est spes emendationis, tamen Superiores sine formatione triū processuum, triumque monitionum, & punitionum iuridicarum,

ipsum paternalibus correctionibus, & reprehensionibus, pœnitentiisque regularibus contenti, nulla interposita sententia ipsum cohibuerunt, sine fructu tamen, quia propter peruersam naturam, morésque malignos, incorrectus perseuerat, an inquam iste talis vnico dumtaxat formato processu de moribus, & vita, possit seruata tamen forma Vrbanæ de anno carceris expelli à religione.

Ante Decretum Vrbanum adfirmarunt si Rodriguez Senior *tom. 1. quæst. 30. art. 2.* Miranda *tom. 1. quæst. 52. art. 2.* Portel *verb. eiicere num. 1. versic. tertio nota* Alphonsus de Leone *Recollect. 6. num. 314. & 313.* Sanchez *lib. 6. sum. cap. 9. num. 4.* Additionator ad Bernardum Diaz *in praxi cap. 140. §. incorrigibilis* Clarus Alexand. *§. fin. quæst. 36. num. 3.* Sed post Decretum Vrbanum idem defendunt Rodriguez Iunior *Resol. 57. num. 2.* Sanctorius de Melphis. *de pœnis cap. 19. pag. mihi 247.* Peyrinis *tom. de subdit. quæst. 1. cap. 25. dicto 3.* Quod sic Sanctorius confirmat, quia pecus morbida eiicienda est, antequam alias inficiat, & hic est scopus sanctorum Canonum. Neque enim ita adhærere debemus litteræ legis, vt contra legis voluntatem nitamur. Trina autem monitio non est de forma legis, adeo vt ea non seruata actus corruat, sed datur ad solemnitatem experimenti, at cum tale experimentum cumulatissime habeatur sine tali solemnitare, & notorium sit hunc esse pestilentem, non est necesse, vt illud aliunde venemur expectando trinam monitionem, colligiturque ex multis delictis ob quæ si semel committantur potest clericus, & religiosus triremibus adiici, ac etiam degradari, & brachio sæculari tradi, vt est homicidium qualificatum crimen læsæ Maiestatis, diuinæ, & humanæ, Sodomia, & multa alia, rursus contumax, & rebellis potest expelli *cap. fin. de stat. Monach.* Rebellis autem est si qui obedire detrectat, & potest esse talis etiam si ter non fuerit per interuallum trium sententiarum punitus, & manet in suis delictis vel ob imprudentem Superiorum pietatem, vel ob timorem fœminilem, vel ob ignorantiam conficiendi processum, adeo tamen eius pestilens contagium, & scandalum creuit, vt moraliter videatur necessarium ipsum à consortio regulari eiicere, & expellere, probata vnico processu eius incorrigibilitate, sicque in carcerem detrudi iuxta nouam formam Vrbanam ad effectum expulsionis.

Verum enim vero stante, vt stat in praxi, Urbano Decreto, si hanc sententiam omnino impracticabilem iudico, & conuincor hoc discursu; quia vel trina iuridica per tres sententias data monitio, & punitio, ob idem repetitum

repetitum delictum, vel æquale, vel grauius requiritur iure communi ad effectum expulsionis, quæ est grauissima pœna spiritualis, vel hæc trina iuridica monitio, & punitio non exigitur iure communi, si dicas primum, manifestum est quod nisi præcedat, sententia expulsionis nulla erit, quia eam exigit tanquam formam Urbanum Decretum §. 4. ibi. † *Nullus legitime professus potest expelli nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublati hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque religionis, & ordinis etiam à sede Apostolica approbati, & confirmati, &c.* pondere. Ly *vere incorrigibilis.* Veritas autem ista est veritas iuridica, quæ sita est in experimēto sumpto, ex triplici sententia data pro delicto triplicato punito, vbi autem non est triplex hoc experimentum, non est quis vere incorrigibilis iuridice, si vero dicatur, quod ex iure communi non requiritur, vt quis sit vere incorrigibilis, trina hæc punitio, & monitio iudicialis ad effectum expulsionis à religione, est contra omnes quotquot scripsere iuris canonici interpretes, cum Panormitanus *cap. cum non ab homine cit.* Quamuis enim ad pœnam corporalem sufficiat atrocitas delicti ob cuius publicam vindictam imponitur, non tamen ad expellendum à Religione, & priuandum expulsus à consortio, & priuilegiis religiosis concessis, nec enim à pœna corporali ad spiritualem arguendum est, vt egregie adnotauit D. Th. *quodlib. vlti. art. vlt.*

15 Amplius † et si ad incurrendam excommunicationem, aut inobedientiam quæ nõ incurritur nisi ob contumaciam ab homine, sufficiat vna pro trina monitione datis interuallis pro qualibet monitione, quãdo necessitas id exigit *cap. nemo 2. quest. 1. cap. sacros. de sententia excomm.* vt late Syluester *verbo excommunicatio. 1. num. 12.* Summa Raymundi *lib. 3. tit. 31. cap. 56.* tamen hoc ita contingit, quia ius canonicum ita determinat, quã limitationem non facit respectu trinæ punitiois, & admonitionis iuridicæ quæ requiritur ad veram incorrigibilitatem, cum enim hæc monitio, & punitio Iudicialis requiratur à iute, vt frater corrigatur, & emendetur, nisi intercedat interuallo in vnam, & aliam posito, non sumitur experimentum iuridice sufficiens, vt quis iuridice iudicetur vere incorrigibilis, & sæpe contingit quod vna iudicialis correctio, & punitio coerceat, & reprimat ad componendos mores, multo magis quam plures monitiones fraternæ, & paternaes, & regulares pœnitentiæ extra ordinem iudicalem datæ, quod experientia compertum est.

Præterquam quod sic ligantur affectus odij, & zeli indiscreti qui multoties viget in superioribus qui moti talibus affectibus mores, & vitia exaggerat, & facile inueniunt sibi subditos assentientes, & testificantes aliquem esse dignum, vt vno dumtaxat processu formato, recludatur in carcere ad effectum expulsionis, qui si trina monitione, & punitioe iuridica corrigeretur non vere esset incorrigibilis. Hoc enim est quod sapienter, & prudentissime † sacra Congregatio §. 4. *in fine, monet serio Religionum Superiores ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinũ quæ profitentur nihil intentatum relinquunt, vt lucrentur animas fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas antequam grauissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur.* Et quomodo obsecro circa hunc religiosum graphice descriptũ à Rodriguez, & Peyrinis, in profundum malorum delapsus, nihil intactum relinquunt Superiores, si ante triplicem punitioem triplici sententia datam, vnico dumtaxat formato processu ipsum à Religione expellunt post annum carceris elapsus? ipsi auctores contrarium sentientes iudicent.

Ex quibus corruunt absque molimine fundamenta opposita, finis enim motiuus sacrorum Canonum, est vt † ouis morbida, quæ in scabie est obdurata, & immedicabilis, & vere incorrigibilis ab ouili regulari eiiciatur, ne alias suo contagio inficiat, tamẽ prius vult, vt experimentum de insanabilitate, & incapacitate correctionis sumatur, non quomodocunque ex notorietate criminum, & pessimarum inclinationum, & morum corruptorum, sed ex triplici monitione iuridica, & punitioe dimanante à Decreto iudicis ex triplici sententia, & aliter experimentum quantum ad effectum expulsionis non est adæquatum, & sufficiens, nec subsistit contumacia, & inobedientia, quam ius canonicum exigit ad expulsionem ab ordine, quamuis si crimina grauia sint, sufficiat vnus processus ad infligendam pœnam corporalem vel tririmum, vel carceris perpetui vel ad longum tempus, quod minus aduerterunt DD. contrarij confundentes pœnam corporalem, cum expulsionem cum sit vtriusque diuersa ratio.

Hinc enim ego singulariter intelligo *cap. ne Religiosi 24. de Regularibus*, vbi Gregor. IX. determinat quod † *religiosi eiecti requirantur solite annuatim, & in carceribus ad agenda pœnitentiã recludantur*, quod caput corrigit *cap. cum ad monasterium. 6. de stat. Monacho.* vbi Innocent. III. dicit. *Expellendum esse à Monasterio regulari monitione præmissa religiosum proprietarium, nec ulterius recipiendum nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.*

plinam. Hæc inquam determinatio Innocentij, visis inconuenientibus, quæ ex illa quotidie oriebantur, multi enim se proprietarios faciebant, vt expelleretur ad sæculum, & sic ex delicto leuamen à regulari pœnalitate accipiebant, correctæ est à Gregor. IX. decidete, quod isti eiekti in carceribus recludantur, vt bene aduertit Panormitan. *cap. cum ad Monasterium cit. num. 13.* non enim eiektio ista erat absoluta, & remota nec facta cum obseruantia iuris communis, sed iuxta speciale horum sanctorum dictamen, quod tunc temporis sanctissimum, & prudentissimum erat, visis tamen, vt dixi grauibus inconuenientibus, quæ ex huiusmodi non iuridica, sed regulari dimissione oriebantur, eam præclufit, & correxit Gregorius IX. & ad terminos iuridicos reduxit, vnde D. Thom. *quodlib. cit. D. Bonauent. super Regulam quæst. 14. Syluester verb. Religio. 6. quæst. vlti.* & antiquiores Canonistæ solum propter incorrigibilitatem, dixere posse à Religione aliquem expelli.

Antiquitus enim primi Religionum fundatores, vt August. *cap. 20. Regule* & S. Benedictus *cap. 28.* † etsi priusquam aliquis à monasterio, & fratrum consortio ad sæculum expelleretur, multæ præirent monitiones, & correctiones, vt experimentum de eius corrigibilitate, aut incorrigibilitate sumeretur, vt refert doctissimus Estenius *l. 8. disquis. Monasticarum disquis. 6.* vbi septem adnumerat gradus per quos deducendus est monachus priusquam expellatur, tamen gradus isti correctionis, & punitionis non erant iuridici, & per sententiam designati, sed ad Abbatis dispositionem, qui paterno affectu sic curabat infirmum, iuxta Sanctæ Regule dispositionem, etsi paternaliter correctus non emendabatur, à Religione expellebatur assumpta hac expulsionem tanquã medio correctionis, vnde hæc expulsio monastica erat non iuridica, & canonica, sicut dum S. Benedictus excommunicari iubet aliquos delinquentes de excommunicatione Monastica loquitur non de excommunicatione Ecclesiastica, & canonica, vt supra docui, & expresse dicunt S. Hildegardis *in cap. 23. Regule Sanctæ*, & constitutiones Camaldulensium à Pio V. confirmatæ. Igitur *cap. cum ad Monasterium*, loquitur de expulsionem Monastica, & *cap. fin. de Regular.* illam limitat, & vult quod non fiat, sed quod ille qui eiici eiektionem monastica meretur, in carceribus recludatur, vt ibi pœnitentiam agat securius de salute sua.

Hoc est quod † Boërius *ad cap. 29. Regule Sanctæ*, qui scripsit *post cap. final. cit.* dixit, oportet supplere hodie vbicunque inuenitur in Regula monachus proiciatur, vel expellatur à Monasterio idest retrudatur in

ergastulum siue in carcerem, siue in aliud monasterium pro agenda pœnitentia transmittatur. Vnde quod hic dicitur de non recipiendo fugituo vltra tertiam vicem intelligi de communi consortio, sed bene ad ergastulum, quod bene intelligunt Petrus Cluniacens. *lib. 1. epist. 28.* suum defendens institutum de recipiendis toties quoties fugitiuis, & Apostatis Petrus Blesensis *epist. 88.* Bernard. *epist. 102.* hoc est quod dicebat S. Isidorus lumen clarissim. Hispalense in Regula *cap. 26.* quamuis † frequentium, grauiorumque vitorum voragine sit quisquam immersus non tamen est à monasterio reiciendus, sed iuxta qualitatem coërcendus, ne forte qui poterat per diurnam pœnitentiam emendari dum proicitur, ore diaboli deuoretur, loquitur enim Sanctus Doctor, de dimissione, & eiektionem Monastica tunc temporis in vsu, quæ correctæ est per eiektionem iuridicam pro incorrigibilitate secundum ius canonicum, quæ eiektionem iuridicam grauissima pœna est, sicut etiam erat expulsio Monastica, de qua Cæsarius Arelatens. *Homil. 3. ad Monachos*, sic fatur. *illis ipsis qui grauius apud nos delinquent nullam tristiore, nullam acerbiores possumus inuenire sententiam, quam à corpore congregationis abscissi sine pace discedant.* Hæc ibi videant obsecro, & considerent quam pœnam imponunt ei quem expellunt, & dimittunt ad sæculum cogentes, vt à corpore Congregationis abscissus discedat, nulla tristior, nulla acerbior est, quod infra enucleabo. *Resol. penult.*

Noto circa id quod dicit Thom. Sanchez quem multi sine delectu, & disquisitione sectantur, asserit enim *ubi supra n. 4.* quod † tripliciter potest quis dici incorrigibilis, atque de eius emenda iure optimo desperari primò cum in criminibus perpetratis obstinatus, obduratus, aut obcæcatus perseuerat. Secundò, quum ter monitus non desistit à perpetrandis delictis similibus æque grauibus aut grauioribus. Tertiò, si assignatum pœnitentiæ locum deserat fugiendos, isti tres incorrigibilitatis modi non omnes sunt sufficientes ad expulsionem à Religione; sed solum secundus qui est iuridicus, vt vidimus, primus enim est incorrigibilitas theologica quæ vt probatum est non sufficit ad expellendum ab ordine. Tertius vero est incorrigibilitas præsumpta præsumptione humana prudenti, prudens enim iudicium est quod quis non vult se corrigere dum designatum locum ad satisfaciendum pro delictis in pœnitentia, fugit, & vagatur, hæc tamen fuga non sufficit, vt propter illam quis vt incorrigibilis à Religione iuridice expellatur, vt enim refert Peyrinis *tom. 3. priuilegior. fol. mihi 563. colum. 1. in magnis. Generalis*

lis Minimorum supplicauit à Sacra Cōgreg. Concil. quatenus declarare dignaretur, an carceratus ad expulsionem, & intra annum fugam arripiens debeat declarari incorrigibilis, etiam si annum non expleuerit, & Sac. Congreg. sic. † *Legitimè professos non posse à Religione eijci nisi postquam per annum integrum in carceribus in ieiunio & pœnitentia detenti & probati fuerint, & eo elapso non requiruntur. Fugientes verò à carceribus etiam pro huiusmodi fuga delicto esse puniendos, & posse ferrea custodia in carceribus detineri.* Hactenus declaratio satis clara, non tamen seuera, vt vult Sanctorius *vbi supra pag. 252.* sed satis prudens, vt negotij expulsionis grauitas exigit. Quomodo autem huius anni incarcerationis debeat intelligi. Iã explico.

SECTIO III.

Qualiter annus carceris sit computandus.

S V M M A R I V M.

1. *Annus carceris est computandus iuxta suppositionem Gregorianam.*
2. *An nullus Religiosus possit expelli nisi post annum integrum.*
3. *An annus carceris sit computandus de die in diem.*
4. *An annus probationis in carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum.*
5. *An annus carceris debeat esse continuus.*
6. *Annum carceris debere esse continuum, & non sufficere interpollatum qui sentiant.*
7. *Ratio difficultatis assertur.*
8. *An si incarceratus ad effectum expulsionis in grauem incidat infirmitatem & curationis gratia à carcere extrahatur, si infirmitate correctus non emendetur, possit iterum ad carcerem reduci.*
9. *Authoris iudicium, necnon variorum DD. sensus adducuntur. & n. 10.*
10. *Decretum Urbanum requirit tanquam formam ad expulsionem celebrandam annum carceris continuum.*
11. *Annus carceris requisitus tanquam forma à decreto Urbano, duo dicit, & n. 13.*

A Nnus iste † computandus est iuxta suppositionem Gregorianam quæ incepit anno 1582. à quo Pontifex decem abstulit dies, quorum defectus non impedit quominus talis annus sufficiens esset ad ætatem requisitam vt quis obtineat officia, beneficia, suscipiat ordines sacros, aut integrum nouitiatus annum aut pœnitentiæ, exilij, carcerationis, & similibus expleat, verum est quod quum annus est complendus à momento in

Tom. II.

momentum in anno bissextili duo dies pro vno reputatur vt vigesimus quartus, & vigesimus quintus Februarij, in vtroque enim dicitur in Martyrologio *sexto Kalendas Martij* in pœnalibus vero cū pœnæ sint restringendæ, hoc non tenet verum, in his enim annus solaris sufficit impleri, & sic est in anno carceris requisito ab Urbano VIII. ad expulsionem. Non tamen assentior Sanctorio, *vbi supra pag. 254.* vbi dicit, quod ab hoc anno requisito carceris ad expulsionem si deficiat hebdomada, mensis & dies antequam compleatur si præcessit trina punitio & monitio iudicialis potest quis tanquam incorrigibilis expelli. Hæc inquam sententia mihi nullatenus arridet, nec iudico posse praticari, tum quia declaratio Cardinalium adducta dicit, quod † non potest expelli nisi post annum integrum, hæc autem declaratio authentica est, cum eam adferat Doctissimus Peyrinis sciens nullius esse ponderis, nisi data & publicata sit iuxta Urbanum decretum editum circa declarationes Cardinalium, tum ex ipso decreto Urbano *de eiectis* dicente *non esse vere incorrigibilem nisi vnus anni spacio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus*, alit vnus anni spaciū annum integrum in iure denotat, & quamuis non sit de momento in momentum intelligendus, at mihi indubitatum est, quod sit computandus à die in diem, assignatur enim à Sede Apostolica tanquam præuium tempus in quo sumatur experimentum de emendatione, priusquam grauisimum, & extremum remedium expulsionis in pœnam incorrigibilitatis applicetur, quare dubio procul integer in diebus debet esse, cum sit assignatus in fauorem rei incarcerati, & valdè cōtingens est, quod id quod non contigit in toto anno, in vltimo die contingat, & in illo contumaciã deponat, & capax reddatur correctionis & pœnam, quæ nulla tristior, aut acerbior est fugiat, & non eiiciatur.

Ob quod mihi satis probabile est, & iuri conforme, quod † annus iste probationis in carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum, vt communis certaque sententia tenet de anno probationis in nouitiatu, ad professionem emittendam, sicut enim iste datur ad experiendum nouitio, an sibi conueniat Religio, & an isti nouitius conueniat, ita annus incarcerationis ad effectum expulsionis datur ad experiendum, an reus contumaciam deponat & reddatur capax correctionis, quod potest contingere in vltimo momento, & vsque ad illud desperandum non est cum nihil intentatum omittere debeant superiores, vt animas fratrum in profundum delapsas delictorum, lucrentur.

5 Sed est dubitatio grauis circa hunc integrum annum, † an debeat esse continuus, ita vt non sufficiat si interstitio aliquo interpollatur, & discontinuetur, verbi gratia, quis mittitur in carcerem incorrigibilitatis experiendæ causâ; post aliquot menses carceris ab illo educitur, & post semestre iterum incarceratur vsque ad annum computatis prioribus mensibus, an iste annus sufficiat, alicui videri poterit non requiri hunc annum continuum esse, sed sufficere interpollatum, vna, vel pluribus vicibus, quia *lex Paulus. 38. §. 3. ff. de libera causa.* dicitur quod *si alicui sit relicta libertas, ea conditione, vt triennio continuo seruiret, si seruiat triennio interpollato debetur ei libertas.* Vnde Iason, *leg. si idem num. 7. ff. de iurisd. omn. iud.* dicit, quod si sit statutum disponens, quod detentus in carceribus per annum liberetur, liberabitur, qui duplici semestri interpollato fuit detentus, in rebus enim fauorabilibus non est necessarium tempus esse continuum, sed tempora interpollata fauore ipso coniunguntur, & coaceruantur, vt bene Baldus *leg. non solum. ff. de excusat. tuto.* cum ergo hoc decretum editum sit, tam in fauorem Religiosi expellendi, quam Religionis expellentis, vt bene aduertit Sanctorius, annus sufficiat, quod fiat interpollate in carceribus.

6 Cæterum † annum debere esse continuū & non sufficere interpollatum sentit Sanctorius *cap. 19. de pœnis pag. 251.* quia, vt bene dicunt Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 4. n. 31.* Portel. *verb. annus n. 4.* Bertachinus *verb. Annus & verb. præscriptio.* Glossa & alij Canonistæ, late Gutierrez *lib. 1. Canon. questio. cap. 12. num. 24.* Quoties in lege aliqua, aut decreto, absolutè tempus aliquod exigitur id necessarium debet esse continuum, sic intelligitur Trident. *sess. 25. de regular. cap. 15.* vbi annus integer nouitiatus requiritur, & communis certæque sententia est, quod requiratur continuus. Cum ergo decretum Vrbanum dicat, quod eiiciendus vnus anni spatio in carceribus detineatur, & sacra Congreg. dicat per annum integrum, non videtur dubitandum, quod sit futurus continuus, & † ratio videtur satis efficax, quia sicut annus nouitiatus præscribitur, vt nouitiis perfecte asperitates Religionis experiatur & inter alia non infirmum locum tenet eas asperitates, sine intermissione perferre, multo enim difficilius est multoque magis macerat & affligit continua quadraginta ieiunia perferre, quam interpollata. Ita annus carceris designatus ad effectum expulsionis à decreto Urbano, eo designatur, vt incarceratus pœnalitatem sentiat carceris ieiuniorum, & aliarum afflictionum, quæ ibi assignantur, si autem annus iste interpol-

letur interpollatione ipsa frustratur finis decreti scilicet, quod maceratione carnis spiritus corrigatur & emendatur, siquidem extra carcerem positus non affligetur, vt decretum intendit.

Hæc sententia absolute loquendo mihi 8 certa est ob eius fundamentum, dixi absolute loquendo, quia † si incarceratus ad effectum expulsionis in grauem incidat infirmitatē, & curationis gratia à carcere extrahatur, si infirmitate correctus, nō emendatur, dubio procul potest iterum ad carcerem reduci, & anno etsi interpollato completo eiici potest, infirmitas enim carcerem non discontinuat, sed loco illius substituitur.

Addo, quod cum † annus iste debet esse 9 carceris inclusi & oclusi si carcer apertus sit & liber, vt possint illuc accedere amici ad confabulandum & recreandum incarcerationum, & iste multoties superioribus conuenientibus de carcere ad claustra & hortum exeat, anno transacto in hac lassitudine & ostio aperto, nequit eiici à Religione iuxta Vrbanam formam, quæ rigorem carceris exigit, vt ipso rigore correctus, simul in ieiunio, & pœnitentiâ emendetur, & capax efficiatur, & incorrigibilitatem animique durtiâ deponat, si vero amicus, aut pater spiritalis, & grauis illuc continuo introducatur, vt ipsū incarcerationatū persuadeat ad deponendam contumaciam, & vt emendetur, aut de licentiâ custodis pro paruo tempore vna, vel altera vice exeat, & redeat ad reclusionem, & non sit fugæ prudēs timor annus incarcerationis nō discontinuatur ad effectum expulsionis, quia parū pro nihilo reputatur, & parua relaxatio, non relaxatio dicenda, quia de minimis non curat Prætor, quod bene in specie carceris adnotant Abbas *cap. accedens de procurat. Marsil. in praxi verbo carcer. §. attingam n. 24.*

Quamuis enim tempus petitū ad aliquem 10 actū petatur tanquā forma. *Auth. quæ supplic. C. de precibus Imp. offerend.* Iuncta Glos. *verb. forma.* quod docent Bald. Salic. & Ias. *ibi. Reb. tr. nomin. q. 14. n. 6.* Tiraq. *de retract. lignag. §. 3. glossa 4. n. 3. & 4.* quos citat & sequitur Sanch. *vbi supra n. 32.* omissio autē famæ etiā in minimo vitiat actū, vt late probat Tiraq. *tr. de iud. in reb. exiguis n. 12.* vnde † cū decre- 11 tū Urb. requirat tanquā formā ad expulsionē celebrandā, annum carceris continuū, minima eius relaxatio vitiat actū expulsionis, sed respondetur hanc doctrinam veram esse, quia sine forma præscripta, cum consistat in indiuisibili, non obseruata etiam in minimo, actus non subsistit, quia forma est esse rei, & nulla res sine suo esse subsistit. Cæterum † annus carceris requisitus tanquam 12 forma à decreto Urbano, duo dicit, & quod sit annus continuus carceris, & hic est

est forma actus expulsionis, & quod sit carcer inclusus, & oclusus, & hæc reclusio non debet esse continua, ita ut si pro paruo tempore ob aliquod motuum non malum incarceratus permittatur egredi ab ergastulo, quod carcer discontinuetur quātū ad effectū expulsionis, nam incarceratus dicitur si ita detineatur intra claustra, ut non fugiat, & ita carcere maceretur, ut carceris relaxatio non sit impedimento, ut rigore eius possit quis corripi, & emendari, quare etiam si pro paruo aliquo tempore de reclusione carceris exeat, ostio eius aperto, incarceratus dicitur semper, etsi non dicatur reclusus, & Decretum annum carceris exigit tanquam formam expulsionis, non tamen annum reclusionis in carcere, quare si reclusio pro aliquo paruo tempore relaxetur non vitatur forma requisita ad expulsionem.

13 Circa ieiunium & pœnitentiam, quam in carcere debet facere, nihil speciale occurrit dicendum, quia nihil in speciali determinat Decretum, sed quot ieiunia, quas pœnitentias esse imponendas arbitrio prudentis, & pij Superioris & iudicis relinquendas arbitror attentis circumstantiis personæ, ætatis, salutis, debilitatis virium, & similibus, legendus est Sanctior. de Melphis p. 2. de pœn. cap. 19. pag. 251. vers. Respondeo 3.

SECTIO IV.

Qualis carcer debet esse?

S V M M A R I V M.

1. Carcer importat priuationem libertatis in usu membrorum corporis sine violentia membris adhibita.
2. An quis possit se vel alium addicere carceri.
3. Quid ex præmissis veniat colligendum.

Latus & spatiosus floribus eruditionis Ecclesiasticæ campus se offert non parum utilis ad antiquos Conciliorum canones, & Sanctorum Patrum locutiones enucleandas, in quo aliquantulum spatium non erit iniocundum, ut fructus ex floribus istis dulces, & suauolentes carpantur ad operis exornationem, & pulchritudinem, ego enim quātū locus Theologiæ moralis permittit lectoribus meis album panem pinso, & farinam candidā à furfure secerno, quantum datur desuper à Patre luminum.

Ansam & motuum dicendorum, mihi obtulit doctissimus Syluest. verb. carcer. n. 1.

1 & q. 1. † Carcer (inquit) importat priuationem libertatis in usu membrorum corporis sine violentia membris adhibita, & sine custodia viua, sicut ligatio, aut compeditio importat idem cum violentia, & captiuatio cum custodia viua. Pri-

Tom. II.

mo vero queritur † an quis possit se, vel alium addicere carceri? & dico quod potest quis se facere includi in arcto carcere ad pœnitentiam agendas secundum Panormit. cap. veniens. de regularibus, & cap. illo. & cap. verè. 16. quæst. 1. Alium autem incarcerare secundum S. Thom. 2. 2. quæst. 65. art. 3. licet solum secundum ordinem iustitiæ, scilicet ad pœnam vel cautelam mali vitandi, & hoc per iudicem solum, quia licet cuilibet liceat alium detinere ad horam ab aliquo illico statim perpetrando, sicut ne percutiat alium, vel se precipitet, tamen simpliciter alium includere, vel ligare ad eum pertinet solum qui habet vniuersaliter disponere de actibus, & vita alterius.

Ex quibus verbis † plura eruditionis motiua colliguntur, & antiquitatis inquirendæ, & ad casus morales decidendos: Primum, quid proprie sit carcer, & quot modis dicatur. Secundum, quid olim inclusorum ordo & institutum. Tertium, quid antiquitus reclusio in monasterium. Quartum, an reclusio in monasterium infamiam, aut aliam inhabilitatem ad Ecclesiasticos gradus inducat?

S V B S E C T I O. I.

Carceris Ethymon, notio, multiplex significatum, & acceptio?

S V M M A R I V M.

1. An carcer sit species quadam residentie.
2. Carcer sumitur pro sepultura.
3. Carcer domus circularis apud Hebræos dicitur.
4. An Carcer ex sua primaria origine non sit pœna, sed custodia.
5. Carcer dicitur à coercendo.
6. Carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi civili.
7. Innocentijs IV. mens adducitur.
8. Quid veniat colligendum ex præmissis.
9. Nullus in carcere detinetur sub fida custodia, nisi ligatus retineatur.
10. Formalis notio carceris quas circumstantias non exigit.

DE carceribus & clausuris, latiore instituo sermonem, quia † species quadam residentie est, etsi de Monialium clausura iure canonico introducta in hoc tomo non edisseram, ne nimium excrescat, & sudor sub prælo differatur, sed ad sequentem tomum de vitiis oppositis residentie, deque residentia tempore pestis, famis, & belli, differo, vbi ut grauitas materie exigit disputabo. Quare hic de inclusione, reclusione, & incarceratione solum agam. De carceribus Martyrum, fœtidis, horridis, & profundis aliqua delibauit tom. 5.

de vero Martyrio fidei in Anacephaleosi tormentorum, quibus Martyres adstringebantur non fidem Christi fateri, sed diffiteri & abiurare §. 13. de hoc enim carcere Prudentius cecinit *περιστροφῶν*, Hymno 5. lugubre in antrum mittitur, ne liber usus luminis animare altum spiritum est intus in imo ergastulo locus tenebris nigrior, quem saxa mersi fornicis angusta clausum strangulant, aeterna lux illic latet. & plura alia, quæ ibi videnda, non hic repetenda. Alia etiam adduxi ibi, in Appendice de tonsuris & coronis Memb. 6. de ergastulo rasorum & stigmatizatorum carcere, & contra Stellarium accerrime defendi S. Isidor. Hispalens. quæ si legas non pœnitebit. Rursus de variis carcerum clausuris apud antiquos, tum ad martyres coërcendos, ut fide abiurarent, tum ad puniendos infantes, & malefactores late Card. Bar. in notis ad Martyrol. die 14. Martij. Alex. ab Alex. lib. 3. dierum genial. cap. 3. vbi Tiraquell. erudite, ut asolet, & tandem apud Madaurenses l. 4. & 2 lib. 9. † carcer sumitur pro spelunca, & sic dictus est carcer *Dictæus*, in quo educatus est Iupiter, ut notat Gasp. Barth. l. 35. de ver. c. 14. Hinc multi patres in spelunca & antris inclusi dicuntur, & rursus apud eundem lib. 29. cap. 8. ex Valeriano dicit *carcerem cæli*, quia scilicet Ecliptica cœlestis circulus est intra quem sol clausus egredi non valet, sed intra illum se circumagit mortales illuminando. Hinc † apud Hebræos carcer domus circularis dicitur *חַבְּרָה* & Ambros. in Ps. 118. *Oclona* 4. corpus *carcerem* & *gurgustium* animæ dicit, & Hugo Carens. in cap. 2. *Ecclesiast.* laxiorem carcerem facit animæ, mundum ipsum *verb. carcer.* dicat, sic dictum, quasi *arcet*, ab *arcendo* probat ex Vlpiano, *leg. aut damnum.* 8. §. 9. ff. de pœnis. sed ibi Iuriconsultus tale Ethymon non inducit, sed solum explicat finem carceris, dicens *carcer ad continendos homines non ad puniendos haberi debet.* Itaque † carcer ex sua primaria origine, non est pœna, sed custodia, quia tenentur homines, ut pœnas legum pro delictis impositas luant, & ad hoc arcantur à carcere, & sic potest dici, quod *carcer*, idest *arcer* ab *arcendo* dicitur, quamuis, ut ait Varro ad coërcendum etiam dicatur, quia ibi homines criminosi coërcentur, detinentur, custodiuntur, ne fugiant. Vnde utrumque Ethymon rectè inter se cohæret, nam † dicitur carcer à *coërcendo*, non dicitur ab *arcendo*, coërcentur enim, ne membrorum usu libere quo volunt ire utantur, & arcantur ad supplicium interuentu. Triumviratus qui carceris custodiam habebat, ut dicitur lib. 1. *Digestor. tit. de orig. iur.* §. 30.

6 Vnde † carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi civili, nam carcer ad continendos homines

non ad puniendos haberi debet, & sic Valent. & Theodos. Imperator. loquentes de carcer. *Cod. de custodia reorum leg. de his* 5. utrumque Ethymon eleganter coniungere, dicentes, quod *carcer est institutus, ut aut conuictos velox pœna subducat, aut liberandos custodia diuina non maceret.* quod etiam † dixit Innocentius I V. cap. *quamuis de pœnis in* 6. *quamuis* (ait Pontifex) *ad reorum custodiam non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur.* Nos autem non improbamus conuictos in perpetuum, vel ad tempus, ut videris expedire carceri mancipis ad pœnitentiam peragendam, idem statuit Clemens V. *Clem. 1. §. duro de heretic.* & Gregor. I X. cap. *penult. de heretic.* isti perpetuo carceri mancipantur sicut, cap. *tua de pœnis.* Clerici fures in arctis monasteriis detrudi mandantur. Vnde iure Canonico carcer à *coërcendo*, sumitur principaliter, non ab *arcendo*, eadem significatio sumitur carcer in legibus Hispanis & Venetis, apud quos carcer, siue ad tempus, siue in perpetuum datur, imo ut ex Halicarnasseo refert Gothifredus *leg. aut damnum cit.* sub Amutio, Romæ pœna carceris perpetui in usu fuit, imo Cicero 4. *contra Catilin.* ait, *vincula, & ea sempiterna certè ad nefaria scelera inuenta sunt,* quod etiam adnotauit Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. & 8. & multi quos adducit Petrus Gregorianus lib. 31. *syntagmat. cap. 10.* & Mantua *obseruat.* 96.

Hinc colligitur † prima de iure gentium 8 carceris notio, quæ est idem, quod custodia reorum in loco coërcentur, ne libere quocunque voluerunt vadant. Vnde Græce dicitur *φυλακή δεσμωτήριον* victorum locus. Hinc Hebraice *בֵּית חַבְּרָה* claustrum cella à verbo *חַבְּרָה* clausit, occlusit & chaldaico nomine *בֵּית חַבְּרָה* carcer, in quo includuntur rei vincti, nam *δεσμωτήριον*, à *δεσμός* deriuatur, quod significat vinculum, quo quis ne fugiat vincitur. Hinc est, quod Vlpian. *leg. verum est.* 2 16. *de verb. signific.* dixit, *eum qui in carcere clausus est, non videri, nec vinctum, nec in vinculis esse nisi corpori eius vincula sint adhibita.* ex quibus iuriconsulti verbis. Cataldinus *consil.* 56. vol. 1. *Glossa leg. 1. ff. de seruor. custod.* Innocentius cap. *nuper de sent. excommun.* quod † nullus in carcere detineri dicitur sub fida custodia, nisi ligatus detineatur, ut contingit Præcursori *in vinculis.* detento *Matth. 11.* & B. Petro *act. 12.* & clare videtur determinatum *leg. 1. Cod. de custod. reorum.* vbi ad custodiam carceris etsi non requirat Imperator ad fidem custodiam reorum ferreas manicas ossibus inhærentes, ut cruciatio desit, requirit tamen prolixiores catenas, ut reus permaneat sub custodia.

Verumenimverò † formalis notio carceris has circumstantias non exigit, sed ab illis 10 abstrahit,

abstrahit, quamuis in omnibus fere nationibus, quando crimen graue est, & atrox inclusioni in loco à quo quis libere exire nequit vincula adhibeantur, adeo quod Tert. lib. de habitu muliebri, cap. 7. n. 55. vbi eruditissimus Pamelius dicat apud Barbaros quosdam (Æthyopes quosdam ait Canterus var. lect. lib. 1. c. 5.) quia vernaculum est aurum & copiosum auro vinctos in ergastulo habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Igitur formalis carceris notio, vt dicebã est, quod quis detineatur intra clausos parietes, ex quo loco exire non possit, quando libuerit, & sic dicit priuationem libertatis in vsu mēbrorum, vt dicebat S. Th. & ex ipso Sylu. vbi supra. Vnde egregie Callistratus Iurisconsultus leg. succurritur. 9. ff. ex quibus causis maior. §. 2. dixit vinculorum appellatio latius accipitur, nam etiam in electos veluti latumiis, aut latomiis vinctorum numero haberi placet, quia nihil interfit parietibus, an compedibus teneatur custodiam autem solam publicam accipi, Labeo putat.

SVBDIGGRES. I.

Carcer ex vi nominis plures habet notiones.

S V M M A R I V M.

1. Carcer ex vi propria notionis plura habet significata.
2. Domus Diaboli est carcer in quo familiam suam continet, ex Tertull.
3. Carceris definitio affertur.
4. Ad propriam carceris notionem duo requiruntur.
5. Quid sit carcer vniuersaliter ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici & Regularis, & n. 6.
7. Inter Regulares est duplex reclusionis modus, & num. 8.

EX quibus plura ad morales casus decidendos deducuntur. Primò, quod carcer adhuc ex vi propria notionis plura habet significata, pluresque acceptiones, carcer enim cum sit locus à quo malefactor libere exire non valet, hæc notio late extenditur, quamuis enim carcer designatus à communi Principe, quem vnum dumtaxat habuisse Romam antiquam Regibus gubernatam gloriatur Iuuenalis Satyra 3.

Viderunt vno contentem carcere Romam,

- 2 De quo carcere Tertullian. l. ad Martyr. c. 1. † Domus quidem (ait) Diaboli est carcer in quo familiam suam continet, quod satis proprie dictum est cum malefactores, & criminosi ad quos continendos, & custodiendos carcer primo est institutus, familia Dæmonis sit, quorum mores & carceris colluuiem faci-

norum & vitiorum egregie describit Philo Iudæus lib. de Ioseph. pag. mihi 420. loquens de carcerum custodibus. Qui cum malis versantur affricant sibi eorum vitia, facile enim consuetudo abiit in natura similitudinem. Degunt autem carcerum custodes inter plagarios, fures, parietum fossores, facinorosos, violentos, stupratores, homicidas, adulteros, sacrilegos, à quorum singulis nonnihil nequitiæ contrahunt, vt ex huiusmodi collatione, miscellaneaque temperatura conficiatur vna scelestæ malorum colluues. Hæc Philo, quibus mirificè enucleantur Tertulliani verba, quod carcer sit Diaboli domus, in qua familiam & familiares suos cōtinet quales sunt, quos Philo res enumerat. Hic autem carcer & publica custodia iam aliquatenus, correctus, & moderatus est in scandalis, inter Principes Catholicos, in quibus nimium facinorosi & impudentes, ergastulis specialibus detinentur inclusi, à custode carceris rigide tractantur, vt vel timore pœnæ emendentur, exterius & interius corriguntur exhortationibus & piis sermonibus à viris religiosis factis, quibus suadentur ad confessiones sacramentales, & ad alia opera pia, quibus arcentur à vitiis multi, & in carcere Diaboli domo, ipsi Diabolum conculcant, vt de Martyribus dicebat Tertul.

Carcer igitur prout est custodia à qua auctoritate publica nullus exire valet, si strictè sumatur est locus oclusus, in quo quis portis clausis detinetur inter parietes, vel vinculis ligatus, aliquando locus iste est in quo facinorosi tenentur, aliquando est monasterium in quo quis recluditur in pœnā delictorum, rursus aliquis dicitur carceratus dum domo sua, vel turri publica cū custodia detinetur, aliquando alicui ministro publico datur custodiendus sicut olim fiebat inter Romanos, aliquando amplius laxatur incarceration, vt ciuitas pro carcere detur qui carceres variantur, coarctantur, aut laxantur iuxta qualitatem delicti & personæ & criminis atrocitatem, quod arbitrio iudicis prudentis relinquunt iura, tã canonica, quã ciuilia. Itaque † duo requiruntur ad propriam carceris notionem, quod quis patiatur priuationem libertatis in vsu mēbrorū ab alio illatā nulla propria voluntate patientis cōcurrēte, & quod is à quo priuationem patitur sit minister publicus, nullus enim particularis potest alium incarcerare, quia vt aiebat D. Th. vbi sup. licet aliquis alium ad horā, id est ad tempus sufficiens, detinere, ne aliquid illicitū perpetret, vt ne percutiat, aut se præcipitet, tamen illum proprie incarcerare est solum secundum ordinem iustitiæ ad pœnam, vel cautelam, & per iudicem solum, quia includere, vel ligare ad eum pertinet, solum qui habet vniuersaliter disporre de actibus & vita alterius.

- 5 Vnde † vniuersaliter carcer ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici, & regularis, vel est ad custodiam, ne reus fugiat, vel est ad pœnam, carcer ad pœnam datur secundum meritum culpæ, vel ad tempus, vel in perpetuum, sic S. Fructuosus Brachar. *cap. 16. Regular.* regularem turpia committentem mandat vinculis arctum ferreis, per sex menses carceri adiici & aliis pœnitentiis macerari. Alter S. Fructuosus *cap. 4.* ordinat mitti solitarium in cellam obscuram aliquando carcer iste rigidissimus fuit in victu & vestitu, & in perpetuitate, vt refert S. Ioannes Climacus *in scala 6. gradu 4.* vbi carcer pœnitentiæ canonicæ & regularis locus describitur omni humana consolatione destitutus, *in quem tradebantur hi, qui post supernam vocationem deliquissent, quos ita claudebat Pater, vt procedere inde nusquam valerent, non quidem omnes simul, sed seorsum singulos, aut certe ad multum duos simul ibi qui tandiu morabantur, quoad cum Dominus de singulorum remissione certiozem faceret.* Hæc ibi, circa quæ nota, quod hæc certioratio non expectabatur per reuelationem diuinam, hoc enim non esset prudentia conditum, sed certior fiebat Pater per inspirationem diuinam, quam concipiebat ex circumstantiis, & diuinis motionibus, tum etiam nota, quam antiquus sit inter Regulares vsus incarcerationis, ad pœnas pro delictis luendis, vt constat ex Concilio Aquisgran. *c. 134.* quod fuit celebratum *an. 828.* sub Stephano V. & Ludou. I. Imperatore, & antea in Concilio Matisconen. *l. an. 582.* sub Pelag. I. I. & Guntheranno Rege.
- 7 Cæterum † inter Regulares adhuc est duplex reclusionis modus, vnus dicitur proprie carcer, qui datur, vel ad custodiam, vel ad pœnam, aut est quoddam tormenti genus, & remedium subsidiarium, ad exequendam veritatem, tortura enim non solum fit in equleo, & aliis instrumentis de quibus late dixi *tom. 5. de Martyrio fidei*, sed etiam in vinculis, & stricta reclusionem, quæ arctatio dicitur *cap. 1. de deposit.* vbi Glossa Abb. *n. 6.* tortura est veritatis inquisitio per tormenta, inter quæ non est admodum leuis coarctatio hæc in vinculis, virgarum cæsis & alia huiusmodi, non est enim vnicum torture genus, *cap. circumcelliones 23. quest. 5.* ex August. *epist. ad Marcellum, & cap. illi qui 5. quest. 5.* sed Religiosus iudex pro veritate inquirenda decernens variis, religiosis, tamen cruciatibus veritatem è latebris eruit, hac tamen coarctatione, vt nequit Prælati Regularis nisi iuridicè procedat, tormentum enim applicari nequit nisi à iudice cuius arbitrio modus torquendi relinquitur, vt constat ex titulo *de questionibus*, tam in D. quam

in C. & notant Clarus Alex § *final. q. 64. vers. intendebat.* Marsilius *leg. 1. ff. de questio.* Potest tamen superior Regularis præcipere, & mandare alicui subdito ad compescendam contentionem, rixam, aut dissolutionem linguæ, vel ob similem culpam, vt cellam pergat ibique permaneat, & non egrediatur, superiore inscio non tamen poterit clauso ostio recludere, nisi in regula, aut constitutionibus potestas ei detur, ad id perficiendum ad rationem tamen carceris eiusque veram & legitimam notionem necessariam est, quod regularis habitu suo spoliatur, quamuis in aliquibus Religionibus, id sit laudabili vsu & in carceribus S. Officij, dum regularis mulcatur & sententiam illi intimat triremium, aut carcerationis perpetuæ, aut temporalis corda, & capuccio priuant, etsi clericus est virreto, & capite operto, sed in his consuetudo & praxis cuiuscunque ordinis retinenda.

SVBDIGGRES. II.

Ille est carceri mancipandus, qui est de fuga suspectus.

S V M M A R I V M.

1. *Ille est carceri mancipandus qui de fuga rationabiliter est suspectus, & num. 2. & num. 3.*
4. *In multis tribunalibus non admittitur appellatio in criminalibus, quantum ad incarcerationem, à qua liberari nequit in criminalibus etiam dato fideiussore.*

Secundum, quod colligitur est, quod Scum carcer ad custodiam reorum sit specialiter deputatus, † ille carceri est mancipandus, qui de fuga rationabiliter suspectus est, vt bene Clarus Alexandr. § *final. quest. 28. num. 2.* Hæc rationabilis suspicio non requirit experimentum, quod persona sit assueta fugere in delictis, aliàs pro primo delicto non posset esse rationabilis suspicio fugæ, nec sufficit, quod quis libello oblato accusetur de crimine, nam esset in facultate cuiuscunque vilis homuncionis virum nobilem, & valdè spectabilem incarcerari facere, vt bene Paulus Castrensis *consil. 328. numer. 1. libr. 2.* quamuis si accusator nobilis esset, & accusatus vilis, & infamis notæ, qui si olfaciat informationem de ipso fieri posset capi, quia isti cum nihil habeant, quod perdant, facile aufugiunt, neque requiruntur legitima indicia testibus confirmata, sic enim facile reus fugam arripit, & iudicem eludet, quare iudex antequam reum carceri

carceri addicat facere debet summariam in formationem quæ in scriptis, aut ore tenus potest fieri iuxta qualitatem delicti aut personæ, imo ex Salicet. l. 2. n. 2. de custod. reorum. sufficit ad capturam si iudici constet delictum ex affirmatione pluriū, etiamsi nō sit habita in forma iudicij, quod valde est notandum pro regularibus inter quos facilius genium reorum agnoscitur, & an sit facilis ad fugiendum, qui enim iam pluries est iudicatus, castigatus, correctus, quasi bonæ opinionis emisit conceptum, & æstimationem, qui vero vir grauis, litteratus, & fere nunquam de crimine suspectus non ita facile fugere præsumuntur sicut primi, & isti minori cum informatione capi possunt, quia de eis rationabilis de fuga concipitur suspicio, & sic etiam non facta summaria possunt capi, & detineri in custodia ne fugiant. Similiter si delictum enorme sit aut grauissimum pro pœna mortis carceris perpetui, aut damnatio ad triremes sit imposita, aut priuatio vocis actiua, & passiuæ, & ad officia inhabilitas, huiusmodi enim delicta ex natura sua, & pœnæ impositæ ad fugam incitant, & quasi pondere, & grauitate sua ad ipsam inclinant. Vnde, qui illa commisit semper est de fuga rationabiliter suspectus. Quare facta summaria ad iudicis arbitrium, capi possunt & incarcerari, à qua incarceratione solui non debent etiam facta appellacione, qua sicut non est purgatum delictum, ita non est absterfa rationabilis suspicio de fuga, vt enim egregiè dixit Clarus Alexand. §. final. n. 2. Si carcerandi, appellantes relaxandi essent frustratorium esset carceres adificare, quia omnes appellarent, & sic omnia iudicia criminalia eladerentur. hæc ille ex Baldo leg. 2. vers. sed incidenter. C. de Episcop. Audient. Lancell. p. 2. de attent. cap. 12. ampliat. 4. n. 21.

4 Vnde † in multis tribunalibus non admittitur appellatio in criminalibus, quantum ad incarcerationem à qua liberari nequit in criminalibus etiam dato fideiussore, vt tradunt Bald. leg. 1. colum. 1. C. de exhibend. reis. Couar. lib. 2. variar. cap. 8. num. 8. Suarez Iuriconsul. tract. de fideiussore in causis criminalibus. lib. num. 14. & habetur cap. clericos. de sent. excommunicat. in 6. quod maximè tenet in religionibus in quibus fideiussores non admittuntur religiosi, verum est, quod in tribunalibus sæculi etiam in criminalibus, quando delictum non est inorme & grauissimum, nec sufficienter, & plenè probatum post appellacionem fideiussores de præsentando reo admittuntur, & inter regulares reus à carcere clauso est liberandus, quia in hoc casu non est rationabilis suspicio de fuga, non enim rationabile est iudicare, quod ad fugiendam minorem pœnam, velit quis se maiori, aut perpetuæ subiicere fugiendo.

SVBDIGGRES. III.

Quod delictum requiratur, vt aliquis incarceretur?

S V M M A R I V M.

1. Quale delictum requiratur ad carcerandum aliquem.
2. Multorum DD. sensus adducitur & n. 5.
3. An solum exigatur notorium iuris ad aliquem incarcerandum.
4. Atrox idem est ac crudum, teste Festo.
6. An pro paruo furto possit quis torqueri.
7. Si quis vt furetur rem in valore paruam sacrarium frangat, qua pœna sit puniendus, & n. 8.

Tertium † quale delictum requiratur ad carcerandum aliquem supra diximus, quod ex iure Canonico, & regulari duplex est carcer vnus ad custodiam deputatus, alter ad pœnam luendam, quæ datur in vindictam publicam, & quidem vt carceretur quis ad custodiam iam anteriori illatione diximus, quæ probatio requiratur pro graui delicto de quo quis accusatus vel ab aliquo particulari vel à Fiscali Promotore, vel cuius notitia habita ex generali inquisitione, quare præsens corollarium est de carcere cui quis addicitur in pœnam delicti, & duo inquirunt. Primum de qualitate probationis delicti. Secundum de qualitate delicti circa primum requiritur, quod delictum sit manifestum prout opponitur occulto, & idem est quod notorium iuris, neque enim ad punienda delicta requiritur notorietas facti, quod populo vel maiori parti celari nequit, sed omnibus innotescit per facti euidetiam, & nulla tergiuersatione celari potest † cap. vlti. de cohabit. cleri & mul. cap. cum dilectus de purg. cano. cap. de manifesta, & sequentibus 2. quæst. 1. & late discutiunt Speculator. tit. de notor. crimin. §. sequitur Bartholom. leg. scriptus D. de religios. & sumpt. fune. Abbas cap. vestra num. 14. de cohabit. cleri. & mulier. hoc autem notorium non requiri, vt delicta puniantur certum est & indubitatum, aliàs paucissimi propter delicta enormissima puniti manerent cum boni communis magno detrimento. Vnde † solum exigitur notorium iuris, & est idem quod manifestum, quod tunc est quum interuenit clara & iudicialis confessio, inuincibilis probatio ad quod sufficiunt duo testes omni exceptione maiores, cap. vestra cit. & cap. qualiter, & quando de accusat. hoc autem iuridicè notorium, & manifestum iuridicè constare debet, vt pœna ordinaria infligatur, vt benè Clarus Alexand. lib. 5. praxis, quæst. 9. vbi plura eius additionatores, quæ ad forū iudiciale

pertinent, etenim etiam si sit manifestum, & probatum quod Petrus occidit hominē, sed potest non esse manifestum, quod ipsum occiderit, iure inculpatæ tutelæ ad sui vel suorum defensionem, vel quod esset infanus, vel ebrius dum occidit, quæ qualitates vel excusant delictum, vel pœnam ordinariam.

Circa secundum scilicet atrocitatem delicti iam supra aliquid prælibauimus res est iudicialis, magis quam moralis, aut eruditionis, solum aduerto quod etiam irregularibus, non est idem atrox, quod enorme, † atrox enim teste Festo, apud Fungurum in *Ethymolog. trilin.* idem est quod crudum, efficitur absque lenitate, & crudeliter, enorme vero quod non communiter fit, vnde transgressio votorum aut legis naturalis in grauibus præceptis inter regulares enorme est non atrox, absolute tamen quod secundum se non est enorme replicatum malignatur, vnde modica furta quæ mortalia sunt augent pœnam, & faciunt latronem famosum, & furca dignum, vt consuluit Melchior de Farinis *consil. integro. 66. tom. 2.* est textus expressus *leg. capitalium 38. §. famosos 15. D. de penis.* Sed ibi loquitur Callistratus Iuriconsultus de Grauatoribus ad furandum, minima tamen furta replicata puniendæ sunt, vt si gallinam, vel anserem, imo si ouum quis replicato surripiat, quod esse commune placitum sentiunt Glossa §. *gallarum verb. qui lucrandi instit. de rerum diuis.* Tiraquell. in *tract. de iudic. in rebus min. fol. 50.* Couarr. *lib. 2. resol. cap. 3. num. 12.* tamen ait Prudentiss. Præses hoc sibi nunquam placuisse sicut nec mihi, pœna enim pro furto illata infamiam inducit, quæ pro minimis maxime inter religiosos irroganda non est maxime, quando à iuuenibus committitur, & replicatur furtum, vel ob gulositatem, vel ludum, & similes affectiones, nisi furta mortalia sacrilega sint, etsi minima, tum cum valde aggrauetur delictum, neque enim actio furti concedenda est pro re minima, nisi pertingat ad culpam mortalem, vt dicit Nauarr. *ad cap. final. 14. quæst. 6.* & Marsilius *singular. 378.* & Bertanz. *consil. 198. n. 1. vol. 1.* contra iudicē pro furtis minimis punientem exclamant, & multo magis clamarent contra Lud. à Pegur. in *quæst. crim. c. 16.* qui asserit, quod † pro paruo furto potest quis torqueri, quod hodie omnino est impracticabile, nisi quis valde assuetus sit ad parua furta faciendæ vt faciunt burfarum latrunculi, delictum enim furti non tam aggrauat propter valorem rei furatæ, quam propter assuefactionem, & consuetudinem furandi, quæ valde perniciofa est commercio humano, & rerum indemnitati, qui enim in his minimis furtis assuefit paulatim in maiora deci-

det, vnde Clarus Alexand. ex Couarr. *vbi sup.* quod latro famosus dicitur, qui tria furta diuersis temporibus commisit, & sic tanquam famosus puniri potest pro tertio furto, etiam si pro primo, & secundo fuerit punitus, aut ex gratia absolutus à pœna, etsi constet iuridice pro duobus punitum aut absolutum fuisse pro tertio pœna famosi latronis imponitur, quia duabus vicibus correctus, non fuit emendatus, & in tertio consuetudo, & frequentia quæ ipsum facit famosum punitur.

Quod † si quis vt furetur rem in valore 7 paruam sacrarium frangat pœna speciali est puniendus, saltem carceris perpetui propter atrocitatem in sacrarij fractione commissam, & grauissime debet punire, si frangat locum vbi sunt paramenta sacra, etiam si rem paruam furetur, sicut etiam debet pœna capitali carceris perpetui damnari religiosus si rem magni valoris etiam non sacram, vel ab alio Religioso aut Cõmunitate, aut sæculari furetur, neque est in hoc difficultas nisi persona grauissima sit, etsi pro tali furto non sit expressa pœna in Regula, etiam si grauissima sit persona imponenda, nisi inde maius dedecus religioni oriretur. Verum est quod carcer iste perpetuus post aliquod tempus, vt quinquennij potest remitti sicut remittunt DD. Inquisitores suis delinquentibus, vt notant Simancas *tit. 16. n. 15.* Plato enim *lib. 10. de legibus*, impios, & malefactores ad meliorem frugem reuersos post quinquennium carceris cum cæteris habitare iussit. 8

SVBDIGGRES. IV.

Incarceratus manet priuatus actibus legitimis?

S V M M A R I V M.

1. *Carceratus iustè quandiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum, an maneat priuatus actibus legitimis.*
2. *An priuatus voce actiua, & passiua non sit illico priuatus ad ferendum suffragium in professione danda nouitio.*
3. *An qui est priuatus voce passiua, & factus inhabilis ad officia ordinis, non sit illico priuatus voce actiua.*
4. *Quid veniat aduertendum, & num. 6. & num. 7.*
5. *Authoris iudicium adducitur, & num. 9. necnon Hieronymi sensus, & n. 8.*
10. *Quid de nomine Paternitatis in abstracto titulo veniat dicendum, & n. 11.*

Quartum, quod infertur est, quod † carceratus iustè quandiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum manet

nec priuatus actibus legitimis, quos ipse alias ex vi legum canonicarum, & suarum Constitutionum facere potest, vt sunt eligere, eligi, prædicare, confessiones audire ad ordines promoueri, petere exemptiones gradus sui, alios defendere, ius suffragij in Capitulo, siue Locali, siue Prouinciali, siue Generali, accusare, testimonium dare, & similes, actus enim illi legitimi sunt (iuxta doctrinam Cuiacij *lib. 28. qq. Papiniani ad leg. 77. de regulis iuris.* & est communis Iuris peritorum sententia) qui iure peraguntur, & incarcerati iustè ob delictum ad custodiã, vel ad pœnam, iure peragendi actus qui sibi competebant, priuantur, quare valide, nec eligunt, neque eliguntur, neque suffragium dare ad nouitiorum, aut alios actus conuentuales, nec aliquod officium, quod habeat iurisdictionem exercere possunt impune, quamuis confessiones audire, & sacramenta ministrare valide possunt: sed de his alibi, legatur Sanctorius de Melfi. *tr. de panis p. 1. cap. 1.*

- 2 Sed aduerto primò, quod † priuatus voce actiua & passiuua non est illico priuatus ad ferendum suffragium in professione, danda nouitio, aut in eius receptione, quia priuatus voce actiua & passiuua solum habet priuationem, & inhabilitatem, vt eligatur ad officium religionis, quod habet iurisdictionem in alios, siue in se solus si simul cum aliis: vnde nec potest eligi Diffinitor aut Assistens, nec vt habeat vocem in Capitulo Generali, aut Prouinciali: an vero possit eligi Diffinitor & Consultor Localis, existimo posse quia causas, nec tribunale habent, etsi ad gubernationem domus habeant ius & potestatem, vnde etsi Præpositus simul cum consultoribus possit includere aliquem in cubiculum, vltra tres dies iuxta nostras constitutiones: at propriè non incarcerat, quia incarcerare propriè competit Prouinciali, aut Generali, cui competit proprium, & absolutum tribunal, in quo sententia damnatoria datur, neque enim Præpositus pœna iuridica potest punire subditos, vt carceris, triremium, & similia. Rursus † qui est priuatus voce passiuua, & factus inhabilis ad officia ordinis non illico est priuatus voce actiua, sed potest eligere alium, diuersi enim actus legitimi sunt eligi, & eligere, quare priuatus vno non censetur altero etiam priuatus, *cap. in odiosis. de regulis iuris in 6.* Vnde fit quod reclusus à Superiore locali etiam ob crimen, nisi reclusio confirmetur à Prouinciali visa causa, non incurrit pœnas incarcerati.

- 4 Aduerto secundum, quod † si quis clericus regularis nondum sacris ordinibus committat crimen ob quod incarceratur, & meretur, quod ipso facto sit priuatus voce acti-

ua & passiuua iurèque suffragij, & aliorum actuum legitimorum, quos ordinatus exercebit, nequit hac priuatione puniri pro tempore futuro, quum capax factus ordinationis sacrae illos exercere valet. Hanc sententiam docet Clarus Alexand. *§. final. quest. 60. n. 4.* ex Glossa *leg. sciant cuncti. verb. moritur. C. de legiti. hered.* quam sequuntur DD. vt dicit Marsilius *leg. infans, num. 13. ff. ad leg. Cornel. de scar. & leg. de minore, num. 40. ff. de quest. Plaza de delictis, c. 32. num. 10.* Farinae. *q. 62. num. 162.* pœna enim præsentis emendatur delictum præsens, quare delictum commissum in ætate in qua quis est pœna incapax, non debet puniri delictum pœna dilata in futurum, sed illa pœna priuationis vocis actiua & passiuua in aliam illi ætati competentem commutari debet, qua doctrina ductus respondi *an. 1644.* cuidam interroganti casum hunc in quadam Religione est constitutio confirmata à Sede Apost. quod qui se ad aliam transferret Religionem si iterum ad propriam reuertatur sit priuatus ipso iure voce actiua & passiuua, & primogenituram amittat, sedens in actibus communitatis in ultimo loco, quidam clericus nondum sacris initiatus, mutauit se in aliam religionem, & postea reuersus est ad suam, an iste puniendus est pœna priuationis vocis actiua & passiuua Respondi, quod † non ob doctrinam traditam, quia punitur delictum præsens pœna futura, & quis propriè priuari non dicitur, nisi eo quod vel habet, vel quod habet capacitatem illud habendi pro tempore in quo committit delictum: & placuit multis viris doctis resolutio. Adde tamen modo, quod potest religio in pœnam, vel huius transmutationis, vel alicuius delicti facere quemcunque religiosum incapax vocis actiua & passiuua, quæ incapacitas de præsentis datur pro delicto præsentis, etsi ab illa non absoluitur, nunquam acquireret vocem actiuam aut passiuam, quia istæ voces non possunt esse in subiecto incapaci.

Aduerto tertio, quod † in carceribus eo ipso amittit titulum honorificorum exercitia quos Religio illi concessit, vt magistrum, aut similem gradum, similiter titulum Paternitatis & reuerentiæ, & dum à iudice interrogatur non vitur Iudex his titulis, sed reorum qua pœna inuruntur toto tempore quo in carcere degunt rei, siue ad custodiam, dum examinatur delictum propter quod incarceratus manet, siue ad pœnam perpetui carceris, aut etiam temporalis. Nomen enim Paternitatis Religioso datum valde honorificum est, & reuerentiæ signum tam in humanioribus litteris, quam in diuinis, & quamuis nomen Patris in multis, & antiquioribus religionibus vsitatum sit omnibus Sacerdotibus dare, imo antiqui-

tus Monachi Patres dicebantur, vt notat S. Hieronymus *lib. 4. in Mattheum*, vbi ait, *vulgato sermone maxime in Palestina, & Ægypti monasteriis se inuicem Patres vocabant*, vnde Cyrillus Alexand. epistola, quæ habetur in *actis Synodi Ephesina* hanc inscriptionem posuit..... Patribus Monachis, rationem tituli dat Augustinus *collatio. 3. Carthag. cap. 242. Honorificentia causa Patres appellamus eos qui nos vel tempore, vel meritis precesserunt, nam illud honoris est vt quotidie senibus dicamus Pater*. Vnde cum eo ipso, quod quis sacerdos efficitur præbyter dicatur, pater iure optimo dicitur, quam paternitatem explicamus, dum ipsum Reuerentia nomine vocamus, ob hanc enim reuerentiam debitam scriptoribus Ecclesiasticis illos Patres nostros, quia nos per suam doctrinam genuerunt in veritate Euangelij aut regulis bene viuendi.

7 Vnde qui legibus nos regunt, & continent ob reuerentiã Patres, vt de illis ceterum uiris quos sibi asciuit Romulus ab ætate senatores, à reuerentia Patres ab appellatione publica conscriptos dixere Salustius in *Catilin. Liuius lib. 1. Decad. & alij*, tum etiam ratione Magisterij, sic Eliseus Patrem dixit Eliam *4. Reg. cap. 2. num. 10.* sic qui publicæ utilitati attendit Pater Patriæ dicitur, vt dicit Seneca *lib. 1. de Clement. cap. 7.* & Ioseph. *Pater toner totius Ægypti*, dicitur, *Genes. 41. num. 43.*

8 Vnde † quum Hieronymus *lib. 2. in cap. 4. epist. ad Galatas* dicit. *Cum Dominus noster in Euangelio præcipit, nullũ Patrem vocandum nisi Deum, nescio qua licetia in monasteriis, vel vocamus hoc nomine alios vel vocari nos acquiescamus*. Intelligendus est, vt ipse se eleganter explicat, *non enim prohibet Christus quod alios honoris causa, & Patrem, & Magistrum abusive nominemus, sicut vnus est Deus per naturam, & vnus filius, & hoc non præiudicat ceteris, vt per adoptionem dij vocentur, & filij*, quod etiam expressit Aug. *enarrat. in p. 77. Ne vobis dicatis Patrem in terra, non ideo dictum est, vt hoc vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei qua in æternam vitam regeneramur ne vel potestati vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur.*

9 Verum est quod in aliquibus Religionibus collectis, & exalceatis, & nomen Patris, & Reuerentiæ eliminatum est humilitatis ergo, nullum huius nomenclaturæ honorem volentes, sed fraternitatis tantum, & charitatis; in aliis vero maxime mendicantibus, etsi nomen Patris admittant, tamen nomen Fratris non amittunt; sed conseruant, dicentes *Pater, frater*, vt prius denotet sacerdotis honorem, & reuerentiam, & posterius humilitatem religionis, in aliis

maxime clericalibus solum nomẽ Patris retinetur ratione sacerdotij, & fraternitatis, in his qui sacerdotio non funguntur, & in qualibet laude institutum à Sede Apostolica confirmatum, in Monachalibus vero nomini Patri relicto fraternitatis, *Domnus* dicitur, aut *Nonnus*, vt *Pater Domnus*, aut *Pater Nonnus* dicitur, quamuis hoc vltimum non fit in vltu etiam inter Monachales, quamuis S. Benedictus in sua Regula *Priores nonnos*, dixerit nuncupandos, quid autem nomen *Nonnus* denotet varie explicat, & erudite Estenius *lib. 3. disquis. tract. 4. disquis. 3.* & mihi videtur idem esse quod hodie *Domnus*, aut *Domnus*, vt bene Smeragdus *in cap. 63. Regul.* quid autem denotet nomen *Domnus*, & cur Monachi *Domni*, & non *Domini* vocarentur idẽ Estenius *disquis. 4. late differit*, & idem valet quod nostro idiomate *Don.* aut in fœminis *Domna, Dona*, quod etiam in Monialibus cum nomine sororis coniungitur inter mendicantes, secus vero Monachales, vt constar apud Enno *lib. 9. epist. 30.* & S. Greg. *lib. 1. Registri epist. 6.*

Sed † quid de nomine Paternitatis in abstracto tributo multis etiã inter Regulares in ordine seraphico Paternitas ex statutis auferatur multis, vt Patribus Prouinciæ, & Religionis quos vocant in aliis Magistris graduatis *de numero*, in aliis solis Generalibus, & Prouincialibus, in aliis solis Generalibus vt in Societate Iesu, & nostra, & iure quidem optimo, nomen enim Paternitas in abstracto singularem denotat dignitatem, & independentiam siue in Iurisdictione, siue in Magisterio, siue in aliis propter quæ statuitur, quod paternitas alicui detur; vnum solum adnoto quod, etsi nomen Pater alicui sit datũ in antiquis regulis, at non legi quod alicui sit data paternitas in abstracto ita, vt vestra Paternitas inter Regulares quis diceretur, abusus tamen sæculariũ, qui omnibus regularibus Paternitatẽ tribuit, etiam irrepsit inter ipsos regulares, qui abusus in aliquibus familiis religiosis cohibitus est, iure optimo, & religiofitate magna, sicut & titulus *Pater Reuerendissimus*, qui solum tribuitur in aliquibus ordinibus Generali, in nostro tamen solum *Pater admodum Reuerendus* dicitur Generalis, hodie tamen vrbانيتas sæcularis Prouinciales, & Religiosos viros, qui vel funguntur magisterio publico in aliqua vniuersitate cathedram moderantes, aut sua graua scripta typis dantur, Reuerendissimos dicunt, qui enim sic pro communi Ecclesiæ utilitate laborant digni sunt super alios reuerentia specialissima, quam denotat nomen *Reuerendissimus*, quamuis, hoc epitheton antiquitus nulli legatur regulari concessum, sed multa vsus vel abusus immutant, & hæc satis de hac eruditione, & solum

solum futuris temporibus deseruiant, vt consuetudo hodierna innotescat, & vt cognoscatur, quod incarceratus siue ad custodiam ratione delicti de quo est accusatus aut inquisitus siue ad pœnam, omnibus his spoliatur & priuatur.

SVBDIGGRES. V.

Vtrum incarcerans indebite incurrat excommunicationem.

S V M M A R I V M.

1. *Incarcerans indebitè siue ad custodiam, ob timorem fugæ, siue ad pœnam latam per sententiam ob crimen legitime non probatum, incurrit excommunicationem.*
2. *Si superior procederet ad incarcerandum opinione probabili, quod iustè procedat non incurrat excommunicationem, & numero 3.*
4. *Authoris iudicium pro palatur.*
5. *An si subditus ob delictum damnetur à superiore regulari ad carcerem perpetuum aut temporalem, si superior non deferat appellationi incidat in excommunicationem.*

Quintum corollarium sit, quod † incarcerans indebite siue ad custodiam, ob timorem fugæ, siue ad pœnam latam per sententiam ob crimen legitime non probatum incurrit excommunicationem canonis *si quis suadente Diabolo*: est communis, & indubitata sententia, qui enim indebite incarcerat contra iustitiam operatur, & sic diabolo suadente damnum, & iniuriam infert, præiudicium enim, quod fit per indebitam, & iniustam incarcerationem irreparabile est, etiam quacunque appellatione interposita, Baldus *leg. 1. C. si sapius integr. Felin. cap. cum saepe de re iudicat. Diaz in praxi cap. 127. num. 1.* Qui enim clericum, vel regularem etiam conuersum indebitè incarcerat, & detinet in custodia siue publica, siue in domo priuata vim illi infert, & violentiam facit, siue vincula adhibeat siue non, & quacunque ratione auferat libertatem in vsu membrorum excommunicationem canonis ipso facto incurrit, *cap. nuper cap. contingit el segundo de sent. excommun. cap. cleric. eodem. tit. in 6. & late Suar. de fideiuss. dand. Suarez Theolog. tom. 5. de censur. disp. 25. sect. 4. Bonacin. tom. 3. disp. 2. punct. 10. Gomez lib. 4. variar. cap. 9. Rodriguez Senior tom. 2. q. 42. art. 2. Junior Resol. § 8. n. 2.* Si autem † Superior procederet ad incarcerandum cum opinione probabili, quod iuste procedat, non incurrit excommunicationem Canonis, quia non operatur cum dolo, qui

requiritur ad incurrendam excommunicationem *cap. 1. & cap. cum voluntate de sent. excomm.* vnde cum vbi adest ignorantia, dummodo non sit affectata, & supina, absit dolus, etiam non incurritur excommunicatio istæ.

Prælati non præfati sufficienter delicto facta informatione summaria (si non adest timor prudens fugæ, quæ potest impediri in cella cum custodia detineatur, & non cum pœnis incarcerati) aliquem incarcerare nequit ex Tridentin. *sess. 25. de regular.* et si aliter incarceret incurrit excommunicationem, quia contra ius quod habet reus ne aliter in carceretur, facit, & indebite incarceretur, vt tenent citati D.D. modus enim datus *l. 1. C. de exhib. reis*, obseruandus est vnde apud DD. Inquisitores obseruatur quod si reus delatus est vir insignis authoritatis, siue ob opinionem publicam virtutis siue doctrinæ, aut nobilitatis, aut Magisterij gradus, publicæ vniuersitatis non capitur nisi prius consulatur supremum Generalis Inquisitionis Consilium cuius determinatio expectatur. Existimo tamen quod † si crimen huius personæ grauis commissum sit scandalosum, & pluribus de vicinia notum, vt hæresis, Iudaismus, sollicitatio in confessione, si DD. Inquisitores facta de hac notorietate summaria informatione aliquem incarcerent ante consultationem Consilij supremij, non incurrēt Canonis excommunicationem, quia hæc incarceratio non est contra iustitiam in substantia, sed contra ordinationem quæ modum imponit, non prohibet actum hunc quoad substantiam, sicut etiam si excedat in modo incarcerandi vt si ministri excedant in apprehendendo reum, ipsum plusquam necessarium est contrectando, & c.

Vnde fit quod † si subditus ob delictum damnetur à Superiore regulari ad carcerem perpetuum, aut temporalem si superior non deferat appellationi, incidit in excommunicationem, quia iniuste denegans appellationem iniuste detinet in carcere ob delictum, quare solum potest ipsum detinere ibi ad custodiam, quo vsque Iudex ad quem causa est delata definiat, vt vltimam sententiā ferat, neque enim carcer ad custodiam suspenditur appellatio, alias omnes delinquentes carceres deluderent, vt supra dicebam ex Clar. Alexandr.

SVBDIGGRES. VI.

Vtrum Regulari mancipato auferendus sit habitus?

S V M M A R I V M.

1. *Regularibus qui carceri sunt addicti in pœnam*

nam, siue sit carcer perpetuus, siue temporalis, an auferatur forma habitus suæ religionis.

2. *Quenam dicatur habitus religiosi deformatio.*
3. *Chrysostomi sensus affertur: necnon Bonifacij VIII. & n.4.*

1 **S**extum corollarium sit, quod † illis Regularibus, qui carceri sunt addicti in pœnam, siue sit carcer perpetuus, siue temporalis, auferatur forma habitus suæ Religionis, si clericus sit etiam auferatur corona clericalis, de quo ritu latè Sanctorius de Melfi. p. 2. de pœnis, cap. 4. à pag. 175. Salzed ad cap. 89. praxis. Bernard. Diaz, ubi iuxta antiquum morem tam gentilitium, quàm Ecclesiasticum rem tractat, & ego de rasura coronæ, & capillorum in signum mœroris, pœnitentiæ & tristitiæ, dixi tom. 5. de vero martyrio fidei Appendice de tonsur. & coronis, memb. 2. 3. & 9. & quidem habitus religiosi forma, & monachali tonsura, quæ est capillorum circulus in capite, aut clericali iure priuatur, ista enim forma character est Religionis aditæ, vt ait August. lib. de opere Monach. cap. 8. quam fœdauit criminibus: & sic character iste in carcere infami dato propter delictum deletur, ne religiosus appareat in habitu, qui criminofus extitit in vita, radi enim coronam, circulumque tondi, est non permittere, quod crescentibus capillis iterum formetur & aperiat in tonsos esse carceri addictos antiquitas docet, & sacra pagina monstrat. Plinius lib. 7. epist. 27. & Genes. 41. n. 20. Iosephum de carcere eductum totonderunt ministri Pharaonis. Vnde † habitus religiosi deformatio est auferre capuccium, & scapulare, & coronam non aperire inter fratres, inter nos clericos virreti quadrati ablatio, & cinguli clericalis, cap. penult. de vit. & honest. cleric. cap. quoniam eod. cap. Ioann. de cleric. coniug. Vt pœnitens peccator appareat magis, quam religiosus agens pœnitentiam voluntariam, cap. placuit. 21. quæst. 2. ubi clericum desertorem cingulo honoris, atque ordinis sui exutum aliquo tempore carceri mandatur, cap. tua de pœnis, in 6. qui carceri traduntur ad pœnitentiam agendam pro delicto à suis ordinibus degradari iubentur, quia videlicet quandiu incarcerati sunt manent suspensi ab exercitio ordinum, & omni honore priuati, vt enim † ait Chrysostom. hom. 6. in epist. ad Romanos, hoc faciunt iudices qui quos in dignitate constitutos grauioris alicuius criminis conuictos habent, eos prius honoris sui ornamentis spoliant quam supplicio multatos abdicant, cum autem in fratribus capuccium, & corda simul cum capillorum circulo, & in clericis corona aperta, & virretum quadratum sint ornamenta

honoris sui, priusquam supplicio multatos abdicent iudices illis spoliant, vnde cap. de gradatio de pœnis Bonifac. VIII. dicit quod † ablati habitu, tunc quoque radatur caput seu 4 tondeatur, ne tonsura seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Neque honoris sui publicum designatum vestigiū in infami perseuerare debet, sicut nec in illis manebat qui publicā ex Decreto Episcopi pœnitentiā agebant vt sect. 4. dicam, hinc saluatur consuetudo inter regulares; quod damnatos ad triremes, etsi à Religione non expellant, tamen eos habitu regulari spoliant, quia ibi existentes infames sunt, & loco infami destinatos. Vnde est Hispanus mos satis canonicis antiquis conformis, quod si clericus siue sæcularis, aut regularis brachio sæculari traditur, priusquam tradatur, vestibus omnibus clericalibus aut regularibus spoliatur, & constituatur in habitu vili laicali, & dum supplicio afficitur veste illa quæ reis damnatis ponitur iuxta qualitatem personæ quam non amittit in supplicio. Vnde si nobilis est non furca, sed nobilium pœna mortis debet imponi.

SVBDIGGRES. VII.

Hac habitus regularis ablatio non fit in incarcerato ad solam custodiam.

S V M M A R I V M.

1. *Habitus spoliatio & tonsuræ abrasio sine alia pœnitentiæ lege canonica, aut municipali alicuius Religionis imposita incarceratus, an non sit danda ad custodiã incarceratis.*

1 **S**extimum corollarium est quod † huiusmodi habitus spoliatio, & tonsuræ abrasio siue alia pœnitentiæ lege canonica, aut municipali alicuius Religionis imposita incarceratis non est danda incarceratis ad custodiam, quia horum delicta non sunt iudicata sententia conclusa, acciperent enim certam pœnam pro culpa incertam, quod est iniquum leg. cum rem ff. de bon. dam. leg. maximum vitium C. de filiis præteritis. incarcerati enim ad custodiam præsumuntur, at non sūt iudicati criminofis, & in foro iudiciali non sunt digni pœnis latis contra probatos, & iudicatos, quamuis si ante diffinitiuam sententiam scandalosi fuerint notorie possunt in carceribus pro modo scandali regulariter puniri.

SVBDIGGRES. VIII.

Incarceratis ad pœnam ordinariam non est deneganda confessio sacramentalis.

S V M M A

1. An incarceratis ad pœnam ordinariè non sit deneganda Sacramentalis confessio toties quoties eam exposulauerint.
2. Conc. Trident. sensus adducitur.
3. Damnatis ad triremes intra ipsam triremem confessio Sacramentalis non denegatur.

Octauum Corollarium sit, quod † incarceratis ad pœnam ordinariè non est deneganda Sacramentalis confessio toties quoties eam exposulauerint, est communis sententia Doctorum, quia sacramentum pœnitentiæ est medium necessarium ad salutem iis, qui post Baptismum lapsi sunt in culpam mortalem, est enim sequenda tabula post naufragium, vt D. Thom. 3. p. q. 84. art. 6. Magister sentent. in 4. dist. 14. vbi omnes Scholast. & † determinat Trid. sess. 14. cap. 2. vbi quibuscunque quantum maximis peccatoribus si dispositi accedant absolute non est denegandum pœnitentiæ Sacramentum, sed toties quoties dandum si adsit confessor, nisi in aliquo casu ob aliquam circumstantiam incarceratus ad custodiam non ex confessione Concilium, aut occasionem arripiat ad negandum delictum, de quo iudex interrogat, & est aliàs, vel plene, vel semiplehe probatū. Tūc enim potest iudex cum concipit hunc rationabilem timorem, & aliàs iuridicè procedit ad inquirendam veritatem potest differre confessorem, quousque infamatio perficiatur & incarceratis à S. Officio maximo cum delectu confessor conceditur. Vnde etiam † damnatis ad triremes intra ipsam triremem cōfessio Sacramentalis non denegatur, imo fructuosè ad illam suadentur miseri homines, vt iam quod à loci fœtore & spurcicia se liberare in corpore nequeunt, saltem ab animæ immundicia se abluant, & ego dum essem Genuæ hoc exercitium charitate motus feci.

SVBDIGGRES. IX.

Vtrum concedenda Eucharistia.

S V M M A R I V M.

1. An incarceratis Eucharistia sit concedenda.
2. Authoris sensus adducitur, & n. 5. & 8.
3. Incarceratus in carcere publico tenetur præcepto annuæ communionis.
4. Sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio.
6. Publicus peccator an nullum ius habeat ad Eucharistiam exigendam.
7. An ad Eucharistiam dignè recipiendam non requiratur, quod quis in foro externo sit innocens & indignus pœna.

Tom. II.

9. Baronij sensus adducitur.

10. Incarcerato in carcere secreto & incluso ad pœnam per sententiam publicam non est frequens communicatio danda.
11. Si quis incarceratus sit in carceribus Sacri Tribunalis S. Officij, nec Doctor. Inquisitores ex vi officij tenentur dare occasionem & commoditatem vt communicet, ibique deferatur Eucharistia, etiã vt adimpleatur præceptum annuæ cōmunionis.

MAior est difficultas † de Eucharistia huiusmodi incarceratis danda, circa quam Sanctorius de pœnis cap. 4. p. 1. à p. 181. explicans quoddam statutum seraphici ordinis circa hoc punctum dicit pag. 185. *verf. verumtamen, quod damnatus ad carcerem perpetuum sicuti non posset recipere Sacramentum, ita ad annuam communionem non obligatur, & sufficit ei desiderium. Non enim cum tanto rigore hoc præceptum fuit in Ecclesia practicum, cum legamus SS. Paul. I. Eremitam, Ant. Magn. Benedictū, & alios solitudinis cultores per tres, per viginti, per centum ferè annos in speluncis delituisse, & non communicare, sufficiens ipsis, aliquando id suscepisse, quare quod ipsi fecerunt ob solitudinis amorem, bene poterunt facere in vinculo detenti ob commoditatis defectum. Præterea non teneri superiorem carceratu huiusmodi Sanctiss. Eucharist. offerre, & eo minus illos cogere, nisi ipsi petant argum. cap. scenicis. In quo scenicis, histrionibus, ceterisque huiusmodi personis, vel Apostatis conuersis, vel reuersis ad dominū gratia, vel reconciliatio, non negetur, quod petitionis instantiam supponit. Ita Cartar. l. 3. pract. cap. 2. n. 54. cibus enim non ingeritur nisi appetitum habentibus. Possunt tamen superiores suadere prout charitas vrserit, & ipsimet carcerati peccant mortaliter nisi illo tempore nō communicent, quia accedente commoditate præceptum Ecclesia non custodiunt. Hæc ille.*

Ego quidem † consultus de hoc Neapoli ann. 1625. in damnatis ad triremes plura distinxi notatione digna, quæ breuiter perstringo, aut loquimur de regularibus, aut secularibus, aut de carcere publico, aut secreto, aut de damnato ad triremes, aut ad carcerem perpetuum, aut temporalem, rursus aut est incarceratio ad custodiã, aut in pœnam, existimo igitur, quod † incarceratus in carcere publico tenetur præcepto annuæ cōmunionis, & iudices tenentur dare cōmoditatem, & non impedire, quod huic præcepto Ecclesiæ reus, siue secularis sit, siue regularis, puto enim, quod nullus pius & Catholicus potest ab hoc asserto discedere, cū præceptum hoc grauissimum sit, & quasi determinatio præcepti diuini, quod multi & grauissimi Doctores docent impositum fuisse à Christo Domino illis verbis Ioann. 6. n. 30. *nisi manducaueritis carnem filij hominis*

& biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Ita D. Thom. 3. p. 9. 79. art. 1. ad 1. & p. 80. art. 11. Catechismus Pij V. cap. de Euchar. Bellarm. lib. de Eucharist. cap. 3. Vnde in primo sæculo Ecclesiæ, quotidie communicabāt fideles omnes, quia tūc Ecclesia Christi mādatum determinavit, & intellexit pro temporum necessitate, vt armarentur contra persecutores ad martyrium. Imo quidā expositor Regulæ S. Benedicti existimat, Monachos Benedictinos ex Regulæ obligatione teneri ad quotidianam communionē sicut discipuli Simeonis Stylitæ, vt scribit Ant. eius discipulus, sicut de discipulis Apollonij narrat Ruff. l. 2. c. 7. quotidie communicabant, sic interpretantes Domini præceptum.

4 Quare † sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio, si illius commoditas subest omitti nequaquam potest, etiamsi non esset diuinum præceptum, sed humanum tantum, quod grauissimum est, & moraliter necessarium ad vitam conseruandam tali cibo, qui si nimium differatur calor spiritus tepescit, & deficit, quare iudices debent dare commoditatem existentibus in carcere publico, vt huic præcepto satisfaciant, sicut damnatis ad mortem, iam viaticum datur, & ad id sumendum tenentur iudices tempus, & commoditatem dare, consuetudo enim antiqua iam à Principibus Catholicis, summisque Pontificibus exclusa est. Vnde superiores & iudices ex vi officij, & non solum ex charitate tenentur huiusmodi incarceratis commoditatem dare recipiendi Eucharistiam, vt annuæ communionis præcepto satisfaciant si tamen decenter fieri possit, vt sit altare in carcere, vel si est locus decens, quod deferatur Eucharistia, sicut etiam causa deuotionis defertur infirmis.

6 Addo, † quod si sit carcer publicus in quo sit altare ad quotidie celebrandum iudex laicus, aut Ecclesiasticus nisi ob speciale delictum in pœnam, quantumuis incarceratus fuerit criminofus, & propter crimina ad carcerem istum publicum sit damnatus, imo etiamsi ad triremes dummodo in illis non existant nequit prohibere, vt pluries ex deuotione communicent, & nec illis hodie potest Eucharistia, & communio laica denegari, & quidem nescio quo fundamento contrarium senserit Sanctorius *vbi supra* p. 182. quamuis enim † publicus peccator nullum ius habeat, ad Eucharistiam exigendam, vt probat D. Tho. 3. p. 9. 80. art. 6. & tradunt Patres Cyprianus lib. 1. epist. 7. ad..... Augustinus tract. 26. in Ioann. & hom. ultim. capit. 12. in lib. 50. hom. Chryl. hom. 83. in Matth. & multi alij, quare publico peccatori

semper est deneganda Eucharistia. Ast carcerati, siue ob sententiam, siue ante sententiam per violentam præsumptionem, aut suspicionem criminis peccatores sunt notorij & tales in foro externo (de quo iudicant homines) æstimantur, ergo optimo iure illis Eucharistia denegatur.

Hoc (inquam) fundamentum prorsus est futile & indignum homine docto, quia † ad 7 Eucharistiam digne recipiendam non requiritur, quod quis in foro externo sit innocens, & indignus pœna, alias nec damnati ad mortem possent Eucharistiam sumere, quare quamuis sint digni pœna corporali propter delictum, ob quod tanquam criminofus punitur in vindictam publicam, tamē potest esse contritus, & sacramentaliter absolutus à crimine, & sic est capax recipiendi Eucharistiam, nec illi potest denegari, si est commoditas illam recipiendi, quod non solum est verum incarceratis, ad pœnam, sed etiam in damnatis ad triremes, quos obligatos esse ad annuam confessionē, si adest copia confessoris, & ad annuam communionem, si adest copia & commoditas illam decenter recipiendi mihi non dubium, isti enim tanquam criminofus, & peccatores ob publicam vindictam sunt damnati, siue ad carcerem, siue ad triremes, tamen si conuertantur ad dominum vera pœnitentia, sicut sunt capaces absolutionis sacramentalis sunt etiam sacræ synaxeos.

Verum est, quod antiquitus, quum rigor 8 Ecclesiasticæ disciplinæ vrgebat, vt fideles ab infidelitate & idololatria retraherentur ob specialia crimina, fideles etiāsi pœnitentiam rigidam egerint, & sic ad Ecclesiæ commercium admitterentur, tamen communionem & synaxim Eucharisticam nō accipiebant, etiam in vltimo vitæ, tanquam viaticum, quamuis illis temporibus in præcepto esset frequens communio, & etiam quotidiana, & hoc tãto rigore maxime apud Hispanos, vt in Concilio Illiberitano ob diuersa delicta, vigesies imponatur pœna negationis viatici, vt legēti cōstabit, de quo pūcto multa dixi t. 5. de vero Mar. fid. Res. 30. §. 1. & digress. 1. de explicat. quorundam Can. Conc. præfati. hanc enim pœnam iuste Patres doctissimi primi posuerunt ob grauissima motiua, quæ tunc tēporis vrgebant, vt ait Innoc. I. ep. ad Exuperium cap. 2. cuius verba ibi dedi sicut & Eminentissimi Baronij ex tom. 2. circa an. Christi 305. concludens. † *Quamobrem 9 paulo liberius de Illiberitano Concilio me alias locutum fuisse memini, at cum quæ ab illo in hac re sunt statuta excusentur ab eodem, qui supra Innocentio Romano Pontifice, nemo sit qui accusare presumat.* hæc ex Baronio, quibus addi sententiam D. Ferdinandi de Mendoza lib. 2. pro defensione huius Concilij, cap. 6. quod

quod hodie antiquæ huius seueritatis vestigium
relinet grauissimus & sanctus, tuenda aduersus
hæreses religionis nostræ senatus, relapsus in hæ-
resim et si pœnitentibus in exitu denegans com-
munionem, quod etiam sequitur Vasquez 3.
p. disp. 105. n. 7. sed an hæc hodie consuetu-
do vigeat dubitavi ibi propter c. super eo, de
har. lege omnino Resolut. illâ 30. §. 1. v. quod
statui & seqq. addo, quod si carceratus in
publico loco ad pœnam tenetur viaticum
recipere, & annuam communionem ex Ec-
clesiæ præcepto fidelibus determinatam,
multo magis incarceratus, in eodem carce-
re ad custodiam.

10 Existimo secundum, quod incarcerato in
carcere secreto & incluso ad pœnam per
sententiam publicam non est frequēs com-
municatio danda, nec ad id facere tenentur iu-
dices & superiores etiam Regulares, (quã-
uis sit præceptum in Religione de mensura
communione & cõfessione, vt est statutum
pro Bened. Clem. ne in agro de stat. Monach.
desumpta ex Concil. Vienn. sub Clem. V.) quia si
carcer secretus est, nequit ita continue cum
decentia requisita ad ipsum deferri, esset
enim non parum molestum carcerem ob-
scuro & horridum, & pœnale multoties in
anno mundare, & componere, quare huius-
modi præceptum non obligat existentem in
in carcere secreto, quod si sit publicum in quo
est locus celebrandi, nõ dubito, quin Mona-
chus Benedictin. teneatur illud implete, nisi
aliter disposuerit superior, qui ad id habet
potestatem ex præfata clementina.

11 Addo, quod si incarceratus sit in car-
ceribus sacri Tribunalis S. Officij, nec DD.
Inquisitores ex vi officij tenentur dare oc-
casione, & commoditatem, vt communi-
cet, ibique deferatur Eucharistia etiam vt
adimpleatur præceptum annuæ cõmunio-
nis. Ratio est, quia secretum maximũ, quod
seruatur in hoc sancto Tribunali, tam in car-
ceribus, quam in causis examinandis ab hac
obligatione releuat iudices & rei excusan-
tur ob commoditatis defectum, quod si cõ-
moditatem communicandi haberent, dubio
procul tenerentur ad annuam communio-
nem. Vnde constat, quam leue sit fundamẽ-
tũ, quod pro se adducit Sanct. de Melfis.

SVBDIGGRES. X.

Vtrum damnatus ad carcerem possit fugere.

SUMMARIUM.

1. An damnatus ad carcerem possit ab illo fugere, & ad fugam opus sit carcerem effringere.
2. An peccent mortaliter superiores qui nimis rigidi sunt in delinquentium punitionibus.

Tom. II.

bus, & incarceratorum custodia.

3. An ad formam decreti Urbani de eiectionibus requiratur, quod annus carceris debeat transigi in carcere formali, & n. 4.

NONUM Corollarium sit, an damnatus in
Nad carcerem possit ab illo fugere & ad
fugam opus sit carcerem effringere, licita
sit fractio, de hoc dubio aliquas regulas con-
stitui tom. 2. Moral. tract. ult. Resol. 1. vbi ma-
teriam breuiter digessi, neque opus est
circa hoc plura ducere. Legantur Azor p. 3.
lib. 13. cap. 24. & 25. vbi plures, hæc materia
excitat dubia, & Sanctorius de Melfi. p. 1.
cap. 4. à pag. 193. vsque ad 197. solum placuit
hic afferre dictamen Sanctellorij vbi supra,
satis pium & charitati fraternæ satis con-
forme. *Illud tamen aduertere visum est* (ait) ²
*† peccare mortaliter superiores qui nimis rigi-
di sunt in delinquentium punitionibus & præ-
cipue incarceratorum custodia, si ultra sancitas
regulas (à prudentia scilicet) vietus abstinentia
macerent, lumine priuāt commoditatē recitandi
horas canonicas denegant, libros spirituales le-
gendi occasiones præcipiant, humidis & squali-
dis inhumanis carceribus mancipent, quia ipsis
satiendi auctoritas non conceditur, & agitur de
re grauissima & de violatione præcepti chari-
tatis cap. ex part. de censibus, leg. si seruus ff. de
pignor. act. leg. nec supina ff. de iur. & fact. ign.
cap. disciplina dist. 45. Angelus verb. correctio
Prælatorum n. 1. Rodrig. t. 2. q. 17. art. 3. Portel
verb. carcer n. 2. Bern. Diaz. in præct. cap. 127.
num. 2.*

Decimum, & vltimum Corollarium, sit
an ad formam decreti Urbani de eiectionibus
requiratur, quod annus carceris debeat transigi
in carcere formali, ita vt si carcer clau-
sus, & in vinculis deposito Capuccio & cor-
da, vel virreto quadrato, & cingulo hono-
ris. Respondetur, quod carcer omnino de-
bet esse clausus & imperuius ad communi-
candum cum aliquo qui nõ sit persona, quæ
ad pœnitentiam & contumaciam deponen-
dam & animi duritiem molliendam nõ cõ-
ducat, non tamen requiritur ablatio Capuc-
cij, & cordæ, & similibus, quæ signa sunt
religiosi habitus, nec etiam, quod sit in vin-
culis ferreis, nisi sit timor fugæ, quare suffi-
cit, vel quod in propria cella claue obserata ⁴
sit reclusus, hic enim annus non est carceris
ad pœnam per diffinitiuam iudicis senten-
tiam ad punitionem & vindictam criminis,
sed est custodiæ in qua probatur ieiuniis, &
pœnitentiis, vt leniatur asperitatis ad de-
ponendam animi duritiẽ, & sic perseueret in
statu religioso, & non applicetur ei grauissi-
mũ & extremum expulsionis remediũ, quod
ieiunia debeat facere, & quas pœnitentias
superioris arbitrio relinquatur, qui attenda
qualitate personæ ea imponet.

SUBSECTIO IV.

Qualis fuerit olim inclusorum ordo & institutum?

SUMMARIUM.

1. *Qualis fuerit olim ordo & institutum inclusorum, remissive.*
2. *Laura aliquando sumitur pro cella.*
3. *Theodoretus mens adducitur.*
4. *Filios prophetarum inclusos facit S. Eucherius Lugdunensis.*
5. *Quis inclusus dicatur.*
6. *An Anachoritismus idem sit quod inclusivus.*
7. *Variorum DD. sensus adducitur.*
8. *Eremita perfectio est ex utraque mentem habere à cunctis terrenis ex Cassiano.*
9. *D. Thoma sententia affertur, & n. 12.*
10. *Quid solitarium est debet esse per se sufficiens, ex eodem D. Thom. & n. 11.*
13. *Patres in Trullo Congregati examen & iudicium Episcopi requirunt, ut quis in solitudinem abeat.*
14. *S. Romualdus inter cœnobita quæ in eremis fundabat cella etiam plurimum eremitoriorum adificabat, & n. 15.*
16. *Anachoretis & eremitis qui adnumerentur.*
17. *Originem inclusorum inuestigat Guibellinus.*
18. *Asceticis cœnobiis, eremitis & solitariis duo monachorum pessima genera opponuntur, & n. 19.*
20. *Quodnam sit secundum genus monachorum solitariis oppositum.*
21. *Quid item de iis sentiat Augustinus, & num. 23.*
22. *Quid intelligatur nomine Trutanus.*
24. *Donatista dicebant suos alumnos non circumcelliones, sed agonistas esse vocandos.*
25. *Donatistas esse genus hominum agreste & famosissima audacia dicebat August.*
26. *Circumcellionum primus dux Petilianus.*
27. *Qui dicantur Anachoretæ, solitarij, & celliote.*
28. *Patrum Conc. Tolet. VII. sensus adducitur, & n. 29. & 30. necnon Patrum Constantinop. & n. 31. & 32. 34.*
33. *Quid de vita Eremitica & Anachoretica sentiat D. Thom.*
35. *Moniales solemniter includantur & in claustrali resideant ex Concil. Trid.*
36. *Circa solemniter inclusos duo veniunt notanda, & n. 37. & 38.*

1 **D**E inclusarum ordine † & residentiali clausura Monialium intra sua Monasteria, quæ species est residentia omnibus

aliis arctior *lib. 6 seq.* et si remissive tractabo, hic solum agendum de inclusione, virorum, cuius notitia non parum conducet ad antiquorum Religiosorum mores venandos & admirandos, ad quam notitiam acquirendam aliqua non iniucunde cõdita dabo. Et si enim Guibellinus & ante ipsū Estenius plura circa hoc punctum condierint, at ni fallor non sine requisito ad doctrinalem saporem.

Igitur omissis his quæ longo calamo scripsit Guibellinus *lib. de claus. disquisit. 3. cap. 4. de lauritis, celliote, & anachoretis*, qui omnes speciali instituto contemplationi erant dediti, & à rerum sæcularium tumultu separati, ut Deo soli vacarent, siue in lauris, quæ paucorum monachorum domus, aut locus designatus in Eremito, in quo plures lauras idest cellas continebat (æquales forsitan erant illæ quas S. Romualdus pro suis monachis instituit) erat, siue in cœnobiis, quod plures capiebat personas, sicut ait Suidas *laura angusta domus est monachorum*. Vnde † laura aliquando sumitur pro cella, aliquando pro cellia, quod est locus cellarum, ut ait Nizephorus *lib. 6. hist. cap. 3.* Vnde reipsa laurita, celliote & Anachoretæ pro eodem in antiquis Religiosis vsurpantur. Fuit etiam antipuitus clausura virorum in aliquibus cœnobiis, ita arctæ, sicut hodie est inter nos in Monialibus. † Theodoretus enim in vita S. Symeonis Stylitæ, de Bassis Monachis, dicit. *Neque molam, neque iumentum habere, neque oblatum aurum accipere neque foras ad quarendum neque visendos amicos de monasterio licui, exire licebat.* quam legem sua ætate seruari testatur, similia refert Sophronius [de Monasterio iuxta Iordanis ripas sito, in vita Sanctæ Mariæ Egyptiaca], multi etiam sancti Monachi ab exitu à monasterio totam duxerunt vitam, seseque intra septa monasterij continebant, imo & intra cellæ parietes, de inclusis enim hoc modo, plenæ sūt historiae, & annales Ecclesiastici, & monastici hoc enim voluntariū erat sine aliqua cæremonia publica factū, quare de his inclusis lauritis, & celliote, aut anachoretis non instituitur sermo, nã esset tractatū historiis obuiis passim, replere huiusmodi enim religiosorum hominū genus ab initio nascētis Ecclesiæ fuit inter Christianos, quibus eremi solitudines, deserta, plenæ rāt imò ante legē Christi Carmelitæ erāt in locis & cauernis, & speluncis Deo vacantes occulti & inclusi, ut late tradūt Math. Rod. in *syntagm. de inclusis*, quorum natales adūbrat, à Christo iã adulto & à B. Ioan. Bapt. qui se abdidit & inclusit in eremo † Eucherius etiā Lugd. in *ep. de fuga seculi ad Hilariū*. filios Prophetarum inclusos facit, & *Cas. l. 4. inst. c. 34.* anachoretas inclusos refert, de his enim videtur loqui Paulus ad Hebræos *capit. 11. circueerunt in melotis,*
in

in pellibus caprinis, egentes angustiati, afflicti quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & caavernis terra, isti enim ut dixi proprie non dicuntur inclusi de quibus modo, sed se occultabant, vel timore persecutionis tyrannorum in Christianos, vel amore solitudinis, ut sacculum fugerent & tumultum negotiorum, ut securius vitam degerent, nec etiam est in presenti sectione sermo de his qui in pœnâ in Monasterium detrusi recludebantur de quibus plura *sect. sequenti*.

- 5 Inclusus igitur † de quo in presenti est, ut ait Raderus *ubi supra*, qui siue vir sit, siue fœmina cum solempni cœremonia Deo initiatur cultu religioso velatus ab Episcopis & Præsulibus laribus inclusus, ex quibus nunquam se egressurum sacramento votoque iuratus se adstrinxit, de hoc igitur incluso in presenti disquiritur, qualis fuerit cœremonia, qualis ordo, an fuerit specialis, ab aliis omnibus discretus, qui vitæ & regiminis modus, & an hodie sit in vfu, an fuerit perpetua inclusio, an temporalis.
- 6 Alicui videri posset, quod † Anachoretismus, idem esse quod inclusivissimus. Anachoreta enim ab ἀναχωρῶν dicitur, quod significat secedo ab aliis. Vnde Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium. Anachoreta* (inquit) *qui soli habitant per desertâ, & ab eo, quod procul ab hominibus recesserunt nuncupantur*. Vnde ἠσῆτος, hoc est in silentio & quiete degentes, Iustinianus nuncupat *Novella 5. de Monach.* sed hic Anachoritismus, ex hac notione latus est sicut & inclusivissimus, de quo supra strictus sumitur Anachoreta, seu eremita inter ordines Monachales, in quibus nullus poterat Anachoreta fieri, aut Eremum in cella speciali habitare, nisi probati fuerint
- 7 vita Monachali per aliquot annos, ut ait † S. Benedicte *cap. 1. Regulæ. Secundum genus* (inquit) *Anachoretarum, id est Eremitarum qui monasterij probatione diuturna didicerunt contra Diabolum multorum solacio iam docti pugnare & bona instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, & c.* quod antea dixerat Cassianus *lib. 8. inst. cap. 18. Porro eremum perfectos omnique vitio expurgatos oportet expetere, & c.* & antea Hieronymus *epist. 4. ad Rusticum. ubi dicit varie esse probandos in cœnobio antequam eremum ingrediantur. ex quo Synodus in Trullo Constantino Congregata Canone 4. determinat, quod quadriennio toto multis modis in monasteriis probatos, & accedente Episcopi examine & iudicio ad vitam eremiticam potest quis admitti* D. vero Isidorus *triginta annos, alij viginti, ut ait Possuetinus lib. 5. Bibl. cap. 57. probationis exigunt,*
- 8 ut enim ait Cassianus *collatio. 19. cap. 8. † Eremita perfectio est exutam mentem habere à cunctis terrenis, eamque quantum humana im-*

becillitas sinit unire cum Christo. Quem virum Hyeremias Propheta describens. Beatus (inquit Threnor. c. 3.) *vir qui tulit iugum ab adolescentia sua sedebit solitarius & tacebit, quia lenauit se super se.* Hæc Cassianus, quem imitantur Hieronymus ad præfatum locum Hyerem. August. *lib. 1. de moribus Eccles. 31. Basilius orat. de laud. solitar. vite. ex quibus plura colligit Buseus de stat. hom. tit. Eremi status.*

Quibus profunde & solide se conformat uterque Thom. 2. 2. *quest. 188. art. 4. ubi S. Doctor plura valde egregia dicit de vita & perfectione Anachoretarum & Eremitarum solitariorum* † *hoc vita genus solitarium perfectius instrumentum perfectionis, quam sociale in Monasteriis esse, cuius rationem egregiam dat in solutio. ad 5. ex Arist. lib. 2. Polit. cap. 2. quia qui solitarius viuit, totaliter diuinis rebus inheret, est supra hominē, & ideo dixit Aristoteles, quod ille qui aliis non communicat, aut est bestia, aut Deus id est diuinus vir.* Vnde idem S. Doctor in *corp. art. rationem maioris perfectionis in Anachoretis, quam in cœnobitis assignat. Quia † quod solitarium est debet esse per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti, & ideo solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit, quod quidem contingit dupliciter vno modo ex solo diuino munere sicut patet de Ioanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex utero matris sue. Vnde anima adhuc puer esset erat in desertis, alio modo per exercitium virtuosi actus secundum illud ad Hebræ. 5. Perfectorum est solidus cibus ad exercitium autem huiusmodi iuuatur homo ex aliorum societate, vel quantum ad intellectum, qui instruitur de contemplandis, vel quantum ad affectum, ut noxia affectiones reprimantur exemplo, & correctione aliorum, & ideo vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis, solitudo autem pertinet iam perfectis. Vnde Hieronymus dicit ad Rusticum Monachum: solitariam vitam comprehendimus minimè (quippe, quam saepe laudamus: sed de nido monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites quo eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conuersationis sue multo tempore didicerunt, sicut ergo, quod iam perfectum est præminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum si debite assumatur præminet vita sociali, si autem absque precedenti exercitio talis vita assumatur est periculosissima, nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur sicut patet in Beatis Anton. & Benedicto. hæc ibi, quibus Anachoretâ & Eremitâ solitariū graphice à Patribus descriptum, Theologicè depuratum stillauit. Quare egregie ibi alter Th. in comment. dicit: Tentatis ad vitam solitariam bene explanetur*

doctrina hac, & examinent se si propter animi passionem solitudinem querunt, aut propter perfectionem vita iam assecutum, ita ut sint iam patientes, benigni, humiles, mansueti, & contenti pane, & aqua. Perfectorum, inquit Apostol. solidus est cibus eorum qui exercitatos habent pro consuetudine sensus ad discernendum practicè & affectuosè bonum & malum, quis est hic & laudabimus eum? Hactenus Cardinalis.

Quæ utriusque Thomæ doctrinæ solidus cibus est quem mandere debent Patres spirituales & Superiores Regulares inter quos est Eremita habitatio ad tempus, ut sunt PP. Carmeli excalceati & domus recessus, ut nos clerici Minores, aut vitam solitariam in Eremitoriis solitudinis, ut Patres Benedictini, ut probent spiritus quibus excitatum ad huiusmodi vitæ modum, nam si absque præcedenti exercitio, atque examine talis vita assumatur est periculossissima, quare † Patres in Trullo congregati examen & iudicium Episcopi requirunt, ut quis in solitudinem abeat. Verum est, quod ad paucos dies, ut exercitia spiritualia perficiat facilius potest licentia impertiri, tamen ad annum aut plures menses, examine & iudicio speciali opus est.

Hinc est quod olim antiqui Monachorum Patriarchæ nõ solum celeberrima Monasteria ad vitam socialem religiosam in communitate ducendam instituebant, sed in locis vicinis lauras, & eremitoria ad eremitoria solitudinem colendam ædificabant, quibus mittebant eos quos altioris contemplationis, & securioris perfectionis agnoscebant, ut ibi tanquam aurum in fornace decoquebantur, & se puriores redderent, ita referunt Cassianus *præfatione ad collationem* 18. Climacus *lib. ad Pastorem cap. 14.* & Hasticulla *in hist. Camaldul. l. 1. c. 5.* Si enim Romuald. iuxta canobia, quæ in eremis fundabat, cellia etiam plurimum eremitoriorum ædificabat, in quibus qui digni & apti iudicabantur monachi vitam austerissimam debebant, tam in Calmaldullæ valle iuxta montis Apennini iuga à S. Romualdo *ann. 967.* quam in monte coronæ reformata à Paulo Iustimiano *ann. 1520.* de qua Baron. *t. 12. ann. Christi 974. & 977.* & Pla. *lib. 2. de bono stat. Relig.* adeo enim hic modus viuendi regularis omnibus aliis qui in Ecclesia erant instituti, & à Sede Apostolica confirmati erat asperior & rigidior, ut ad illum possint iuxta Bullam Eugenij I V. quæ incipit. *Ille data 8. Kalen. Decembr. 1473.* petita & non obtenta licentia etiam Carthusiani transire, hunc viuendi modum eremiticum ambiendum antiquos Monachorum Patriarchas imitantes proponunt, multæ etiam mendicantium familiæ suis Religiosis ad tempus proponunt

magnis spiritus diuini incrementis, sic Patres Capuccini, ut refert Bouer. *in ann. al. suis ann. 1529.* sic Patres Carmeli in qualibet Prouincia domum, quam vocant *deserti* habent. Nos etiam habemus domum, quam *Recessus* dicimus, in qua solum contemplationi vacatur, & omnes omnino domus egressus sunt inhibiti & cum sæcularibus commercium, solum enim Procuratori conceduntur, omnes enim qui ibi degunt inclusi permanent in cœnobio toto tempore vacationis suæ, ad illam vitam peragendâ, quæ etsi non sit eremitica sicut Camaldulensis, & aliæ similes, est tamen quoddam reclusionis genus temporaneum ab omni sæculi tumultu secretum, valde conducens ad fauorem spiritus acquirendum & conseruandum, ut ab illo egressi facilius, & securius proximis ædificemus, illisque opera salutis impendamus, neque enim vitam eremiticam perpetuo agere possumus, nec ad id cogi possumus, cum institutum nostrum mixtum sit exactione & contemplatione, & utriusque vitæ exercitia comprehendamus, & vitam Anachoreticam contemplatiui solum possunt perpetuo habere, ut egregiè S. Thom. *vbi supra.*

His † Anachoretis & eremitis adnumerantur illi (ni fallor) quorum Catalogum ex Benedictina familia texit Doctissim. Estennus in antiquitate monastica apprime eruditus *l. 1. disquisit. tr. 8. disquisit. 2.* quorû ante signatus fuit Marcius S. Benedicti discipulus, quæ inclusus catena ad lapidè ligatum in spelunca occlusa, refert S. Greg. *lib. 3. Dialog. c. 16.* & plures alios sui Ordinis alumnos regulam S. Patris huiusmodi inclusis erudite accomodans, ut ostendat, ita rigidum fuisse Benedicti institutum, ut æquiparetur iure optimo inclusioni, eisdè & multos alios refert Guibellinus *de clausur. disquisit. 3. cap. 4. de inclusis.* vbi † & originem inclusionum inuestigat, causas inclusionis assignat, tam in viris, quam in fœminis, loca inclusionis adfert ex historiis & vitis Patrum, nam alij in cisteris, alij in sepulchris, alij in cauernis, & speluncis, & ferarum antris, alij intra septum subdio omnibus cæli, & tempestatum iniuriis, alij intra ambitum columnæ, & circumferentia se continebant, alij intra arborum cavitates, quorum omnium exempla adducit, verum fere nullus ipsorum iure inclusi dicuntur, ex cæremonia Ecclesiastica, sed deuotione & pœnitentiæ agendæ causa, ita se includebant absque voto & Episcopali examine, atque iudicio, vtrumque enim exigitur ad solemnem & iuridicam inclusionem, & sine vtroque simul, inclusio simplex est nullo vinculo stricta & obserata.

Huiusmodi Asceticis cœnobiis, Anachoretis, eremitis, & solitariis, (qui suâ residentiâ habebant,

habebant, & sedem in cœnobiis, lauris, cellis, eremitoriis, & aliis inclusoriis locis) duo alia Monachorum pessima genera sunt opposita, & contraria. Primum est Sarabitarum qui Ægyptiaca lingua (vt dicit Cassianus *collatio. 18. cap. 7.*) (vbi teterrimum, & infidele monachorum genus appellat) Isidorus *lib. 2. officio. cap. 15.*) ab eo quod se metipsum a cœnobiali disciplina sequestrant, suasque appetunt liberi voluntates D. Hierony. *epist. 22. ad.....* Romoboth. *apud quos* (ait) *affectata sunt omnia, laxa manica, caligæ follicantes, vestis erasior, crebra suspiria visitatio virginum, detractio clericorum.* Hos etiam Sarabaitas, S. Odo Abbas *lib. 3. collat. cap. 23.* *Renuntas* appellat, quia iugum regularis disciplinæ renunt, *bini, vel terni, nec multo plures simul habitant* (ait Hieronymus *vbi supra*) *suo arbitratu ac ditone viuentes, quos esse in sua Prouincia dicit, & esse genus monachorum teterrimum, & neglectum, huiusmodi Sarabaitæ apud Turcas esse strictioris vitæ, & austerioris inclusionis* narrat Rodiginus *lib. 14. lectio. cap. 39.*

20 Secundum genus Monachorum teterrimum est eorum qui dicuntur Gyrouagi, quos peiores esse, & deteriores Sarabaitis (ait S. Benedictus *in Regula cap. 1.*) qui isti ædificant cellas, & saltim bini habitant, & de opere manuum suarum aluntur, at Gyrouagi, & nullibi habitant de laboribus alienis viuunt, dicuntur enim à Synesio *epist. 67. vacantiui*, & eo vagantes vbi maius compendium est quos Monachos vagantes, & gyrouagos eleganter describit August. *lib. de opere Monacho. cap. 28.* his verbis: *† Iam multos Hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit (Diaboli) circumuolantes prouincias nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum uendit aut alij fimbrias, & filacteria sua magnificant: alij parentes, & consanguineos suos in illa regione uiuere & ad eos pergerant inueniuntur, & ab omnibus petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrose egestatis, aut simulat. e. pretium sanctitatis, cum interea in factis suis malis deprehensi fuerint, ubi quoquomodo innotuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur tam bonam, tam sanctum quod in Christi nomine cupimus sicut per alias terras sic per totam affricam pullulare. Hactenus August. de hos Gyrouagos circumuagantes, & pererrantes raues tortuoso volatu, & eorum consilia vesperationum volatibus. Similia dicit Basilus *c. 9. de constit. Monacha.* Euripes nidoris ciborum uento circumactos, ac perpetua instabilitate laborantes Isidorus Pelusio *lib. 1. ep. 41. ad Philippum Gyrouagum Monachum Trutanos?* Cæsarius Husterbacensis Abbas *lib. 1. cap. 10. dicunt.**

Sed quid Trutanus? quidam dicunt vocem esse Barbaram, & idem valere Hispano, & Gallo idiomate quod *Tricam* ita Estenius *vbi supra disquis. 3. in fine.* Sed melius si ni fallor *Trutanus*, pro *Truo*, truonis, auis (ait) cygno non dissimilis græce *τρονός* dictus in faucibus ipsis capacissimum ventriculum habens, quo omnia congerit donec perfecta rapina, sensim inde in os reddita in veram aluum ruminantis modo refert, vt ait Calepinus verbo *Truo*, quæ proprietat egregie quadrat monacho gyrouago, qui Euripus dicitur circumuactus ciborum uento à Pelusiotâ. *Truo* enim siue *τρονός* valde gulosus, & vorator, vt tradit ex Isidoro Bercharius *lib. 7. reductorij cap. 55.* & tradit Basilus *cap. 9. citato. venire* (inquit) *intemperantes sunt.* Quare mihi verisimilius hoc videtur.

Hos Gyrouagos Monachos cum circumcellionibus August. confundit Estenius *disquisitio. 23. citat.* Quia si teste Aug. *enarratio. in ps. 132. circumcelliones dicuntur* (ait S. Doctor, quia *circum cellas vagantur*, quod dicit S. Benedictus *cap. 1. de gyrouagis qui per diuersorum cellas hospitantur semper vagi nunquam stabiles.* Sed toto cœlo errat in re Estenius *circumcelliones* Augustini alio contagio contra fidem laborabant, hæretici enim erant vt liquido constat ex *enarrat. in prefatum ps. aduersum primum. ecce quam bonum, & quam iucundum*, vnde si Donatistæ dicebant suos alumnos non circumcelliones, sed agonistas vocandos esse, quia agonem id est martyriū patiebantur, De quibus Castro *de hæresibus. verb. Martyrium. Tertia hæresis est adhuc pestilentior, ne dicam atrocior, quoniam asserit omnes qui ultronei mortem patiuntur esse martyres dicendos, siue talem mortem ab aliis infligant, siue eam sibi ipsis infligant.* Huius hæresis auctores vocat August. *Circumcelliones* *lib. de hæresibus cap. 69.* dicens *† eos esse genus hominum agreste, & famosissima audacia non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insania, & feritate parcendo. Nam per mortes varias maxime precipitiorum, & aquarum, & ignium se ipsos necare consueuerunt. Et in istum furorem alios seducant, & se ipsos occidant, quod si facere alij contemnunt, mortem illis minantur, dicentes hoc modo illos martyres fieri. Hos hæreticos Philiaster vocat circuitores, quoniam ad hæc facinora perpetranda per diuersas partes circuibant. Quis huius insanie hæresis fuerit Dux, aut quo tempore caperit, nec August. nec Philiaster prodidere, Augustin. dicit illos pertinere ad Donatistas, & sub illis militare. Hactenus Castro.*

Sed ego existimo quod si horum circumcellionum primus Dux fuit Petilianus Donatista ille, contra quem aliquot scripsit tractatus. Hic enim docebat, eos qui se pro pec-

cato inrerimebant debere Martyres nuncupari pro eo quod puniunt in se quod dolent commisisse, ex hoc enim..... dolore impulsī, & acti circumcelliones in præcipitia se dabant, igni tradebant, & in aquis se suffocabant, vt morte corporis delerent infectionem animæ per peccatum, sed de his Lōgius dixi tom. 5. de vero Martyrio fidei tr. 4. Resol. 2. 3. vnde luce clarius constat quod circumcelliones Augustini non sunt Gyrouagi Benedicti, illi hæretici Donatistæ, isti catholici erant, etsi malis moribus assueti, gulosi, inconstantes, & similibus vitiis infecti, quare etsi ethymon circumcellionū datum ab August. gyrouagis conueniat, quia hospitabantur iuxta monachale institutum tri-duo in cellis cænobiorum, ad quæ aduebant, & sic cellas monachorum circuibant, ast in re non erant circumcelliones hæretici, de quibus Aug.

- 27 Igitur † Anachoretæ, Solitarij, Celliotæ, & huiusmodi Affetici viri, à tumultuarij sæculi negotiis, & à conforcio, & focietate etiam monachali se segregati sibi solis viuentes, solique Deo vacantes simplici inclusione erant inclusi, & multi solo proprio spiritu ducti, non diuina acti inspiratione in Eremum, & inclusoria abibant, inconsulto Abbate, & Episcopo ignorante, vnde etsi bonus esset zelus, at non secundum scientiam, ex huiusmodi enim recessibus multa scandala apostasiæ non pauca, & pericula multa oriebantur, quæ videntes, & considerantes Patres Toletani Concilij 7. congregati ann. 652. sexto anno Regni Chindasiundi Regis sic statuerunt, † integrum caput do, quia continet plura antiquis Conciliis statuta. Quosdā Paternarum ignaros vel oblitos traditionum in tantam conspicimus corruisse desidiam, vt eorum execrando vsu pene abolita pateant, que extitere legitime constituta. Dum enim in docti dicere appetunt, quid aliud quam quod ignorantie errore vexentur, ostendunt? & quia egressu præpostero innitentes presumptionem doctrina discendi studiis anteponunt, patet quod non summa humilitatis petunt, sed actioni deprauationis inseruiunt (videant, & attendant qui nouitatibus vacāt antiquitate sprete, quod iuxta hos doctissimos, & venerabiles Patres non summa humilitatis petunt, sed actioni degrauationis ostendunt, superbi ergo sunt isti, & omnia bene statuta deprauant nouitatibus suis) ex hoc ergo iustæ seueritatis decernentes opportuno amputare iudicio. Iubemus eos quos in cellis propriis reclusos sanctæ ambitio vitæ tenet, quosque eiusdem sancti propositi, & merita sumant, & probitas ornat, hos, & Dei auxilio, & nostro fauore tutos existere, illos vero quos in tale propositum ignauia impellit, non prudentia cognitio deputauit, quosque nulla vitæ dignitas ornat, sed quod est deterius, & ignorantia sædat,

& morum execratio turpat, decernimus ab iis abiici cellulis atque locis in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur inclusi; atque ab Episcopis siue rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt vel in quorum vicinitate consistunt in monasteriis omnino deputentur, vt illic sancti Ordinis meditantibus doctrinam primum possint discere que sunt à Patribus instituta, vt postea valeant docere que sunt sancta meditatione percepta. Atque tunc demum si doctrina, & sancti operis fructu extiterint fecundati ad summa virtutis properent, exercitio sancta intentionis imbuti. Deinceps autem quicumque ad hoc factum propositum venire disposuerint, non aliter illis id dabitur assequi, neque hoc antea poterunt adipisci, nisi prius in monasteriis constituti, & secundum sanctas monasteriorum regulas plenius eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerint sancta promereri doctrina, &c.

Patres Toletanos imitati sunt Patres constantinopolitani in Trullo congregati anno 690. canon. 41. † vbi sic habetur, eos qui in vrbibus vel vicis in clausuris volunt secedere, & ipsi sibi separatim, & in solitudine attendere, prius quidem in monasterium ingredi oportet, & anachoreticam, hoc est ab aliis separatam ac semotam viuendi rationem exercere, & spatio triennij, ei qui mansioni præest, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, vt æquum est implere, & ita eius vitæ eligendæ institutum profitentes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplectuntur, ab eius loci præfuli examinari. Deinde sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, vt si opus eorum maneat manifestior. Post tanti autem temporis complementum si in eodem vitæ eligendæ instituto permaneat, includi ipsos, & et non amplius licere quum etiam voluerint ex tali mansione egredi, præterquam si propter communem utilitatem vel aliã necessitatem ad mortem urgentem ad id trahantur, & ita cum benedictione eiusdem loci Episcopi. Hactenus ibi.

Vtrumque sane Concilium vnum in oriente, & alterum, in occidente congregatum huius antiquæ, & rigidæ inclusionis vestigia, & notiones proposuerunt Patres se conformantes Concilio Agathensi celebrato anno 516. sub Symmacho Papa cap. 38. & Concilio Veneto in Venetia Galliæ ad Litus oceani Gallici congregato cap. 7. vtriusque enim Concilij Patres modum præscribunt huiusmodi inclusionibus, siue in Eremis, & solitudinibus siue in villis, & ciuitatibus. Sed Patres Toletani formam requisitam dedere, vt quis solemniter possit includi, ne quis includatur, & solitarie viuat, nisi prius vitam egerit socialem in monasteriis, deinde quod si aliter hoc inclusorium fiat à Præfulibus, & eius ministris coerceantur, & reformentur, huic enim doctrinæ se conformat D. Tho.

33 Tho. *quaest.* 188. *art. vlti* 22. dum dicit quod
 † vita eremitica, & anachoretica periculo-
 sissima est nisi perfectione acquisita in vita
 sociali monasterij, rursus tanquam necessa-
 rium requirunt Patres quod ad inclusionem,
 vt erudiantur secundum sanctas monaste-
 riorum regulas, & dignitatem honestæ vi-
 tæ, & notitiam sanctæ doctrinæ acquirant,
 quare hæc vita socialis in monasteriis fuit
 veluti nouitiatus ad inclusionem, ita vt sine il-
 lo hæc nec solemnitas nec iuridica existeret.

34 Sed plenius Patres Trullani † hoc to-
 tum expressere suo Decreto, nam To-
 letanum non determinauit tempus huius
 nouitiatus, & instructionis præambulæ
 ad inclusionem, vt fecit Trullanum consti-
 tuens, *tricennium* ad vitam socialem, & *an-
 num* ad anachoreticam priusquam include-
 retur aliquis. Secundo addit quod talis in-
 clusio ita solemnitas est vt non liceat ex illa
 mansione egredi nisi utilitas publica aut ne-
 cessitas vrgens, & vergens ad mortem in-
 stet. Tertio requirunt viriusque Concilij Pa-
 tres, vt solemniter recludendus examinetur
 ab Episcopo cuius iudicium intercedat, &
 prudentiale dictamen, sicut hodie requirunt
 Patres Tridentini *sess.* 25. *cap.* 17. *de Regular.*

35 vt † montales solemniter includantur, & in
 clausura claustrali resideant; viri enim qui
 antiquitus se includebant, ad id voto, & iu-
 ramento præstito se obligabant, vt supra di-
 cebamus ex Radero, qui ex Membranis M.
 51. quæ sunt in Monasterio Paumburgensi
 Regulam ordinis inclusorum ad verbum ad-
 fert, & refert Estenius *lib.* 1. *tract.* 8. *disp.* 2.
 Sed existimo hunc ordinem non fuisse di-
 stinctum ab aliquo monachali, sed in mo-
 nasterio fuisse designatum locum circum-
 cellis suis, & inclusoriis in quibus specialem
 illum, & rigidum modum viuendi obserua-
 bant qui de licentia Abbatis, & Episcopi exa-
 mine, & iudicio includuntur (tunc enim re-
 gulares subdebantur Episcoporum iurisdic-
 tioni) hoc autem ita esse constat ex Regu-
 lis ipsis si attente legantur; & nos supra hæc
 eadem sectione adnotabamus.

Duo circa huiusmodi solemniter inclusos
 36 noto. † Primum, quod Raderus *ubi supra*
 (cuius verba adfert Estenius) *cap.* 15. dicit
 quod includendus in oratorio coram Epif-
 copo, & omni clero promissa verbis tantum
 de stabilitate sua vel conuersione morum
 suorum. Post ingressionem autem præcipiat
 Episcopus ostium Retractionis cellulæ *apud*
fragisimo (id est sigillo suæ dignitates) sigilla-
 re, vt scilicet nulli liceret reclusionem, &
 clausuram frangere impune, & seclusorij
 ostium aperire tanta erat huius reclusionis
 Religio.

37 Secundum, quod in Regula illa reclu-
 sorem Paumburgensi illius initio dicitur.

Quicumque serauerit ordinem illum sciat se sine dubio saluandum, sed si quis introierit, & non perseuerauerit sciat se damnandum. Quæ doctrina caute est legenda, & sale catholico condienda, non enim hoc est omnino, & absolute infallibiliter verum, sed verificatur, quia huiusmodi institutum secum habet ita parata auxilia ad bene viuendum, quod si quis illis non abutatur, sine dubio saluabitur, sicut dixit Ioannes secundus de ordine Cisterciensi. *iuxta Christi reuelationem, & infallibile promissum perseuerantes in isto ordine Cisterciensi sub religiosa humilitate, & obedientia infallibiliter saluabuntur*, circa quæ verba sic Hispano sermone in *annalibus ordinis Benedictini* sic fatur Pater Zepes. *Con estas reuelaciones senos da a entender que por los merecimientos de los santos da Dios mas copias de faouores, socorros mas claros y patentes conque hace aqui por alos seruos de Dios, y sino es que ellos resistan a sus llamamientos los faouores y oraciones de los santos sontan poderosas, que facan a vn alma de las tempestades deste mundo al puerto seguro de la saluacion, y tener ayudas tan eficaces es gran fauor.* Hactenus ille, hoc & nihil amplius dicitur in præfatio præmio *Regula Inclusorum*, & sic, & non aliter est intelligendum. Sic consultus respondi Mantuæ Carpentanæ *ann.* 1644. de quadam reuelatione facta non dissimile huic, cuidam Religiosæ foeminæ, & hæc de inclusis, & ordine inclusorum doctrinaliter sint dicta, vt Historiæ Ecclesiasticæ intelligantur, nec enim descendendum est ad eas in speciali, esset enim superfluum intentioni nostræ.

SUBSECTIO III.

Quæ fuerit antiquitus pena reclusionis in Monasterium.

S V M M A R I V M.

1. *Reclusio in monasterium pena fuit antiquitus à sacris Canonibus imposita pro agenda penitentia, ob patrata delicta tam clericis quam laicis.*
2. *Clericus adulterij conuictus depositus ab officio communionem concessa, in Monasterio toto vitæ tempore tradatur, ex Conc. Aurel.*
3. *Retractionem in monasterium tradit in clericos peccantes contra naturam Alexander III.*
Et in reuelantes confessionis sigillum Innocentius III.
4. *Laici homines, & nullo insigniti Ecclesiastico ordine in Monasterium detrudebantur in penam commissi criminis.*
5. *S. Gregorij Mag. sensus adducitur, necnon Hormisdæ Papa, & n. 6.*

7. Quid inter pœnitentiam solemnem, & publicam detrusionis in monasterium intersit.
8. Pœnitentia solemnis à pœnitentia iuridica, & publica distinguitur.
9. Inter pœnitentiam solemnem, pœnitentiam iuridicam illatam pro delictis, & inter statum pœnitentium, discrimen, & numero 59.
10. Baronij sententia adducitur.
11. Anathematizatus in rigore censura Ecclesiastica non admittitur ad consortium fidelium civile, nedum Ecclesiasticum.
12. Authoris iudicium affertur, & n. 13. 45. 53. 54. 73.
14. Quid sit subiectio ex S. Greg.
15. Quid item sit congregatio, & consistentia ex eodem.
16. Guibellini sensus admittitur.
17. Quid veniat notandum contra Guibellinum.
18. Qui pœnitentes solemnnes aliqua excommunicatione maiori vel minori erant ligati.
19. Excommunicatio maior, & anathema non fertur nisi pro peccato mortali, in quo quis erat contumax, & incorrigibilis.
20. Excommunicatio ferri non potest pro peccato mortali nisi contumax fuerit ex S. Thoma.
21. Quæ exclusio non dicatur maior.
22. Concilij Eliberitani sensus adfertur, necnon Innocentij III. remissive, & n. 23.
24. Quæ dicebantur ceremonie quibus Ecclesia utebatur cum pœnitentibus.
25. An excommunicatio minor separet hominem à catu fidelium, & n. 26.
27. An pœnitentia publica diuersum quid erat ab statu pœnitentie.
28. An status pœnitentie esset omnino distinctus ab statu monachali, & professione solemnii religiosa.
29. Tertulliani sensus adducitur, & numer. 81. & 89.
30. An quandiu quis erat adimplens solemnem pœnitentiam, non poterat habitum pœnitentie dimittere.
31. Conc. Tolet. IV. Decretum affertur, & n. 60. quid item circa Decretum hoc veniat ponderandum, & n. 32.
33. Solemnis pœnitentia iterari non debet propter tria, ex S. Thom.
34. Sacularis qui statum pœnitentie solemnii se tototondens, & comam abscindens accepit, iterum fieri laicus esse nequit, & n. 35.
36. Cur in ordinibus tam monachalibus quam mendicantibus aliqui in temporalibus negotiis, & officinis occupati dicantur conuersi.
37. Quomodo pœnitentia solemnis fiat.
38. Pœnitentia publica solemnis solis hæreticis, & schismaticis dabatur.
39. Episcopus solus potest pœnitentem reconciliare, & n. 40.
41. Isti solemnnes pœnitentes in cana domini quolibet anno à suis Presbyteris in Ecclesiam reducuntur, ex S. Thom.
42. Solemniter pœnitentes etsi non fierent Religiosi solemniter professi, an ex vi solemnii pœnitentie si coniugati erant nequirent debitum exigere, & n. 43.
44. Solemnis pœnitentia exomologesis impedimentum erat non dirimens, sed impediens matrimonium.
46. Solemniter pœnitentibus noua coniugia erant prohibita.
47. Solemnis ratio pœnitentie quid sit, ex S. Thoma.
48. Concilij Arelatensis statutum affertur, necnon Aurelianensis, & n. 49.
50. Quid ex dictis veniat colligendum, & n. 51. 52. 55. 61.
56. Item Conc. II. Matisconens. statutum affertur.
57. An pœnitentes coniugij debeant relinquere copulam.
58. Ex pœnitentia solemnii oriebatur impedimentum ad matrimonij usum.
62. Pœnitentia publica, & solemnii aliquando confunduntur in iure Canonico.
63. Exomologesis prosternendi, & humiliandi hominis disciplina est, ex Tertul.
64. Santbenito ex quo originem ducat, & numero 65.
66. Quis item hodie santbenito color imponatur.
67. Crux signum est exterius quo fidem Catholicam Christicola omnes profitentur.
68. Cur color croceus in crucibus imponatur, & n. 69.
70. Solemniter pœnitentes tondeantur, & comam non nutriant, ex Conciliis Tolet. & Hispan.
71. Cur mulier in solemnii pœnitentia, non abscebat comam, & n. 72.
74. Paulini sensus affertur.
75. Famina caput debent velare propter Angelos.
76. Cardinalis Baronij mens propalatur.
77. Mos abscindendi capillos tam virginibus deo dicatis quam pœnitentibus solemnibus semper viguit.
78. Non est idem comam habere, & illam nutrire, & comam nutrire, & illum abradere.
79. Ambrosij sententia adducitur.
80. Comam habere viris non est dedecus.
82. Tonfor locum habet in viris non in feminis.
83. Viris indecorum comam nutrire.
84. Quomodo coma nutritio fieri contingat.
85. In coma nutritio Seneca inuectio.
87. Item in feminas coma nutritio insurgit Africanus. n. 87. & 88.

90. *Vir solemniter penitens tondeatur, & femina non accipiat penitentiam nisi habitum prius mutauerit.*

91. *Solemnis penitentia tam viris quam feminis hodie non est in usu, & n. 92.*

Reclusio in Monasterium † pœna fuit antiquitus à Sacris Canonibus imposta pro agenda pœnitentia ob delicta patrata, tam clericis, quam laicis, tam viris, quam fœminis, his in conuentum puellarum, & illis virorum. Concilium Agathens. sub Symmacho Papa anno 506. *Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ob capitale crimen, honore officij, & cingulo honoris depositis in monasterium detrudi, & laica communione contentum fore quoad vixerit mandat.* Idem de Presbytero, & Diacono Epaunense sub Hormisdada *cap. 2. & Aurelianense 3. cap. 3. † de clerico adulterij conuicto, statuit quod depositus ab officio communione concessa in monasterio toto vitæ tempore tradatur, sed in hac pœna imponenda vigilantiores, & exactiores extitere Patres mei Toletanorum Conciliorum, nam in Tolet. 4. cap. 28. congregati, Episcopum, & quemlibet clericum qui ariolos cõsuluerit, scelus sacrilegij admissum soluat perpetua monasterij clausura ad perpetuam peragendam pœnitentiam, & in Tolet. 7. cap. 9. vnius anni reclusione in monasterium castigat clericos honoratiores, qui segnes, & tardi extitere in commonendo vicino Episcopo de exequiis, & morte sui Episcopi, & in Toletan. 8. cap. 3. & simoniace ordinatos, & fœminarum contubernio à quo se non possunt cohibere, sed relabuntur in idem crimen iam correcti in monasterio sub perenni pœnitentia donec vixerint, retrudunt Patres domum Dei, & ipsius Ecclesiam zelantes. Similem retrusionem in monasterium † tradunt Alexander III. in suo Lateran. 6. 1. p. 1. in clericos peccantes contra naturam. Innocentius III. in suo cap. 21. in reuelantes confessionis sigillum. Feminis etiam hanc pœnam esse impostam constat ex Concilio 2. Matisconensi cap. 16. in quo instituitur quod si vxor Subdiaconi (tunc enim non habebat votum solenne castitatis sicut hodie) exorcistæ vel Acholiti illis mortuis secundo se matrimonio copulauerit separetur, & in cœnobiis puellarum Dei, tradatur, & ibidem vsque ad exitum vitæ suæ permaneat. Idem statuitur in concilio Constantinopolit. in Trullo congregato cap. 48. de vxore Episcopi electi, non vt agat pœnitentiam, sed vt ibi ab Episcopo separata caste viuat, vt bene Balsamon. ibi adnotat. Imo etiam si Monachus graue, & capitale commiserit crimen à suo monasterio in aliud durioris, & asperioris vitæ retrudi mandat Concilium Altisiodor.*

cap. 23. † Laici etiam homines, & nullo insigniti Ecclesiastico ordine in monasterium detrudebantur in pœnam commissi criminis. Constat ex Concilio Narbonensi cap. 6. Vnde Innocent. I. (qui sedebat in cathedra Petri ann. 602.) vt dicitur in eius vita cum multos Cataphrygas hæreticos inueniret eos in exilium monasterij relegauit, exilium autem monasterij idem est quod detrusio in monasterium, & his omnibus antiquior Conciliis † S. Greg. Magnus lib. 1. epist. 42. ad Petrum Subdiaconum, ait. *Delapsis sacerdotibus, vel leuitis, vel quolibet ex clero obseruari à te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatio misceris, sed pauperrima Monasteria regularia require qua secundum Deum scientur, & in eisdem monasteriis ad pœnam lapsos trade, vt res lapsorum in eodem loco proficiant in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant qui de correctione illorum sollicitudinem gerunt.* Eandem pœnam imponit Innocent. III. cap. tua 6. de pœnis. Clericis in latrociniis, vel aliis magnis sceleribus deprehensi: *quia suis enim ordinibus degradati detrudi debent in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam.*

Sed † rigidius loquitur Hormisdada Papa 6 epist. ad omnes Episcopos per vniuersas Provincias constitutos, quibus sic scripsit: *Ille qui inuitus ad pœnitentiam agenda mittitur in Monasterium (qui utique nihil aliud quam pœnitens dicendus est,) qua conscientia ad Sacerdotium venire permittitur? Nemo mihi alia quolibet contra auctoritatem Sedis Apostolica, vel 318. Episcoporum (Concilij Nicani) vel reliquorum Canonum constituta obijciat: quia quidquid contra illorum definitionem (in quibus Spiritum sanctum locutum credimus) dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* Hactenus Pontifex relatus cap. si ille 58. dist. 50. circa quæ verba nota, quod Pontifex non loquitur de pœnitentia solemnī, hæc enim valde distincta erat à pœnitentia publica, quæ fiebat detrusione in Monasterium in pœnam delictorum, vt notat bene Campanil. in diuersi iuris rubr. 11 cap. 21. n. 1. in fin.

Sed † quid inter pœnitentiam solent. nem † & publicam detrusione in Monasterium interfit, nobis proponit Leo Papa I. epist. 90. cap. 2. ad Rusticum Narbonen. rescribens, cui interroganti, an Presbytero, vel Diacono sollemnī pœnitentia sit imponenda. Respondet sic: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, vs qui Presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint consecrati, ij crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiebant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit secundum quod scriptum est, si Sacerdos peccauerit quis orabit pro eo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendum misericordiam*

Dei priuata est expetenda secessio (id est, in monasterio detrusio) ubi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa: Ecce ubi † manifestè distinguit pœnitentiam solemnem à pœnitentia iuridica & publica, quod illa non datur Presbyteris & Diaconis, iuxta Apostolicam traditionem: bene tamen ista, quæ est in Monasterium secessio & detrusio præhabita manus impositione: solemnis enim pœnitentia dabatur laicis insignibus peccatoribus, cuius forma traditur in Concilio Agathensi, cap. 15. relato, cap. pœnitentes. & cap. in capite 50. dist. & in Concil. Toleran. 1. cap. 2. ubi definitur, quid sit solemnis pœnitentia: Eum verè pœnitentem dicimus (aiunt Patres Toletani) qui post baptismum aut pro diuersis criminibus grauissimisque peccatis publicamque pœnitentiã gerens sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altari; hæc ibi. Cilicium enim super caput à Sacerdote impositum (sicut vbique constitutum est, vt ait Concilium Agathense (super caput impositum, comæ depositio, vestimentorum mutatio, eiectio ante Ecclesiæ portas, ceremoniæ erant quæ solemnem constituiebant pœnitentiã, quam imponere Presbyteris, & Diaconis alienum est à consuetudine, & traditione Ecclesiæ.

Hinc tria sunt distinguenda quæ valde conducunt ad Canonum, & Cõciliorum antiquorum veram, & germanam intelligentiam. † Primum, est pœnitentia solemnis. Secundum, pœnitentia iuridica illata pro delictis; Tertiũ, est status pœnitentium. Inter quæ tria, hæc discrimina sunt notanda plura enim dicit Gibellinus lato calamo lib. de clausura disquis. 3. §. 6. 7. & 8. Quæ etsi erudite sint congesta tamen veritate non nitent antiquitatis. Igitur Primum discriminant, quod pœnitentia solemnis varios habebat gradus, classes pœnitentium, & loca designata in quibus peragebatur, neque enim omnibus pœnitentibus solemnis par erat Ecclesiasticus rigor impositus, hos autem gradus, & diuersa loca sic nobis proposuit Magnus ille Gregor. ob miracula facta ab ipso dictus Thaumaturgus Neouariæ Episcopus, in Epistola Canonica, quam refert Cardinal. Baronius ad annum Christi 263. & scripsit ad emendationem plurium delictorum per pœnitentiam solemnem circa finem post plura sic fatur. † Fletus seu luctus est extra portam Oratorij ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientibus orare, vt pro se precentur, & hic gradus Græcè dicitur *αεσιλαρισ* subdio enim erant existentes in hoc gradu, vnde Synodus Anzyrana cano. 17. hyemantes appellat, quia rigorem hyemis ante portas Ecclesiæ stabant deplorantes, & orationes fidelium deposcentes, vt suorum delictorum veniam impetrarent, & ait Gibellin. ubi supra n. 35.

ex Isaac Lingonien. relato tom. 3. Concil. Gallica. tit. 3. 10. & 14. quod isti erant, dicebantur anathematizati, sed fallitur si anathema sumatur in rigore Ecclesiasticæ censure, sed sumitur largè quatenus anathema sumitur pro separato, & segregato & solitario, à communi vsu, quo sensu vtitur Iustinus Martyr responsio. 121. ad Orthodoxos, anathematizatus enim † in rigore Ecclesiasticæ censure nullo modo admittitur ad fidelium consortium ciuile, nedum Ecclesiasticum etiam ad fores Ecclesiæ à cuius cõmunionem penitus est exclusus, nisi correctus absoluitur, vt est constans fidelium sententia & Ecclesiæ traditio. Anathematizatus enim traditur Diabolo, vt Spiritus eius saluus fiat.

Prosequitur Thaumaturgus ad secundum gradum, & classem pœnitentium, Auditio est (inquit) intra portam (oratorij) in loco quem *ἡ δῆμα* vocant, in ferula, ubi oportet eum qui peccauit stare post Catechumenos vsque ad Catechumenos, etiam illinc ingredi. Audiens enim post scripturas, & doctrinam eijciatur, & precatione indignus censeatur: Hic gradus dicitur *ἀπρόσιτος*; qui locus Catechumenorum aptus erat in Ecclesia designatus, vt diuinas possent audire scripturas, & catechesim, & instructionem doctrinæ Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, ritus & mores Christianorum, sed cur tam Catechumeni, quam huius classes pœnitentes sub ferula, esse dicerentur, non explicat Gibellinus. Sed † ego existimo, quia sub Magistro & Catechista erant quibus iure competeat ferula, quæ vel ferirent discipulos, sic sub ferula esse idè est ac sub Magistro apud Hieronymum, vel quod ab illo fulciuntur, & solidantur Catechumeni ferula doctrinæ sanæ, qui enim à discipulatu discedunt, & desinunt esse sub Magistro dicuntur *manum ferula subducere*; quia iam non pueri docendi, quo sensu vtitur hac phrasi Iuuenalis Satyra 1.

Et nos enim manum ferula subduximus, & nos

Consilium dedimus Sylla.

Nō diffiteor quod citatus S. Hieronymus in Epist. ad Domnionem subducere ferulæ, denotet manum subiicere, & supponere ad ictum Magistri corrigentis, & ferientis, sed melius meo iudicio est, quod cum in loco in quo Catechumeni audiebant scripturas, & instruebantur in Christiana doctrina essent Catechistæ, Magistri, & pedagogi constituti, & designati, vt constat ex Luciano in Philopatro, & Cyprian. epist. 34. isti habebant sceptrum facta ex ferula (quæ erat fructicis genus, quo non aliud leuius quæ à Græcis *υαειξ* dicitur apud Plinium lib. 13. cap. 22.) quibus terreant tanquam signo authoritatis & magisterij, quam duricie sceptri lædant, vnde Columella in carmine.

Ferula minaces plantantur

Vnde hos secundi gradus pœnitentium sub ferula esse idem est ac sub Magistro, Catechista, & doctore esse tanquam Catechumenus iste, vt instruat in fide, illi vt animentur, ad pœnitentiam peragendam.

14 Tertium pœnitentium gradum sic proponit S. Greg. *Subiectio autem † seu subtractio est vt intra templi portas stans cum catechumenis ingrediatur hic gradus dicitur ἐπίπρωτος, id est, subtractio.* Pœnitentes enim huius classis, supplices, & conuersi dicebantur qui ultra ea quæ faciebant, qui erant in secundo gradu missam catechumenorum audiebant, & ad sacerdotum pedes prostrati totius Ecclesiæ, & fidelium orationes postulabant, & à sacerdotibus manus impositionem in signum benignitatis accipiebant, non tamen assistebant toti sacrificio, & oblationibus, & eiectionis à catechumenis super hos pœnitentes oratio, & manuum impositio fiebat, quod latius edisserit Isaac Lingonien. *ubi supra à cap. 8. vsque ad 17.*

15 Quartum gradum constituit sic *Congregatio & consistentia est, vt cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non ingrediatur.* Hic quartus pœnitentiæ gradus *ἠσάσις* dicitur qui iam proximiores ad veniam intra Ecclesiam, & cœtum fidelium admittebantur intererat toti sacrificio, sed neque offerebant, neque Eucharistiam, & sacram communionem accipiebant, post hunc enim gradum ponitur à S. Gregor. *Consecutio perfecti, & optimi, scilicet participatio sacramentorum,* quæ illis dabatur post legitimam pœnitentiam solemnem in omnibus his gradibus, & classibus perfectam, hos autem gradus, & ascensus non habent pœnitentia iuridica, quæ est reclusio in monasterium in vindictam publicam ob delicta, quibus à iudice formato processu, pœna hæc per sententiam infertur, sed soium erat temporalis, aut perpetua iuxta qualitatem personæ, & delicti, status etiam pœnitentium, si est idem quod status Religiosus, vt vult Guibellinus, & ego satis probabile iudico, vt mox dicam, hos gradus pœnitentiæ

16 solemnis non habet, sed est status honorificus in Ecclesia, notat, & † bene idem Guibellinus *num. 37.* non fuisse necessarium, quod pœnitentes hos omnes gradus ascenderent, & classes pœnitentiæ solemnis percurrent, sed relinquebatur arbitrio Episcopi, qui & facinoris grauitatem, & pœnitentis ætatem, vires, mores, ac vitam examinaret, vt constat ex Ancyrano Concilio à *Can. 15. vsque ad 24.* in quibus pro aliquibus criminibus valde atrocibus non arbitrio Episcopi id relinquit, sed determinat quod fiat solemnis pœnitentia secundum gradus præfixos, &

& pristinos sic *canone 19. & 20. & 24.* Sed iam ô dolor! huiusmodi canones pœnitentiæ solemnis aboliti sunt, & abrogati.

Sed † aliqua sunt valde notanda pro antiquorum morum Ecclesiæ notitia. Primum, est contra Guibellinum *ubi supra qui n. 30. & 38.* dicit (nescio quo firmo fundamento) quod, *pœnitens solemnis in quocunque horum quatuor graduum existeret erat excommunicatus, nam existentes in primo, & secundo ligati erant excommunicatione maiori, flentes enim qui erant in primo gradu tecto, & limine Ecclesiæ submouebantur Satana traditis. Audientes vero qui erant in secundo gradu limen quidem Ecclesiæ subibant, & eius portas ingrediebantur, sed minus quam catechumeni, fidelium orationibus participabant, quare excommunicatione maiore, & anathemate erant percussi, & ligati, alij vero, qui erant subtracti in tertio gradu, etsi orationibus pro eis fufis, & manus impositione fruerentur, tamen non assistebant toti sacrificio; & consistentes qui sunt in quarto gradu, etsi toti sacrificio assisterent, non tamen communicabant & diuinam Synaxim, & alia sacramenta Ecclesiæ percipiebant, vnde erant excommunicatione minori adstricti.*

Verum enim vero hæc doctrina est minus nitida, etsi erudita notitia antiquitatis procedit, non enim † huiusmodi pœnitentes solemnes aliqua excommunicatione maiori vel minori, aliquo vero anathematismo erant ligati, quæ esset vere, & proprie censura Ecclesiastica, sed communionem fidelium externa magis vel minus iuxta gradum in quo existebant, & classem quam cursabant, erant priuati ob delictum de quo erant conuicti in pœnam, & vindictam publicam, quæ ab Ecclesia sumebatur in satisfactionem fidelium, vt alij formidarent in similia incidere, & sic puritas Ecclesiasticæ disciplinæ conseruaretur. Fuit enim in Ecclesia huiusmodi à fidelium consortio, & communicatione separatio quoddam excommunicationis genus, & formula, sicut supra dicebam de excommunicatione monastica quæ inuenitur in Regula S. Benedicti, quæ erat quædam separatio à communionem monastica, non tamen erat proprie censura, sed quædam pœna satisfactoria pro peccatis, de quibus agebatur publica solemnis pœnitentia, cuius cæremonias, & ritus proponit Tertullianus *lib. de pœnitentia cap. 9. & 10.* Vbi mira eruditione eas enucleat Pamelius à *num. 52.* & ante aliqua prælibauerat *lib. de lapsis* Cyprianus à *num. 58.* & iuxta Tertullianum proponitur *caput in capite quadragesimæ,* cuius verba modo dabo.

Hoc mihi omnino persuasum habeo ex Catholica, & indubitata doctrina iuxta quam † excommunicatio maior, &

anathema non fertur nisi pro peccato mortali, in quo quis erat contumax & incorrigibilis, ut enim ait Concilium Maldens. *cap. 56. Anathema est aeternae mortis damnatio.* & non nisi pro mortali debet imponi crimine & illi qui aliter non potuerit corrigi, cui Canonici Concilia omnia, Pontifices summi & Ecclesiae traditio conformatur, quibus nititur D. Th. (cui omnes Theologi consentiunt) in 4. *dist. 18. q. 2. art. 1. quasiunc. 3. dicens* *† excommunicatio etiam ferri non potest pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, &c.* atqui poenitens solennis in nullo gradu ex assignatis, est aliquo modo contumax, nam in primo quomodo contumax est qui fletu, & lachrymis veniam ante fores Ecclesiae deprecatur; in secundo quomodo contumax qui intra Ecclesiam sub ferula est audiens catechesim, & diuinas scripturas, sermones, & homilias Pedagogi minus ostenditur contumax in tertia classe, in qua est subtractus ad sacerdotis pedes totius populi deprecatur orationes, & multo minus in quarto in quo inter fideles consistit, quamuis enim solenes poenitentes, qui in iis quatuor classibus existunt aliquo suffragio fidelium in exterioribus actibus priuentur, nam in prima priuatur ingressu Ecclesiae, imo ab ea excluditur solemniter cantante clero responsorio *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* ut videntes S. E. pro facinoribus suis trimefacta, non parui pendat poenitentiam *c. in c. 34.*

21 *dist. 50. ex Concil. Agath. c. 15.* Haec autem exclusio non est maior, ut insipide putat Gibellinus, nam si esset excommunicatio maior non introducerentur isti solennes poenitentes in Ecclesia, & cum omni clero septem poenitentiales *Psal. in terra prostratus Episcopus, cum lachrymis pro eorum absolutione decantet, tunc resurgens, ab oratione manus eis imponat, aqua benedicta super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu, & crebris suspiriis denunciet eis, quod sicut Adae proiectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur, post haec iubeat ministris, ut eos extra Ianuas Ecclesiae expellant.* Haec ibi, quae manifeste declarant hos primi gradus poenitentes neque excommunicatos, aut anathematizatos fuisse per censuram Ecclesiae, sed caeremonia Ecclesiastica expulsos esse ab Ecclesia, ut rigor Ecclesiasticae disciplinae monstraretur in puniendis delictis, & in satisfactione pro ipsis exhibenda, ne facilius in ea fideles prolaberentur. Sic enim tunc temporis oportebat, ut ait Innoc. I. *in ep. ad Exuperium c. 2.* agens de quibusdam rigidis valde decretis, quae contra peccatores publice edidere Concilia. Illiberit. & Ancyr.

22 Concilium enim nostrum Hispanum Eliberi Congregat. *Can. 1.* priuat, eum qui post Baptismum fuerit idololatratus communione etiam in fine, & *Can. 6.* idem statuit in eum,

qui alium maleficio interfecerit, & *Can. 6.* in eum, qui post peractam solemnem poenitentiam iterum fornicatur, & *Can. 8.* in foeminas, qui sine causa relinquentes viros suos alteri nubunt, & *Can. 12.* in eas qui lenocinium faciunt, & *Can. 17. 18. & Can. 75.* simile ponit poenam & Concilium Brachar. *1. cap. 16. placuit Patribus Congregatis, quod qui pro suis sceleribus puniuntur nulla pro illis in obligatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam deducantur,* & quis Catholicus dicet, quod tam ille, qui in poenam peccati praeteriti, de quo poenitentiam egit, cui denegatur communio sacra & viaticum, quam qui pro sceleribus in eorum vindictam publicam puniuntur, & de quibus non poterat fieri specialis memoria in missae oblatione, nec solemniter cum Psalmis sepeliri, decedebat a vita excommunicati excommunicatione canonica censurae, certe quidem nullus cordatus id dicet, sed haec Ecclesiasticae poenae satisfactoriae erant, in odium talium delictorum, quae tunc temporis valde expediebant, quae consuetudo (ut ait Innoc. I. *ubi supra.*) tenuit, ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebra persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliacione securos non reuocaret a lapsu, negata merito communio est concessa poenitentiae, ne totum poenitus negaretur, & durior remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam D. N. pacem Ecclesiae suis reddidit, iam depulso terrore dare obeuntibus placuit & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis. Haec Pontifex.

Igitur certum debet esse, quod caeremonia illae, quibus Ecclesia utebatur cum poenitentibus poenitentia solenni non excommunicatio maior, & minor, quae sunt censurae Ecclesiasticae latae ob contumaciam, sed poenae erant satisfactoriae pro delictis commissis, a quibus prius, quam solennis accederet absolutio, illae caeremoniae solenes praecedebant, ad denotandum exterius fidelibus statum miserum, ad quem deduxerat delictum ipsos poenitentes, qui conuersi, & contriti, & auriculariter absoluti, ut notat Pamel. *1. de lapsis. Cypr. n. 98. & 99. 1. de poen. Tert. n. 53.* ad sufferendam poenitentiam publicam accedebant, ut autem hoc rectius percipiatur, quod excommunicatio minor, quae est censura, separat hominem a coetu fidelium, quantum ad participationem Sacramentorum, in quibus participandis communicant fideles, quare non est quis excommunicatus hac excommunicatione, qui solum est a communione Eucharistiae separatus si aliis Sacramentis poenitentiae, Extremae Vnctionis, potest uti. Caeterum excommunicatio maior priuat fideles omni receptione Sacramentorum & illorum administratione, insuper suffragiis & omnibus aliis

aliis spiritualibus bonis in quibus communicant fideles omnes, qui excommunicati non sunt. Igitur Ecclesia Sancta antiquitus solemnes pœnitentes, quos per cœremoniã illam ab Ecclesia eiiciebat, nullatenus excommunicabat, priuans illos bonis & suffragiis spiritualibus, imo ea illis communicabat, per recitationem septem psalmodum, aspersione aquæ benedictæ, impositione cineris, & cilicij super caput, imò & in ipsa cœremoniali eiectione, & responforij decantatione, *in sudore vultus tui, &c.* quare ridiculum est, quod saltem excommunicatione partiali essent excommunicati, & quis Catholicus excommunicationem partialẽ, quæ fit distincta, à maiore, & minore agnouit? iis omnibus adde, quod pœnitentia solemnis multis eam exigentibus dabatur, & quis dicit, quod quis velit esse excommunicatum & anathematizatum, priuatum ab omnibus Ecclesiæ suffragiis? Fabiola enim teste Hieronymo in Epitaphio suo pœnitentiam publicam & solemnem suscepit voluntarie Romæ, in Ecclesia Lateranensi, vbi se constituit coram omni Romano populo in ordine pœnitentium, verba refert & approbat Pamel. n. 58. *ad lib. de pœnit. Tertull.*

Secundum, quod est notandum propono contra eundem Gibellin. *vbi supra à n. 26.* est enim hic eruditus Pater in ea sententia, quod † pœnitentia publica solemnis diuersum, quod erat ab statu pœnitentiæ, iste enim honorificus erat constituens personam Ecclesiasticam gaudentem privilegio fori, & canonis, status enim pœnitentiæ erat proprie status religionis, qui nullam ex infamia adfert irregularitatem, sicut adferebat pœnitentia canonica solemnis, qui enim eam peragebat infamis erat, & irregularis incapax ascensus, vel ingressus ad altare. Vnde clerici eam suscipere non poterant, nisi degradati in statu laicali constitueretur, vt est certi iuris Canonici constitutio & determinatio ex Ecclesiæ praxi & traditione dimanans, at sicut possunt statum religiosum suscipere, & profiteri, ita & statum pœnitentiæ, non est probabilis imaginatio, & ex notitia antiquorum Conciliorum & rituum probabiliter reducta.

Verumenimvero re penitus & profundius inspecta aliter omnino dicendum est, quod † status pœnitentiæ erat omnino distinctus ab statu Monachali & professione solemniori religiosa, status enim pœnitentiæ in sæculo exercebatur. Vt autem hoc elarius conspiciatur notandum iuxta priscorum Conciliorum morem, maxime in Eliberitano & Anzyrano, quod ob specialia & atrociora delicta dabatur pœnitentia publica saltem exercenda in quarta classe ex annumeratis, vsque ad finem vitæ, & vsque ad decenniũ &

25. annũ, vt constat ex c. 15. 21. *Concil. Anoyr. celebrato an. 314. & ex c. 3. & 6.* & multis aliis *Concil. Eliber. ann. 305.* hæc autem solemnis pœnitentia fiebat à pœnitentibus in habitu lugubri, & distincto ab habitu aliorum, exomologesim non faciebant, quod constat ex antiquo Tertulliano *lib. de pœnit. c. 9.* in quo sic eleganter loquitur. † *Itaque exomologesim prosternendi & humiliificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordie illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animũ mœroribus deicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare. Caterũ pastum & potum pura nosse, non vœtris scilicet, sed animi causa, plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominũ tuũ, Præsbyteris aduolui & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesim, vt pœnitentiam commendat, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatore ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia nõ dico frustretur, sed expugnat, &c.* quæ verba continentia habitum actus exterioris, victũ & modum viuendi fere desumpserunt Cypr. l. *de lapsis n. 100.* Pacian. *Parænis ad pœnit. ep. ad Symproni. & l. contra Nouatianos.* & ex tripartita historia desumpta ex Sozom. l. 7. cap. 16. refert ritus & cœremonias, (quas supra dedimus *ex cap. in cap. de quadragesima.*) Doct. Pamelius *vbi supra n. 58.*

Igitur † quandiu quis erat adimplens, solemnem pœnitentiam & faciens exomologesim & exoluens debitum taxatum à sacerdote & ab Episcopo cõstitutum, ad quod exoluendum solemniter erat obligatus, eo ipso, quod destinatus erat ad exomologesim, non poterat habitum pœnitentiæ dimittere, sed illud tenebatur deportare, nec matrimoniũ inire, nec militiæ, & negotiis sæcularibus se tradere, quia exomologesim sibi constituta ab Episcopo ritu solemniori, *prosternendi, & humiliificandi hominis disciplina est, de ipso quoque habitu atque victu mandat,* vt aiebat Tertull. Vnde quandiu durat tẽpus exomologesim, durat eius mandatum de habitu pœnitentiæ assignato, & sic tempore pœnitentiæ solemniori, qui est in ordine, & statu pœnitentiæ diuertere ad alia non potest, quod si diuertat, & tempus præfinitum exomologesim non adimpleat tanquam Apostata puniebatur.

Hic est genuinus sensus Concilij Tolet. 6. c. 7. vbi sermonem esse de pœnitentia publica solemniori sentiunt Bynn. & Garz de Loays. *in notis ad cap. 7.* & quidem PP. huius Concilij confirmant *decret. 55. Concil. Tolet. 4. an. 633.* in quo sic habetur. † *Quicumque ex sæculis accipientes pœnitentiam totonderunt se,*

& rursus preuariantes laici effecti sunt comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam ex qua recesserunt reuocentur. Quod si aliqui per potentiam irrenocabiles sint, nec admoniti reuertantur vere, ut apostata coram Ecclesia anathematis sententia damnentur. Non aliter & ij qui detonsi à Parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni deuouerunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & ijdem à sacerdote comprehensi ad cultum religionis acta prius pœnitentia reuocentur, quod si reuerti non possint vere, ut apostata anathematis sententia subijciantur. Hactenus Concilium.

- 32 Circa, quod decretum † duo pondero quibus euanescit imaginatio Guibellina. Primum, quod Patres Concilij non pro eodem acceperunt statum pœnitentiæ, & statum religionis, siquidem diuersos esse agnoscunt, dicentes, non aliter & ij qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni deuouerunt, & postea habitum secularem sumpserunt. Quare dubio procul status pœnitentiæ solemnissimus, distinctus est ab statu solemnissimæ professionis in religione, etenim status pœnitentiæ solemnissimus est secularibus personis impositus, & omnino intolerabilis, cuius triplicem rationem dat D. Thom. in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quaestiunc. 2. his
- 33 verbis, † solemnissimæ pœnitentiæ iterari non debet propter tria. Primò, ne ex iteratione vilescat. Secundò, propter significationem, quia est figura hominis à paradiso, quæ est semel tantum facta. Tertio, (& est ratio D. Ambrosij lib. 2. de pœnit. cap. 10.) quia solemnissimatio est, quasi quædam professio perpetuo pœnitentiam conseruandi, & ideo iteratio solemnissimati resistit, si tamen postmodum peccauerit non clauditur ei locus pœnitentiæ, sed pœnitentiæ solemnissimæ ei iniungenda non est. Hæc ibi, quibus nihil illustrius ad intelligentiam Concilij Toletani & aliorum prisca authoritatis, hac enim doctrina declaratur,
- 34 qua ratione † secularis qui statum pœnitentiæ solemnissimæ se totondens, & comam abscindens accepit, iterum fieri laicus esse nequit, sed se per ex solennitate pœnitentiæ, quæ solenniter proficitur, eam perpetuo conseruare tenetur, non quidè necessario in Religione, sed in seculo habitu pœnitentiæ retento, quæ si dimittat & nolit reassumere, tãquam apostata à solenni pœnitentiæ anathemate est feriendus quousque conuertatur, quod si nolit voluntarie habitum religiosum illi datum in solenni pœnitentiæ ab Episcopo cõprehensus ad pœnitentiam à qua recessit, reuocetur, ut aiunt Patres Tolet. c. 55. & ut alij Patres etiã in Toletana Ecclesia S. Leocadiæ concl. 6. c. 7. Congregati, decernunt. Si quis ingenuorum utriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes, vel uestimenta secularia

sumentes ad id quod reliquerunt redierunt, aut redierint ab Episcopo Ciuitatis in cuius territorio sunt conuersi, comprehensi, rursus legibus pœnitentiæ in Monasteriis subdantur inuiti. 35

Quibus uerbis Toletani Antistites clare docent quod habentes statum pœnitentiæ solemnissimæ religiosum habitum distinctum à secularium uestimentis habebant quem non poterant dimittere, non quia esset monachalis, sed rudis, & specialis formæ qualis pœnitentibus exomologesim facientibus conueniebat, quem si dimitterent, & uoluntarie nolent assumere in monasteriis inuiti recluderentur, & subdebantur legibus pœnitentiæ.

Hinc deduces primò † cur in ordinibus tam Monachalibus, quàm Mendicantibus aliqui in temporalibus negotiis, & officinis occupati dicantur conuersi, de nomine conuersorum plura Guibellinus ubi supra à n. 41. & Doctissimus Estenius lib. 3. disquisit. Monast. tract. 1. disp. 8. ubi quid nutriti, quid conuersi enucleat, ego uero his omisissis originem conuersorum, siue laicorum fratrum, qui uilioribus monasterij attendunt, nec chorum frequentant, nec sacros ordines suscipiunt, deduco ex huiusmodi pœnitentibus pœnitentiæ solemnissimæ, quia cum ex ui solemnissimatis eius incapaces essent ad matrimonium contrahendum (erat enim pœnitentiæ solemnissimæ impedimentum dirimens matrimonium cõtrahendum, ut mox dicam.) Et etiam ad sacros ordines suscipiendos, multique eorum in pœnam derelictionis habitus pœnitentiæ in monasteriis, recluderentur inuiti, subiecti legibus pœnitentiæ solemnissimæ, isti cum in seculo dicerentur conuersi, nomine retento perseuerabant in Religione, in qua uiguit iam consuetudo, ut huiusmodi conuersi, & fratres laici, & coadiutores temporales admitterentur diuersa quidem profitendi formula, adhibita iuxta diuersarum religionum instituta.

Deduces secundum, quod ut notat D. Th. 37 (& ualde confirmat ea quæ in superioribus dicta sunt (ubi sup. quaestiunc. 3. quod omnis pœnitentiæ solemnissimæ est publica, sed non conuertitur. Pœnitentiæ enim † solemnissimæ hoc modo fit in capite quadragesima tales pœnitentes presentant, &c. non tamen talis pœnitentiæ debet imponi nisi pro peccato quod totam..... urbem. Publica autem, & non solemnissimæ est quæ in facie Ecclesiæ fit, sed non cum solemnissimæ prædicta sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & hæc potest iterari, & à simplici sacerdote iniungi (nam solemnissimæ solum ab Episcopo imponitur) & potest etiam clerico imponi. Quandoque tamen solemnissimæ ponitur pro publica, & secundum hoc authoritates quædam uarie loquuntur de solemnissimæ. Hæc ibi, hinc est, quod aliquando reperitur in antiquis Conciliis, quod quis

quis restituatur communioni, si egerit legitimam pœnitentiam, per legitimam enim solemnem intelligitur, sicut legitima professio in Religione solemnem duntaxat est. Vnde tempore Bedæ & Hesichij, vt notat Pamelius in not. ad Tertull. lib. de pœnit. c. 9. n. 54.

38 † pœnitentia publica solemnem, solis hæreticis, & schismaticis dabatur non aliis quantumuis grauissimis peccatoribus. Tunc autem pœnitentia publica fiebat solemnem cum adiciebantur cœremonia, tonsionis, cilicij, cineris reconciliationis publicæ, & iuridicæ, armorum etiam iuridicæ depositionis, & similibus rituum, quæ in veteribus Canonibus reperiuntur, de quibus legendi Bernardus Diaz in praxi, cap. 23. Couarru. lib. 2. variar. cap. 10. num. 3. Bellarminus de pœnitent. lib. 1. cap. 22. Busæus de statutibus hom. 2. p. tit. de pœnit. statu. Doctissimus Albaspinus lib. 2. obseruat. à cap. 10.

39 Verum est, quod sicut † solus Episcopus potest pœnitentiam solemnem imponere, ita ipse solus potest solemnem pœnitentem reconciliare, nisi vltima necessitas cogat, scilicet articulus mortis, tunc enim si Episcopus est absens potest Presbyter reconciliare solemnem hos pœnitentes per manus impositionem ante *apsidam*, vel *absidam*, vt determinant Concilium Carthag. 3. cap. 32. sed quid sit *absis*, vel *apsis*; discruciantur authores, habet enim tam Græcè, quàm Latinè multiplex significatum, vt in Ambrosio Calepino *verb. absis*, & in Scapula authore damnato in *Lexico. verb. ἀψίς*. August. epist. 203. ad Maximum, *Thronum & Sedem Episcopalem, qui per modum fornicis erat edificatus, absidem gradatam appellat*, significat apud Plinium *circulum stellarum*, apud Hesiodum, *circulum rote*, in quo nituntur

40 radij Turnebus lib. 18. aduersar. cap. 22. *tabulam latam*, quæ erat ante cancellos Ecclesiæ Cuiacius lib. 10. obseruat. cap. 17. *Vas in quo ponitur esca, & dicitur pixis*, & Græcè..... de quo latè Durant. de ritibus Ecclesiæ, c. 16. in qua pixide obseruabatur Eucharistia pro communicandis fidelibus. Doctissimus huius sæculi in Decreti intelligentia oraculum Dominus Martinus de Ontiberos Cathedræ Decreti in Salmantina Vniuersitate emeritus proprietarius, in *lectura ad distinct. de pœnit. cap. 2.* *apsidam* intelligit locum illum qui intra cancellos est in medio, cuius erat altare maius; sed mihi magis arridet sententia Doctiff. Ant. August. in not. ad *Canones pœnitentiales Rabani Mauri, cap. 35.* qui per *apsidam*, vel *absidam* intelligit, atrium Ecclesiæ, quod erat sub tecto ante fores Ecclesiæ, & dicitur à Guillelmo Durando in *rationali, lib. 1. cap. 1. n. 20.* *porticus, & significat Christum per quem in cœlestem Hierusalem patet ingressus, & porticus dicitur sic dicta à porta, vel quod sit aperta. cap.*

si quis contumax 20. 7. si quis in atrio. 17. q. 4. hæc Durādus quæ significatio aptissima est in præsentem materia, cum enim solemnem pœnitentes dum solemnem pœnitentia illis fuit imposita ab Ecclesia eiicerentur, vt ante portas clamarent, & flerent veniam in clamantes, æquum fuit, vt ante easdem portas in porticu Ecclesiæ, per manus impositionem reconciliarentur ipsis aperta Ecclesiæ porta, per quam pateret in ipsam ingressus in qua enim decens erat, quod solemnem pœnitentes ante reconciliationem Episcopalem ad ipsius thronum *apsidem*, & fornicem solij sui, & altare maius quod erat intra cancellos accederent.

Sed notat D. Th. *quæstiunc. 3. cit. in corp. 41* † *quod isti solemnem pœnitentes in cœna Domini quolibet anno à suis presbyteris in Ecclesiam reducuntur, & erant ibi vsque ad octauas Paschæ, ita tamen quod non communicabunt, nec pacem accipient, & sic fiet quolibet anno, quousque eis aditus Ecclesiæ est interdictus*, hæc ibi, & sic intelligitur Glossa *cap. de pœnitentibus 17. de consecrat. dist. 3.* quare falluntur, qui dicunt quod qui agebant per septennium publicam pœnitentiam singulis annis in cœna Domini reconciliabantur ab Episcopo vel presbytero, & iterum excludebantur ab Ecclesia, hoc nullo iure probatur, & voluntarie dicitur nisi per reconciliationem intelligant ingressum in Ecclesiam materiale, in qua ponebantur in prima vel secunda classe ex supra dictis, non tamen communicabant, aut pacem accipiebant, sed semper erant sub exomologesi.

Tertium, & vltimum quod noto, est, quod 42 † solemnem pœnitentes, etsi non fierent religiosi solemnem professi, tamen ex vi solemnem pœnitentiæ, si coniugati erant nequibant debitum exigere, etsi soluti impediti existebant ad contrahendum matrimonium, hæc adnotatio clare traditur à Tolet. *Concilio 4. c. 54. vel 55. & Concilium Toletanum 6. c. 8.* vbi P. P. Toletani, quinquaginta duo Decretum Leonis Papæ in *epist. 90. alias 92. c. 11.* ad Rusticum relatum à Gratiano *cap. in adolescentia 14. 3. q. 2.* & idem Leo in *epist. ad Galerium Episcopum Tripolitanum* refertur *cap. audiuius 13. ead. causa & q.* ex quibus manifeste habetur quod ex vi pœnitentiæ solemnem, si pœnitens solutus est non potest matrimonium denovo contrahere etiam peracta pœnitentia *cap. admonere. 8. 33. q. 2.* vbi Steph. Pap. V. Astulpho, qui vxorem occidit sine causa publicam pœnitentiam indicit, si non vult ingredi religionem, & inter plures actus exomologesis, vnus est *vxorem nunquã ducere*, quod ante prohibuerat Syricius Papa *epist. ad Himerium Episcopum, cap. 5.* relatus *cap. de his 12. ead. quæst. & caus.* Vnde, & 43 qui solemnem pœnitentiam egerunt possint

matrimonium contrahere fuit necessaria Pontificis dispensatio, ad quam faciendam erat sufficiens causa, quod se non possent continere. Ita Nicolaus Papa ad Rotaldum Episcopum Arzē oratensem relatus, *cap. si quis cum duabus* 16. *ead. quest. & caus.* idque Concil. Tolet. 6. *can. 8.* ubi Patres interpretantur Decretum Leonis Papæ, relatum, *cap. in adolescentia cit.* ubi Pontifex adolescentem solemniter pœnitentem, qui in infirmitate constitutus exomologesim pœnitentia solemniter suscepit, si postea timens lapsum incontinentia iuuenilis copulam uxoris elegerit, si præter coniugem nullam omnino cognouerit rem videtur fecisse venialem: quam sententiam Pontificis venerantur, & admittunt PP. Toletan. addentes, in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, iuxta quod aetatem aptam prospexit continentia absolutionis, vel restitutionis tribuat legem, id est, dispense, si incontinentia subsit periculum.

44 Itaque † solemniter pœnitentia exomologesim impedimentum erat, non dirimens, sed impediens matrimonium, ut bene & singulariter adnotauit Glossa *cap. admonere, verb. nunquam* 33. q. 2. & ad §. de pœnitentibus. Gratian. *ead. q. & caus.* ubi triplicem sententiam refert, sed Auctor Glossæ tenet quod sit solum impedimentum impediens, etiamsi pœnitentia solemniter fiat pro uxoricidio, incestu, aut concubitu cum Moniali, in quibus casibus aliqui decidebant non tenere matrimonium, sed verius est quod tenet, & est valide contractum, etsi illicite, nisi ob incontinentiam dispense, non secus ac hodie votum simplex continentia est impedimentum impediens non dirimens matrimonium.

45 Moueor, quia † existimo indubitabile, quod ille ex utroque sexu homo qui solemniter pœnitentia exomologesim agebat implicitum votum continentia emittebat, ex legibus pœnitentia solemniter, cui subdebatur: quod probo primo, ex verbis Leonis I. in *epist. cit. c. 12.* ubi agens de illo cum quo dispense, ubi cum sit solemniter pœnitens ob periculum incontinentia, vel debitum exigat ab uxore si coniugatus est, vel matrimonium contrahat si sit solutus, sic fatur: *In quo tamen non regulam constituimus,* (id est, non ius Canonicum, iuxta quod iste solemniter pœnitens non poterat contrahere, aut debitum exigere etiam peracta & finita pœnitentia, ut explicat ibi Glossa *litter. G.*) Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans mentis & corporis, hæc ibi, quæ

46 ideo dixit Pontifex, quia † solemniter pœnitentibus noua coniugia erant prohibita à Syricio Papa in *epist. cit.* relata, *cap. de his,* ibi Hymerio dicit Pontifex: *De his vero non incongruè dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam qui acta pœnitentia, tanquam ca-*

nes, & sues ad vomitus pristinos, & volubra redeunt, & milicia cingulum, & ludicas voluptates, & non coniugia, & inhibitos denuo appetuere concubitus, quorum improffam continentiam generati post absolutionem filij prodiderunt. Hactenus ibi, quo nihil illustrius. Pondero ly improffam continentiam, id est, in continentia contra professam continentiam in pœnitentia solemniter saltem, implicite promissam: argumento *cap. proposuisti* 2. 8. 2. *dist.* & *cap. de ijs.* 5. *dist.* 28. ex Concilio Toletan. 2. *cap. 1.* & quidem quod pœnitens iste etiam peracta pœnitentia non possit coniugium inire, est textus expressus Concilij Maldens. relati, in *cap. si autem* 10. 36. *quest.* 2. quod non vidit Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 6. num. 10.*

Decreta Summorum Pontificum Syricij & Leonis, summauit, confirmauit, & illustrauit D. Thom. in 4. *dist.* 14. q. 1. *art. 5. questiuic. 3.* agens de solemniter pœnitentia, † So- 47
lemnizatio (inquit) est quasi quadam professio perpetuo pœnitentiam conseruandi, & ideo iteratio solemniter resistit; cum ergo, ut ait & probat Basil. Legionens. *lib. 6. de matrim. c. 14. n. 3.* illi qui erant in solemniter pœnitentia, non poterant contrahere matrimonium, cum solemnitas pœnitentia sit professio perpetuo conseruandi pœnitentiam, semper, qui semel pœnitentiam solemniter egit impeditus manet ad concubitum maritalem, & ad matrimonium contrahendum, nisi ob periculum incontinentia accedat indulgentia, & dispensatio Pontificis, aut Episcopi. Vnde † Concilium Arelatense 2. tempore Syricij 48
Papæ congregatum anno 389. *cap. 21.* statuit, *Quod pœnitentes, qua defuncto viro alij nubere presumpserunt, vel suscepta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Ecclesia limitibus arceantur.* Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit obseruari, quod non ex alio originatur, nisi quia legibus pœnitentia solemniter adstrictus ex vi talis solemniter votum implicitum continentia emittebat, quod est impedimentum matrimonij, & sic idem Concilium *cap. 22.* relatum, *cap. pœnitentiam* 13. 33. *quest.* 4. determinat pœnitentiam (publicam, scilicet & solemniter, per quam ius alterius læditur, ut explicat ibi Glossa) coniugatis, non nisi ex consensu dandam; idem statuitur † in Con- 49
cil. Aurelian. 3. *cap. 19.* celebrato anno 540. 3. sub Vigilio Papa: quia videlicet cum ex iure communi & canone pœnitentia ex vi solemniter pœnitentia interdictus erat vsus matrimonij, quare in dampnum alterius, quia legibus pœnitentia est, solutus aliter eiusdem legibus subdi posset ex consensu alterius pœnitentia solemniter imponeretur, & eo ipso quod ambo consentiant, ambo tenentur ad continentiam ex vi voti impliciti

ti, quod emittunt eo ipso quod sit mutuus consensu quod pœnitentia solemnis imponitur, sicut in *cap. 5. de conuersione coniugatorum* eo ipso quod quis consentiat, quod alter coniux ingrediatur religionem tenentur ad continentiam seruandam, nec altero etiam mortuo potest denuo nubere.

50 Ex qua doctrina quam certam existimo ꝑ colligo germanam intelligentiam, textus per difficilis *cap. Antiqui 19. 33. quest. 3.* desumptus ex Concilio Toletano 6. *cap. 8.* celebrato sub Honorio anno 638. in quo PP. Toletani antiqui, & Sanctissimi Leonis Papæ sententiam admittunt, & quam de viro adolescente in pœnitentia solemnī posito dicit Leo, *ipsi etiam de fœminis intelligunt.* Igitur Leo Papa adolescenti in statu pœnitentiæ posito concedit ex indulgentia posse redire ad pristinum coniugium, ne postea adulterij lapsum incurrat. P. P. vero Toletani constituunt, *ut coniugi, qui legibus pœnitentiæ deditus non erat mortuus, priusquam alter ad continentiam, unde fuerat regressus, non liceat superstiti ad secundas transire nuptias, sin autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit absolutionem pœnitentis, nubat (inquiunt) si se continere non potest, & alterius uxoris consorcio fruatur.* Cuius decisionis Patrum Toletanorum difficultas in eo est, quia inuenis ille de quo loquitur Leo erat coniugatus, ut patet ex illis verbis *ad pristinum coniugium redeat,* & sic non indigebat indulgentia, aut venia ut post peractam pœnitentiam liberum haberet regressum ad uxorem *cap. latorem 15. 33. quest. 3.* Deinde quia valde durum est, & à iure alienum quod mortuo coniuge pœnitente alter qui à legibus pœnitentiæ erat liber, cum non peccauerit, aut egerit solemnem pœnitentiam non possit ad aliud matrimonium transire, nisi se continere valeat, quæ incontinentia sit motiuum, ut Episcopus dispenset.

52 Mirum est quantum crucientur DD. Canonistæ in explicatione huius perdifficilis textus, ut videre est in Glossa *ibi* adducente duas expositiones, quas sequitur Coriolanus in *notis ad illud cap. 8.* Toletani Concilij. Archidiaconus, & Bellamera aliam adducit, *ibi* Turrecremata, aliam Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 17. n. 12.* & tandem aliam satis doctam adducit vir nunquam satis laudatus tam ob virtutis quam singularis sapientiæ excellentiam D. D. Martinus de Ontiueros loco supra citato, quas omnes referre, & refellere non vacat locus, meam proponam intelligentiam, quam Doctoris iudicio libenter subiicio.

53 Existimo enim ꝑ primò, quod illud quod tam Patres Toletani, quam Leo Pontifex determinant quidquid sit de rigore iuris, & canonis contrarium esset dicendum, *ibi enim*

dicunt PP. non quidem hoc generaliter, & canonicè est præceptum, *sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum,* & infra *in omnibus* (antea dictis) *sacerdotis spectetur ordinatio*, id est dispensatio, indulgentia, & venia, existimo secundo, quod inuenis ille, de quo tam Toletani Antistites quam Leo Pontifex loquuntur, erat coniugatus, id constat ex textu, unde sine licentia, & consensu uxoris non poterat indici solemnis pœnitentia, ut vidimus ex Concilio Aurelianens. *cap. 21.* & Glossa *ad cap. pœnitentiam 33. q. 4.*

Unde existimo tertio, ꝑ quod ille coniux 54 qui pœnitentiam solemnem non fecit, consensit tamen quod alter talem exomologesim faciat solemnis pœnitentiæ si pœnitens iste decedat è vita, alter ille qui consensit in talem pœnitentiã, manet impeditus ad contrahendum matrimonium, nisi quia se continere non valeat indulgentiam, & dispensationem sacerdotis acquirat, hic est sensus clarus huius textus constat ex illis verbis. *Si u qui pœnitentiæ legibus non est deditus ante ab hac vita decesserit, quam ex consensu ad continentiam vnus eorum fuerit regressus superstiti non liceat denuo ad uxoris transire complexus. Si autem illius vita extiterit superstes qui non accepit absolutionem* (alia lectio, & forte verior habet benedictionem) *pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris, quod de utroque sexu à nobis manifestum est esse Decretum, ita videlicet, ut in omnibus sacerdotis (Episcopi) expectetur ordinatio.* Hactenus Concilium.

Quibus verbis meam intelligentiam manifeste confirmat, vxor enim quæ consensit 55 coram Episcopo, quod vir eius agat pœnitentiam publicam, sicut iste impeditus manet siue ad petendum debitum, siue mortua vxore ad nouas nuptias contrahendas, nisi ex indulgentia, ita vxor idem acquisiuit impedimentum ex vi consensus, quem præstitit, nam cum ille qui pœnitentiæ solemnis exomologesim facit, sit irretitus impedimento non solum ad non contrahendum mortua vxore nouum matrimonium, sed etiam ad nõ petendum debitum, antequam tempus pœnitentiæ sit completum, quia ex vi status pœnitentiæ solemnis implicite voluit castitatem, ut vidimus, & hoc non possit fieri nisi vxor consentiat, ista consentire nequit, nisi eo ipso saltem implicite simile votum faciat, argumento *ex cap. praterea 1. cap. cum sit pradius 4. & cap. coniug. 5. cap. vxoratus. 8. de conuers. coniug.*

Hinc est quod ꝑ in concilio 2. *Matifcon. cano. 16. ut vxor Subdiaconi, vel Exorcista, vel Acholyti, mortuo illo secundo non se audeat sociare matrimonio, quod si fecerit separetur, & in canobis puellaram Dei tradatur, & ibidem*

vsque ad exitum vita permaneat, idem statuitur de vidua Episcopi, aut Præsbyteri, aut Diaconi, quæ si matrimonium acceperit nullus clericus, nulla Religiosa, cum ea coniuiuium sumat, nunquam communicet, morienti tamen ei sacramentum subueniat in *Tolet. 1. cap. 18. ann. Domini 400.* sub Anastasio & Honorio Imperat. confirmato à Leone Papa *cap. de libellis dist. 20.* hoc autem impedimentum non ex alio *cap.* oritur, nisi quia cum mariti isti, qui erant cultui diuino dicati, ex vi ordinis non possent secundum cōtrahere matrimonium eorum vxores eodē erāt irritæ eo ipso, quod consenserunt in contrahendo cum illis matrimonio, cū enim solemniter pœnitentes simile habeant impedimentum, etiam peracta pœnitentia solemnī, vt vidimus simile impedimentum retinent vxores eorum, nisi indulgentia & venia Episcopi intercedat, quæ sacerdotis ordinatio, vt loquuntur Patres Toletani.

Vnde quando *cap. audiuius 13. & cap. latorem 15. 33. q. 3.* Leo Papa *ad Galerium Episcopum Tripolitanum.* contra errorem Tripolitanorum ciuium asserentium, quod pœnitentes coniugij debent relinquere copulam idest coniugij vsum, de hoc enim agitur hīc non de vinculo, vt quidam intelligit satis violenter, dicit quod *Galerius suos ciues ab huius erroris caligine eripiat, & doceat licitas esse pœnitētibz copulationes matrimonij.* Quare error Tripolitanorum non erat, quod solemniter pœnitentes debeant à copula vxoria abstinere, hic enim non error, sed disciplina Ecclesiastica est, vt vidimus, sed erat, quod illi qui priuatam, vel etiam publicam etsi non solemnem agebant, ex impositione confessarij tenebantur abstinere, & coniugij copulam relinquere, de qua loqui Pontificem constat clarè ex versiculo, quia pro omnibus delictis, &c. Nicolaus vero Papa *in epist. ad Rhotaldum.* ex qua desumptum est *caput latorem,* loquitur de pœnitētia solēni, sed quia lator forsan iuuenis erat, ex indulgentia concedit, ne à propria quidem, & legitima vxore separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, iuxta *cap. in adolescentia 13. eadem caus. & quast.* Quare mihi certius est, quod † ex pœnitentia solemnī oriebatur impedimentum ad matrimonij vsum & copulam, & insuper ad nouas nuptias contrahendas, cum vero hodie exomologesis pœnitentiæ solemnī cessauerit, etiam hoc impedimentum euanuit, vt tenet Sanch. *ubi supra,* & aliis citatis Barbof. *in collectaneis ad cap. de his 22. 33. q. 2.*

Ex omnibus hucusque dictis circa quæ nec inutiliter, nec iniucūdè sumus diggressi colligimus distinctionem illorum triū, quæ *suprà num.* proposuimus distinguenda

59 in iure, & antiquis conciliis, scilicet † pœni-

nitentia solemnī, pœnitentia publicā, quæ aut erat iuridicè data in pœnam delictorū, qualis erat reclusio in monasterium, quæ dabatur personis in ordinibus sacris constitutis, aut erat data in satisfactionem pro peccatis auriculariter confessis, quam licere absque eo, quod vel indirectè frangatur sigillum confessionis egregie docet D. Tho. *in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. quastionc. 4.* & tertium erat status pœnitentium, status pœnitentium oriebatur ex pœnitentia solemnī, quæ immutabilitatem, & perseuerantiam in pœnitentia inducit, vt aiebat D. Tho. *ubi modo quastionc. 3.* ex eaque dimanabat irregularitas, nequibat enim qui pœnitentiam faciebat, aut ordinari, aut in ordinibus susceptis ascendere, si illam faciebat ob aliquod peccatum graue, quod fuerat confessus, secus verò si in communi se fatebatur peccatorē non descendens ad aliquod in speciali, ita determinarunt PP. doctissimi Congregati in Concilio *Toletano 13. c. 10. celebrato ann. 683.* sub Leone II. & Eruigio Rege Catholico in causa Gaudentij Episcopi Valerientis, qui in infirmitate graui per manus impositionem subactus fuit pœnitentiæ legibus, quem declarat posse Pontificalia exercere iuxta decretum Concilij *IV. Toletani cap. 53. † vbi sic* 60 *habetur. Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores predicantes huiusmodi si reuelauerint, possunt etiam per morum probitatem ad gradus Ecclesiasticos peruenire. Qui vero, ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod peccatum mortale se perpetrasse publicè fateantur ad clerum, vel honores Ecclesiasticos peruenire nullatenus poterunt, quia se confessione propria notauerunt. Haftenus PP. Concilij IV. ex quo inferunt PP. Concilij 13. sē Regula precedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in iis & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos gradus peruenire permittunt, quanto magis, vt hi qui in ipso sacerdotio constituti pœnitentiam accipiunt à sui ordinis officio retrahantur? tantum si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt.*

Vnus superest scrupulus non contemendus, † quia iste Gaudentius Episcopus 61 erat & sacerdos, cui nullo modo poterat imponi pœnitentia solemnī, vt ex traditione Apostolica dicit esse Leo Papa, vt *suprà n.* diximus, & habetur determinatum, *cap. confirmandum §. 5. cap. illud 66. & cap. 67. seq. 50. dist. & latè ostendunt Marcus Antonius Genuensis in practicabil. q. 558. à num. 4. & alij ex D. Thom. 3. part. quast. 28. art. 3. ad 2. in additionibus,* quod secus erat de pœnitentia publicā non solemnī, quæ sacerdotibus imponi poterat, *cap. quastum 7. de pœnit. & remissio.*

remissio. cap. 2. de officio Archipresb. cap. de his 34. 50. dist. cap. qui recedunt 26. quest. 6. cap. bene valet 23. dist. 50. quam Leo Papa cap. alienum 67. 50. dist. priuatam secessionem appellat. quia non agebatur solemniter coram populo, sed separatim in monasterio. Respondetur hoc argumento manifestè probari, quod Gaudentius in discrimine vix constitutus non accepit pœnitentiam solemnem, neque illius exomologesim fecit, accepit tamen pœnitentiam publicam, non exomologizans aliquod crimen in speciali propter quod illa pœnitentia est illi data, tali enim confessione se notaret & infamem redderet, ac per consequens irregularem, nec posset Pontificalia exercere, sed solum fabatur se esse peccatorem, & dignum pœnitentia publica, quæ infamem non reddebat, & sic munia Episcopalia poterat obire, sine scrupulo, & hæc est mens Patrum Concilij Toletani 13. verum est, quod vt aiebat D. Thom. in 4. dist. 14. quest. 1. art. 3. questiuic.

62 vlt. † pœnitentia publica, & solemnitas aliquando confunduntur in iure Canonico, & distinguenda est vna ab alia ratione personæ cui imponitur.

Sed circa id quod Tertullianus cap. 9. de pœnit. quod † exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, de ipsoque habitu atque victu mandat sacco & cinere incubare, & c. plura & graua dicunt Pamelius ibi, & Ludouicus à Cerda ibi lib. 5. à n. 129. & vterque summa eruditione extricat Tertulliani phrasas, & labyrinthicos loquendi modos, qui percipi vix possunt sine magna antiquitatis lectione, mandat igitur exomologesis de habitu quia mandat sacco, & cinere incubare, & jacere. Saccus enim proprius est habitus pœnitentium, ita Cyrillus Alexand. in Amos. & Hierosolymit. Cateches. 2. Eusebius lib. 5. Eccles. Hist. cap. 27. agens de Natalio confessore publico pœnitente, Saluianus lib. 4. de Gubernatione, ex qua lugubri veste & sacco quo solemnnes induebantur pœnitentes originem ducit, quod rei à sancto officio condemnati ad pœnitentiam agendam saccum ex vili panno coloris crocei in quo Crux S. Andreæ ponitur

64 rubea; † & dicitur *santbenito*; sed cur sic dicatur Antonius Yepes. in annalibus Benedictinis ann. 682. Hieronymus Roman. lib. 5. de Republica Christ. Antonius Perez serm. 2. de S. Andrea Doctissimus Estenius disquisit. Monachal. lib. 5. tract. 7. disquisit. vlt. plures adducunt congruentias, sed verò an huius nomenclaturæ ethymon & originem assequuti sint, quia iuxta concilia Hispana solemniter pœnitentibus dabatur saccus benedictus qui erat habitus religiosus (non dicunt Religionis sed religiosus.) Ita Concilium Barcinonense celebratum ann. 540.

Toletan. 4. cap. 54. Toletanum. 6. cap. 7. & benedicebatur, & sic Concilium Toletanum. 13. cap. 8. iuxta veriorum lectionem dicit *accipit benedictionem pœnitentis* & hic saccus benedictus, *sacco benedicto*, corrupto vocabulo à popularibus & ignorantibus, dictus est *santbenito*, sicut in lingua Hispana multoties contingit legat, qui vult Estenium vbi supra *versic. ad cuius rei maiorem declarationem*

Huius sacci, † (qui reis in fide pœnitentibus ob infamiam imponitur) color varius fuit antiquitus tempore Eimerici liuidus & subniger tempore Concilij Toletani anno 1229. cruces, quas portabant pœnitentes isti, erant vna à dextris, & altera à sinistris, quarum colorem esse croceum determinat Concilium Bitterense cap. 26. quod si hæretici famosi essent, si viri alteram crucem in pileo, si fœmina aliam in velo, vt refert Eimericus 3. p. directorij n. 179. sed † hodie do-
66 mini Inquisitores & huius sacci colorem in panno croceum conseruant, & cruces vnam ante pectus, & alteram in dorso coloris rubei, ponunt, crux autem non sicut illa in qua Christus mortuus est, sed decusatam, sicut fuit in qua martyrium compleuit S. Andreas Apost. & nos dicimus, *Hassa*, Hispano idiomate, sed cur ablatae cruces Christi ab huiusmodi reis abiurantibus de vehemèti suis erroribus, & suppositæ S. Andreæ, quæ formam crucis non habent, nec repræsentant Christum crucifixum, præmeditatam habebam rationem, quam postea inueni in viro valde erudito Ludouico à Paramo *de Origine & processu S. Inquisitionis lib. 1. tit. 2. c. 5. num. 7.* quam aliis verbis repositam habebam, sed eius proponam. *Quia † crux signum est exte-
67 rius quo fidem catholicam Christicola omnes profitentur ac protestantur. Cum ergo qui in fidem catholicam delinquant, à fidei rectitudine declinent in huiusmodi obliquitatis signum catholica fidei Inquisitores inducere solent pœnitentes his notis transuersis, vt omnibus pateat obliqua crucis figura, interior gestantis status declarari qualis fuerat, quam à fidei & Religionis Christianis rectitudine alienus.* Hactenus ille.

Sed cur † Concilium Bittercense colorem
68 croceum in crucibus & nostri Inquisitores in scapulare hunc colorem croceum & in crucibus obliquis rubeum obseruarit, non explicat Paramus; & dicit forsan non esse obseruatione dignum, sed fallitur quia magna consideratione & mysterio sic est factum; croceus enim color flammeus dicitur. Martialis lib. 14. Epigram. 14. *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.* Tertul. cap. 4. de cultu fœminarum quæ capillos croceos faciebant, *malè ac pessime (ait) sibi auspicantur flammeo capite*, quæ sui Magistri verba idem assumptum tractans sic explicat Cyprianus

- prianus quem in hoc loco adducit Rhennus. *Audaci conatu, & sacrilego compta crines tuos inficis, malo presagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicias, & Hieronymus epist. ad Latam, caue ne capillum errufes* (filix tuæ Paulæ) *& ei aliquid gehenna ignibus auspicias,*
- 69 ex quibus liquido constat ratio mystica in qua Concilium Bitterrense & DD. Inquisitores se fundarunt, vt saccus horum reorum impositus sit coloris croceis crucibus decussatis rubeis (*aspas coloradas*) vt semper præ oculis habeant per sanguinem Iesu Christi reconciliatos à gehennæ incendiis, & flammis inferni liberatos, & quod si non perseverant in sua pœnitentia, sed ad vomitum sicut canes, & ad volutabra fœtida hæreseos, sicut sues reuertitur color sacci quem portant, & gehennæ ignes auspiciatur, & flammam inferni prælagit, vnde qui relabuntur igni traduntur cum sacco ligneo in quo, & flammæ vna cum dæmonibus depinguntur, & dici potest non incongrue *tunica ardens, & molesta* iuxta phrasim Martialis l. 10. *Epigram. 25. & Iuuenal. Satyr. 8.*
- 70 Dicunt etiam Toletana, & Hispana Concilia, quod † solemniter pœnitentes *tondeantur, & comam non nutriant*, quæ cæremonia antiquissima est in Ecclesia pœnitentibus imposita, Cyrillus Alexand. *ubi supra, assumment habitum lugentium, saccum dico, & Calnitium* Ambrosius epist. *ad virginem lapsam, amputentur crines qui occasionem luxuriæ præbuerunt*, sic etiam fœminæ pœnitentes tondebantur sicut & viri, & nullatenus comam nutrire poterant, sic statuit Concilium Toletanum 6. cap. 7. *ibi. Si quis ingenuorum utriusque sexus sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutriente vel vestimenta secularia sumentes, ad quod reliquerant redierunt, &c.* Sed Concilium Toletanum 3. cap. 12. celebratum anno 531. sub Amalarico Rege, & Bonifacio Papa II. describens quid facere debeat Episcopus in danda pœnitentia: *si vir* (aiunt Patres) *siue infirmus, siue sanus prius cum tondeat, & sic ei pœnitentiam tradat, si vero mulier fuerit non accipiat pœnitentiam nisi prius mutauerit habitum*, scilicet sæcularem in religiosum, vbi mulier pœnitens non se tondebat, sed habitum dumtaxat mutabat, at vir vtrumque faciebat vt habetur in *Concilio Agathens. cap. 15.*
- 71 Sed † cur mulier non abscindebat comam? Gibellinus *ubi supra num. 48.* eam rationem dat, quia quando pœnitentia solemniter dabatur ad tempus, eo completo, & diuersa pœnitentia, accepta pace, & fœmina reconciliata Ecclesiæ, si decaluata, & attonsa mansisset, maneret indecora, & turpitudinis perpetuæ nota, nam vt ait Apuleius l. 2. *Metam. fœmina licet ipsa venus fuerit*

rit omni gratiarum choro stipata toto cupidinum populo comitata, cynamoma flagrans, & balsama vorans si calua præcesserit placere non potest, ne vulcano quidem suo. Mihi vero non aridet hæc ratio, quia vt vidimus, & late superque probauimus num..... semel accepta pœnitentia solemniter, tam in viris quam in fœminis sigillatæ immutabiliter manebant solemnitate pœnitentiæ, & nunquam abiciebant habitum religiosum, & saccum pœnitentiæ, quare ad quid deseruiebat ambire comam, vt ipsam nutrent peracta pœnitentia, semel enim pœnitens solemniter semper manebat pœnitens in habitu Religioso Deo dicatus, ita vt ad alium statum sine dispensatione transire nequiret.

Sed ego rem altius contemplans discurre † etenim si loquamur, quasi ex rerum natura, & institutione, iureque gentium à B. Paulo enucleato *mulier tonderi non debet, sed capillamentum habere quod est illius naturale decus, sicut & homini coma dedecus, hoc est quod dicebat Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. n. 14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat gloria est illi, quia capilli pro velamine ei dati sunt, quod Apostoli testimonium egregiè enucleant Patres Paulinus epist. 4. ad Seuerum, vbi eleganter sic factur. † Et opportune ad gratiam tempus, & species libertatis tonsori in promptu est, quo nos, & prolixiore capitis velamento releuet, vt gratia spiritalis beneficium corporalis forma testetur. Fœminis tantum comam Apostolica reliquit auctoritas, quia, etsi ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amouet tamen tegumentum capitis, & frontis umbraculum verecundiæ decus postulat, & ideo perfectus fidei ac disciplina Magister docet indecorum viro crinem, quia abscondi non potest caput viri Christus. Itaque viro dedecus fœminæ decus est.* Hæc ibi, quibus consentit Clemens Alexandrinus lib. 3. *Pedag. cap. 3.* vbi eleganter enucleat Herbetus *litter. H. Deus enim* (ait Clemens) *voluit fœminam esse glabram sola tantum coma sicut equum iuba sponte natura exultantem, quæ pulchritudo comæ solis fœminis ex Dei ordinatione, & natura ipsa docente nutrirî conuenit ipsis solis est decus, viris dedecus est, de quo contendebant Corinthij aliquibus existimantibus quod coma, & iuba equorum, more etiam viris conueniebat, quibus Apostolus dicit consuetudinem Ecclesiæ esse illis contrariam, si quis autem* (inquit num. 16.) *Videtur contentiosius esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei ostendit* (ait Tertullianus lib. de velandis virginibus c. 8.) *contentionem aliquam de ista specie fuisse ad quam extinguendam toto compendio vsus est nec virginem nominans, vt ostenderet, dubitandum de velanda non esse, & omnem nominans mulierem, cum nominasse virginem. Sic, & ipsi Corinthij*

hominum comam habuit, & de S. Ioanne Euangelista dicit Prochorus in eius vita quæ habetur tom. 1. Biblioth. veter. PP. abraham fuisse comam capitis ob ignominiam in quo verum & non apochryphum dixisse testatur Baronius tom. 1. ann. ad annum 92. num. 2.

80 Quare † comam habere viris non est dedecus sed ornatum pulchritudinis faciei, at turpe est comam nutrire, natura repugnante in viro cum sit sexui fœmineo propriū, sed quid sit comam alere vel nutrire, hic opus & labor est vt sic & loca sacrae paginae & Patrum conciliemus. Dupliciter potest hæc nutritio fieri, aut ornatum nimio, de quo modo, aut quia ita finitur crescere, vt nullatenus tonderentur capillorum extremitates & promitti sinantur, de quo modo nutriendi, Theodoret. q. 28. in Leuiticum, & eo utebantur Corinthij & Græci fere omnes quos Homerus vocat καειμωστας. Et de illis dicit Eufthatus ἡ δὲ ἵναυ τῶν ἰουδαίων τρέφειν ὄμοιον τῷ καλλῷ ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ φύσσειν αὐτὸ γὰρ λέων καὶ τὸ εἰς φεβρωτέρῳ τῷ μὴ χτενῷ ἐχθρῷ. est illis consuetudo nutriendi comam non solum propter pulchritudinem, sed vt incutiant timorem, non secus ac leo iubam habet formidabilior est, quam qui non habet. Hinc est, quod Paulus cap. illo. II. I. ad Cor. dicebat n. 16. si quis autem videtur contentiosus esse defendens consuetudinem patriam, non talē consuetudinem habemus, neque Ecclesia Dei; nutrire scilicet comam, ita vt velamentum totius capitis in circuitu ita vt veletur facies viri, caput enim viri, idest facies velanda non est sicut fœminæ, cui natura dedit velamen ad faciem suam operiendam vt egregie Tertullian. † lib. de veland. virg. cap. 7. sic fatur, debet ergo adumbrari facies tam periculosa quæ vsque ad cælum iaculata est, vt cum Deo assistens cui rea est Angelorum exterminatorum, ceteris quoque Angelis erubescat, & malam illam aliquando libertatem capitis sui comprimant, iam nec hominum oculis offerendam, sed & si contaminatas iam fœminas Angeli illi appetissent, tantomagis propter Angelos virgines velari debuissent quanto magis propter virgines Angeli deliquisse potuissent, si autem & natura præiudicium adiicit, quod honor sit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento est, utique hoc maxime virginis insigne est, quarum & ornatus ipsa proprie sic est, vt concumulata in verticem ipsam capitis arcem ambitum crinium contegat. Ex quibus liquet quod in hoc de qua loquimur notio- nis verbi nutrire est non tendere, ita vt facies fœminæ capillis veletur, adumbretur, tegatur, ne videri valeat in Ecclesia, quod viris turpe est quorum facies velari non debet, quia non propter illum Angeli exorbita-

runt, quia gloria & imago Dei est, quia caput eius Christus, dicit idem Affricanus cap. 8. Vnde † tonsor locum habet in viris non in 82 fœminis, vt egregie Paulinus cuius verba supra data iterum do, quia hunc sensum valdè enucleant, & opportunè ad gratia tempus, & speciem libertatis tonsori in promptu est, quo nos & prolixiore capitis velamento releuet, vt gratia spiritualis beneficium corporalis forma testetur. Fœminis autem Apostolica reliquit auctoritas, quia et si ipsis vna nobiscum fides velamentum cordis amoueat tamen tegumentum capitis & frontis umbraculum verecundia decus, postulat & ideo perfectus fidei ac discipline Magister indecorum vero crinem, quia abscondi nō potest caput viri Christus, itaq; viro dedecus fœmina decus est. ex quibus liquet, quod coma in viro subditur tōsori, qui in specie libertatis prolixius capitis velamentū abscondat, & tondeat, & sic gratia spiritualis beneficium faciei releuatio velaminis capillorum in forma corporali testetur absque frontis umbraculo coopertorio, quia caput viri, quod est Christis abscondi non potest, ast fœminæ frons, & facies, & forma umbraculo, & capillorum velamine obtegatur, quia id exigat verecundia decus natura ipsa docente. Quare Apostolus ex consuetudine Apostolica, & Ecclesie dicit † viris in decorum comam nutrire, quæ frontis, & faciei sit umbraculum, & velamen, quia hoc natura ipsa docente fœminis dumtaxat est concessum in signum subiectionis, & verecundia, atque fœminæ modestia, adu mbrari enim debet facies, tam periculosa, quæ vsque ad cælum iaculata est. Confert hoc adumbrari Tertul. cum frontis umbraculo Paulini, & rem omnem comprehendens, nam in viro frontis umbraculum, & faciei adumbratio indecora est, at frons periculosa fœminæ eiusque iaculatrix forma & facies adumbrari debet capillorum umbraculo, ne iaculis suis homines feriat, ne dum Angelos quorum (ex sententia Tertulliani) fuit rea, quare fœminæ decus est, & debitum naturæ, comam nutrire, at viris dedecus & natura docente inhibitur, & contra Ecclesie consuetudinem, & disciplinam.

84 Alio modo † comæ nutritio fieri contingit, ita vt homo illius curam habens sit veluti illius nutritus, ipsam ita compositam fucco, vel floribus, & aliis ornamentis, vt fœminis, vel æquet, vel superet, de ornatum comæ in viris ipsum reprobans sic Tertull. lib. de velandis Virginibus cap. 10. si enim viri comam nutriunt debent etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garametum, aut Crobylos Barbarorum, aut Cycadas Atheniensium, aut Cirros Germanorum. quæ autem in his barbaris pro tunc nationibus, hæc ornamenta fuerint, non est huius loci, legatur Pamelius

Pamellius ibi cui magis assentior quam Cerdæ, & Rhenano, verum huiusmodi ornatus hominibus esse indecoros recte Ambrosio *ep. 70. cit.* ostendit verbis citatis, barbari enim sunt, etsi inter barbaros consuetudine irrationali introducti, quia maior est natura quã patria contra hos veros comæ nutritios, sic
 85 eleganter inuehit Seneca † *lib. de breuit. vite cap. 12. Quid? illos otiosos vocas quibus apud tonsorem multa hora transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillus in consilium itur, dum aut dissecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur si tonsor paulo negligentior fuit? tanquam virum tonderet. Quomodo excædescunt si quid ex iubâ suâ decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Remp. turbari quam comam suam? qui non sit sollicitior de capitis sui decore, quàm de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos. Hæc Seneca grauiter, & irrisorie in comarum nutritios, quibus hanc occupationem pessimam dedit Deus in pœnam forsan nationis vitiorum, vt fuco comæ puniantur, vt ait Saluianus, videat ergo Hispanus, cõtumax capillis quanta ratione Rex noster Catholicus viris comam ferre seure inhibeat, vt Hispani generosi muliebria munia exercentes patriam, & fidem intendant semper defendere, ne pessime occupati inter speculum, & pectinem, vt cæsariem componant malit Remp. publicam turbari, quam comam suam, esse comptior, quam honestior.*

In fœminas vero comæ nutritices insurgit
 86 Affricanus *l. de cult. fœmin. c. 7. sic. Quid enim tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet modo subtractis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Alie gestiunt in cincinis coercere, alie vt vagi, & volucres eleuantur, non bona simplicitate affigētis, præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capilla mentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retro suggestum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram, neminem sibi adiicere posse pronuntiatum est, vos plane adiicitis ad pondus calirydas quasdam scutorum umbilicos, ceruicibus adstruendo, si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti ne exuuias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati Sancto, & Christiano capiti suppare. Imo hanc ornatus seruitutem à libero capite propellite. Frustra laboratis ornata videri, frustra peritissimos quosque struētores capillaturæ adhibetis, Deus vos velari iubet credo ne quarumdam capita videantur. Hæc Affricanus contra fœminas quæ in*

croceis coloribus, tincturis, & diuersis capillorum floribus, aliisue ornamentis vanis comam nutriunt non, vt velentur sed vt reuelentur, & forsan Deus eas velari vult, ne capillaturæ ornamenta videantur, quibus forsan magis allicient, quam forma est enim magna vis ad attrahendum fœminei capilli compositi, & vagi non bona simplicitate, sed malitiosa solutione, in vno crine colli sponfæ vulneratum se dicit sponfus, quando sancto zelo solutus apparebat per veli foramen, quanto magis vulnerabūt, immo occident tot capillorum in capite suo artificia, tot inuentiones quas enumerant Tertullianus Hieronymus *epist. 12. ad Demetriadem Iuuenalis Saty. 6. Prudentius in Psycoma Manilius lib. 5. Nazianzenus car. 63. Scaliger in Festum Suetonius in Nerone cap. 51. & quotidie arte diabolica inueniuntur, 88* quare hodie satius, & sanctius erit comas fœminas abscindere, quam nutrire maxime inter Hispanos, vbi ita pure ita religiose cognoscitur, & colitur verus Deus, hæc enim comptio capillorum in vtroque sexu ex luxuriæ cornu descendit, & *cognito Deo* (ait Tertull. vbi modo *cap. 8.*) *adempta placendi voluntate per luxuria vocationem omnia illa vt otiosa pudicitia recusantur, nam vbi Deus ibi pudicitia ibi grauitas adiutrix, & socia eius. Quo ergo pacto pudicitia sine instrumento eius idest sine grauitate huius? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitia adhibebimus, nisi & in facie & in cultu, & in totius hominis contemplatione securitas circumferatur.*

Ex dictis erutis ex sacra, & profana eruditione quam attēte, quam profunde idemet Tertullianus dixerit, † quod *exomologesis prosterndi, & humiliandi hominis disciplina est de ipsoque habitu atque victu mandata, vt supra retuli, & explicanda posui, Concilia Toletana 3. & 6. nullam antilogiam continent, sed PP. Concilij I V. Concilium tertium enucleant, illi dicunt, quod pœnitentes vtriusque sexus comam non nutriant, quod vtrique prudentissimum est Decretum sumpta comæ nutritione in vtroque sensu explicato, & pro dimissione capillorum, & pillorum superfluo ornatu, mulier enim pœnitens, velo contenta cum ad sæcularia non possit redire, post solemnem pœnitentiam capillaturam abscindit, & Deo dicat, vt ipsa abstergat peccata, & hoc est quod dicunt Patres Concilij Toletanij III. Quod † vir solemniter pœnitens tondeatur, & fœmina non accipiat pœnitentiam nisi habitum prius mutauerit. Sub nomine habitus comam, & cæsariem comprehendunt, imitantes Tertullian. linguæ latinæ propriissimum assertorem *lib. de habitu muliebri c. 4. habitus* (inquit) *fœmina duplicem speciem circūferit**

& cultum, & ornatum, cultum dicimus quem mundum muliebre vocant, & ornatum quem immundum muliebre conuenit dici, ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur, iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos attrahunt. Vnde Patres concilij, dum dicunt quod mulier habitum deponat, cultum vestium, & ornatum capillorum comprehendit nam ancilla Dei pœnitente quæ debet esse humilis quid faciet aurum, & argentum? quid cum ea quæ debet esse casta capillus qui fucari potest, sicut fucantur, & ornant aliæ sæculi fœminæ, vnde Hieronymus epist. 20. ad Marcellam. loquens de Bleffila. Tum crines ancillula disponebant, & mitellis crispantibus vertex arctabatur innoxius, nunc neglectum caput scit sibi tantum sufficere, quod velatur. & alibi dicit ad Demetriadem. Fuge lasciuia puellarum, quæ ornant capita, & hanc fugam desiderant Tolletani Antistites in fœminis pœnitentibus dum dicunt, quod ante pœnitentiam habitum deponant.

- 91 Quia vero iam hodie solemnis pœnitentia, tam viris, quàm fœminis non est in vsu, & illius loco monasteria, quæ pœnitentiæ scholæ sunt substituta fuerint, & quodlibet monasterium suum specialem habitum, tam in forma, quam in materia habeat nullique fœminæ in Monasterio inclusæ comam nutrire, aut ornare sit permissum impune, iam non cogit has cæremonias pœnitentiũ solemnium obseruari. Velim tamen, quod cõuersæ inclusæ, quæ alicubi loco pœnitentiũ in cõmunitate viuunt, vt Romæ, & alibi, similiter & moniales ea quæ Auct. antiquus vitæ eremiticæ scribens ad sororem fugienda, fugiant & ipsæ, dicit enim *vix aliquam inclusarum solam inueniri, ante cuius fenestram non anus garrula, vel migigerula mulier sedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus, aut distractionibus pascat, illius vel illius Monachi, vel clerici, vel alterius ordinis viri, formam, vultum, moresque describat, illecebrosa quadam interserat puellarum lasciuia viduarum, quibus licet quidquid libet, libertatem coniugum in viris fallendis, explendisque voluptatibus astuciam depingat, os interea in visus cachinosque dissoluitur, & venenum cum suauitate bibitum per viscera, membræque diffunditur. & postquam cap. 4. huius veneni effectus fœdos explicuit, concludit cella vertitur in prostibulum, &c. ex quibus turpiloquiis enormia multa dimanant, & quotidie experiuntur lasciuæ inter se conuersationes & operationes, quæ vix possunt cohiberi, & locus pœnitentiæ factus est veneris ara, quarum harum muliercularum commercia non minus prohibere debent Ordinarij, quam comptulorum iuuenum, vtraque enim fœda monasteriis perniciofa est, & contagium*
- 92

inducit, quare magna diligentia opus est, vt auditrices, quæ auscultant non solum officio nominis, officium faciant, sed vero sui officij exercitio. O si Deus quantum hoc interfit Dominis Ordinariis efficaciter inspiret, vel moniales quæ huiusmodi turpiloquiis vacat, vel in somnis Angelus castigaret ad aliorum exemplum.



RESOLVT. VIII.

Vtrum D. Thom. recte comparauerit expulsionem à Religione excommunicationi maiori?

S V M M A R I V M.

1. Comparatio D. Thomæ expulsionis à monasterio cum excommunicatione maiori, & num. 2.
3. Exprasbyteri dicebantur Prasbyterij officio spoliati.
4. Vnde sumatur excommunicationis notio.
5. Multipliciter sumitur communio & excommunicatio.
6. Multæ & variæ erant communicationes, ex Pamelio, & n. 7.
8. Triplex admittitur implexa communio.
9. Authoris iudicium assertur, & n. 17. 18.
10. Eiectum esse ab Ecclesia est, esse excommunicatum, & communionem pacis Ecclesiasticam priuatum, ex Pamelio.
11. An clericus eiectus ab Ecclesia idem sit, quod exauthoratus.
12. Clericus grauius peccans absentus suspendebatur totaliter à ministerijs exercendis in ea Ecclesia, in qua clericus erat.
13. Quæ dicatur communio peregrina.
14. Gibellini assertum refellitur, & n. 6.
15. Suspendus pro aliquo crimine in aliqua Ecclesia, an in omnibus suspendus erat.
19. Communio peregrina, an non constituebat Clericum in ordine laicorum.
20. Authoris sententia fulcitur Conc. Agathensi, & Rhegenfi.
21. Clerici qui in Ecclesia sua in penam alicuius defectus solum habent peregrinam communionem quomodo tractandi sint.
22. Episcopus schismaticus qui ad unitatem Ecclesiæ redijt communionem peregrinam foueat.
23. Syricij Papæ sensus adducitur.
24. Quomodo fiebat sumptio Eucharistiæ laica.
25. Quæ dicatur tertia communio.
26. Variorum DD. sensus, adducitur, & n. 27.
28. Quid circa communionem energumeni veniat notandum, & n. 25.
30. Nullus qui à Demone vexaretur ad Ecclesiam admittebatur.

31. *Energumeni unde dicti, & n. 32.*
 33. *Energumeni ab inspectione Eucharistiae prohibebantur ex Dionysio.*
 34. *Quid ex dictis sit colligendum, & num. 35. & 36.*
 37. *Contumelia illata repellenda propter duo, & num. seqq.*
 43. *Quid sit eiectione à Religione ex Guibellino.*
 44. *Hieron. sensus & aliorum affertur.*
 45. *Effectus quos causat excommunicatio maior enumerantur à D. Thom. & num. 47. & 48.*
 46. *Communicatio fidelium duplex est.*
 49. *Excommunicatus & anathematizatus quandiu fidelis est, nec amittit habitum fidei Catholicae, non ita eiiciatur ab Ecclesia, quod non maneat Ecclesia membrum, etsi informe.*
 50. *Quid item de haereticis.*
 51. *Quid inferendum veniat contra Guibellinum, & n. 52.*
 53. *Excommunicatio est maxima poena medicinalis, eiectione maximum & extremum remedium.*
 54. *Quibus priuet eiectione.*

GIBELLINVS è Societate Iesu, (vt fere nihil in campo amœnissimo D. Tho. quod non sit inculcatum, vt conculcatum appareat, sed irriguum superius semper florefaciet, quod inculcat, & quod cõculcat) *in tract. de clausura Monialium disquisit. 2. c. 4.*
 §. 1. à n. 6. postquam † comparationem D. Thom. expulsionis à monasterio cum excommunicatione maiori explicuerit multis adductis dicit num. 6. *Mihi potiori iure cum Clericorum dispositione, siue exauctoratione, & degradatione conferri possit videtur, placet itaque paucis hanc depositionem è clero ex his, quæ fusissime disputauimus in nostra scientia Canonica tract. de censuris, explicare.* Hæc ille, qui in sequentibus multus, & valdè multus est in hac explicatione, quæ parum, aut nihil concludit, maximè cum valde confusè, & sine electione tanta adducatur congeries rerum, cum nullum auctorem adducat, qui exclusionem, & eiectionem à religione depositioni, degradationi clericali componat, etsi enim expulsi, & deponantur ab officio & beneficio, & ordinum exercitio, degradenturque verbaliter, cum spolientur habitu religionis, sicque permaxime & iuridice exauctorentur cum infames constituantur, tamen hæc omnia sequuntur ad eiectionem, & expulsionem sententia iuridica factam, non secus ac passiones sequuntur essentiã, quare † cõparatio D. Th. non est expulsionis cum excommunicatione ratione harum proprietatum, quæ sequuntur, sed ipsius expulsionis à cœtu regulari, quæ in se est poena maxima spiritualis, quare nescio, qua aucto-

ritate canonum, aut auctore Canonico, aut Theologo dicat, quod potiori iure comparanda est eiectione hæc depositioni, aut degradationi clericali, quam excommunicationi maiori.

Vt autem veritas ipsa clareat & clarè cõprobetur duo notanda sunt. Primum, quod vt notat Fillef. *opus. de sacra Episc. auctoritate cap. 8. pag. mihi in paruis 212.* ex B. Greg. *epist. 5. ad Venantium l. 4.* † ex præbyteri dicebantur Præsbyterij officio spoliati, & pari notione dicuntur exmonachi, qui Monasterio relicto ab eo expelluntur, aut eiiciuntur, aut ipsi deserunt, vt Apostata, vt notant censores Decreti *ad cap. Accedens. 10. dist. 50.* sic etiam apud Tertullianum *lib. de Pallio cap. 4.* exauctoratus dicitur, quia vt ait Marcilius stolam qua auctoratur matrona missam facit, & sic exauctorat ipsa se, siue auctoritatem matronalem sibi detrahit, vnde dicuntur exauctorati milites, qui cum in curia dimittuntur ab exercitu cuius communione ob delictum priuantur, quamuis aliquando exauctorario esset, sine iniuria, & dedecore, exconsules enim & exquæstores olim apud Romanos dicebantur, qui his officiis functi iam fuere, & finito tempore vicis suæ exconsules, & exquæstores dicebantur, sicut Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *ep. 35.* excanonici dixit pro eo, quod est Canonice vltro cedere, in gradum alterius, quod vulgo dicitur *resignare Canonice*.

Ex quibus liquet † notio excommunicationis, quod secundum nominis proprietatem nihil est, aliud quam communionis priuatio, spoliatio, exclusio, cohibitio, absterfio, prohibitio, vt egregie adnotat Pamel. *ep. 38. Cypr. n. 10. & ad lib. de pudicitia. Tertull. c. 14. n. 119.* vbi ex Africani modo, & phrasi loquutionis suæ, quæ fere semper erat in propriis, & propriissimis notionibus, dicit quod excommunicatio erat ab Ecclesiæ communione eieratio, eradicatio, proiectio, damnatio. Vnde dum communio à qua quis eieratus, exulfactus, & eradicatus, restituebatur dicebatur *postliminiũ largiri Ecclesiasticæ pacis, dedamnare, recipere in communicationem, reuocare in Ecclesiam, concorporare rursus Ecclesiæ.* qui modi loquendi circa absolutionem ab excommunicatione in vetustissimo Tertulliano reperiri notat Doctissimus Pamelius.

Igitur excommunicatio cum sit communionis & communicationis priuatio, & spoliatio, † (non nego, quod aliquando etiam apud Tertullianum verbum *communicare* sumatur in malam partem, & communi errore, sit idem, quod inquinare, vt *lib. de spectaculis cap. 17.* ibi, *cur quæ ore prolata communicant, id est, coinquinant hominem, vt*

notat ibi Cerda *num.* 255. sed non est ad præfens) multipliciter sumitur communio, & communicatio, sed omnes ordinabantur in ordine ad communionem Eucharisticam quæ finis est cuiuscunque alterius communicationis Ecclesiasticæ, & sacræ, sicut sacramentum Eucharistiæ finis est omnium sacramentorum, vnde cum antiquitus ad communionem fidelium pœnitentes per gradus restituerentur quousque in quatuor classibus supra enumeratis se excercerent, boni, & perfecti participatio, & Eucharistiæ perceptio non dabatur. Sic Gregorius Næocesarien. *in epist. canon. pœnitent.* quam supra ex Baronio dedi, & Synodus Ancyranæ *canon.* 6. vbi agens de pœnitentibus qui quatuor classes cum ædificatione, & & profectu cursauerant, dicit quod duobus annis sine oblatione communicent, id est, assistant communicationi sacrificij, & tunc demum annis expletis ad perfectionis gradum perueniant, id est, Eucharistiam sumant, & perfecte postilimintum Ecclesiasticæ pacis largiatur, recipiatur in communionem, reuocetur perfecte in Ecclesiam eique totaliter incorporaretur qui ab illius solo eradicatus erat.

6 Igitur ex Pamellio *ad lib. de orat. Tert. numer.* 1. † Multæ, & variæ erant communicationes, ciuilibus, in ciuili commercio, & conuersatione, Ecclesiastica in cœtu, & communione rerum Ecclesiasticarum in regimine, in gubernatione, & subiectione rerum quæ ad cœtum fidelium munium ad disciplinam Ecclesiasticam attinentium, officij, & beneficij administratione, alia est communicatio orationum, quæ à cœtu fidelium in Ecclesia fiebant, tertia communicare ad offerendum oblationes in Ecclesia, quarta communicatio suffragiorum, quinta communicatio faciendi collectas, sexta communicatio in eleemosynis. Septima communicatio in psalmodia, & cantu ante, & post sacrificium, octaua ad osculum pacis, & post sequebatur communio corporis Christi, postquam sequebatur Agape, & conuiuium pauperum, quod non fieri ante communionem corporis Christi quod à ieiunio sumebatur, tunc temporis solum excepto anniuersario die cœnæ Domini, quæ consuetudo iam Ecclesia latina derogatur & semper communicatur à ieiunio naturali ieiunio, & quidem quod Agape fieret post ieiunium probant Pamellius *cap.* 39. *n.* 517. Primasius, D. Tho. Anselmus, vtraque glossa ordinaria, Iustinianus, Cornelius, & omnes expositores Catholici. *ad Corinth.* 11. *n.* ... vbi Chrysostomus *hom.* 27. ait, *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi post sacramentorum communionem inibant eo nuuium diuitibus quidem cibos efferentibus,*

& qui nihil habebant etiam vocatis, & communiter vescentibus. Vnde dubio procul Synaxis, & communio Eucharistiæ Agapas præibat.

Communiones istas † quas Pamellius ex 7 Tertulliano adducit, & inducit fere omnes inuenies in antiquioribus Conciliis quod hic probare superuacaneum iudicavi cum occurrent passim eruditis in Conciliorum lectione, solum supersunt tres explicandæ in quarum explicationem insudarunt docti, & eruditi viri, & ni fallor alicubi insudaui, vt videre est in meis iam prælo datis operibus, quia de determinato loco nō recordor, nec vacat locus perquirendi, eas tamen hic cogor iterum premere, quia circa eas aliquid dixit Gibellinus *vbi supra disquisit.* 2. *cap.* 4. §. 1. à *num.* 6. quod animaduersione indiget. Igitur † triplex est implexa communio quæ auctoribus negotium non parum, vt extricaretur fuit. Prima est laica. Secunda peregrina. Tertia mortuorum. Prima laica sic explicatur à Guibellino *n.* 10. dicit enim quod clericus eiectus, abdicatus, & alienus factus ab Ecclesia depositus à clericatu totaliter, ita vt nullum clerici officium in Ecclesia posset exercere, & sic constituebatur inter laicos, solasque eas habebat in Ecclesia communicationes, quam habent laici cum quibus clericus iste abdicatus à clericali sorte eiecti cum laicis solis, tum sacram tum ciuilem habebat societatem, nō enim erant inhibiti communicare, & Eucharistiam sumere extra missæ celebrationem, vt constat ex Concilio Aurelianen. 3. *cap.* 7. & Aurelianen. 5. *cap.* 4. Gregor. Magno. *lib.* 2. *epist.* 14. *ad Natalem.* Petro Alexand. *canon.* 10. *Pœnit.*

Ego quidem † quamuis existimem, cum 9 Turre-Cremata *c. contumaces dist.* 50. quem sequitur Valterius *de triplici cœna Christi. cœna.* 3. *cap.* 20. quod communio laica sit quæ fit post clericos, cum laicis ad cancellos altaris ante quos clerici amoti à suo gradu, & ministerij functione promiscue cum laicis ad communionem Eucharistiæ constat ex Conc. Tolet. 4. *cap. aliàs* 17. cæterum omnino falsum existimo iuxta phrasim, & modum loquendi Patrum, & Conciliorum antiquorum quod clericus eiectus, & alienus factus ab Ecclesia, & abdicatus à paterna Ecclesiæ hæreditate, & omni iure ad illam inhabitandam priuatus, hoc enim significat, vt ait Zonarus *can.* 4. *epist. can. Gregoriana* iste enim laicus effectus vel inter pœnitentes ponitur qui nō communicant de corpore Christi nec vt laici, vel sunt excommunicati, & sic in capaces Eucharistiæ; phrasi enim Tert. & Cypr. vt bene vidit Pamell. *vbi supra* † eiectum esse ab Ecclesia est, excommunicatum esse, & cōmunionem pacis Ecclesiasticæ

sticæ priuatum abstentum à communione fidelium; quare aliud est, quod clericus exauctoretur, *exclericus*, fiat aut *expræsbyter*, aliud quod eiiciatur ab Ecclesia, vt clare ex Concilio Tolet. 4. c. 18. & Concil. Ancyrano *cap. 17.* vbi Episcopus seditiosos abiici dicit, id est, excommunicari, *exclericari* vero, vel *expræsbyterari* est à gradu clericali, & Præsbyterij deponi, & degradari, vt veluti laicus relinquatur, & communione laica vtatur, vt ait Concilium Eliberit. *Can. 76.* vbi Diaconus exauthoratur & exdiaconatur, & tamen conceditur cōmunio laica, in hoc enim Concilio manifeste distinguuntur hæc duo, nam proiici & abiici ab Ecclesia est, excommunicari, vt cōstat ex *cap. 62.* quod fuit desumptum ex *lib. 8. constit. Apostol. Clement. III.* quem imitatur Cyprianus *lib. 3. contra Iudeos ad Quirinū.* hanc enim eiectionē anathema dicitur *cap. 26.* Quare omnino fallitur Guibellinus dicens, quod † clericus eiectus ab Ecclesia idem est, quod exauthoratus, manens tamen in communione laica depositus ab officio, & beneficio, & omnibus altaris ministeriis, non enim est idem depositio etiam totalis, & eiectio ab Ecclesia, & eius atriis, hæc enim excommunicatio est, quæ censura omnino diuersa est, à depositione, & quidem si eiectio ab Ecclesia depositio est, & non excommunicatio nescio quo fundamento, hæc duæ censuræ ex Patribus, & Conciliis colligantur.

11
12
Secunda communio, quæ aperienda est *Peregrina*, de qua Gibellinus peregrinè loquitur à *num. 8.* vbi supra & dicit duo. Primum, quod ex Concilio Tolet. *1. c. 15.* † clericus grauius peccans abstentus suspendebatur totaliter à ministeriis exercendis, in ea Ecclesia in qua clericus erat, etenim in primitiuis temporibus omnes clerici locales erant, & in suis Ecclesiis quibus addicti erāt tenebantur residere, vt constat ex Concilio *Valentia Hispana cap. 6.* & in superioribus à me probatum est. Quod si extra Ecclesiam suam ad alias pergerent, & diuagarētur, etsi non celebrarent, quia non poterant admitti in aliena Ecclesia absque consensu illius Ecclesiæ, cui erat in ordinatione sua designatus, & eius matricula & albo tanquam illius pars, & minister, qui ex redditibus sustentabatur. Si tamen absque licentia alibi in alia Ecclesia sacrificaret & missam priuatam diceret, peccasset quidem & variis pœnis Ecclesiasticis esset obnoxius, non tamen esset irregularis, nec contra suspensionem sibi impositam peccaret, quia solum erat per eam suspensus etsi totaliter à sacris peragendis, tamen solum in propria Ecclesia. Vnde erat totalis, ratione loci dumtaxat, & tum dicebatur damnari

clericus ad communionem peregrinā, quæ solum clericis dabatur & non aliis, vt constat ex Concilio Agathens. *cap. 5. Ilerdens. cap. 16. & Rhegens. cap. 3.*

13
Secundum, quod dicit est, quod † com-
munio ista peregrina nihil aliud erat, quam quod clericis, etsi neque ab vsu Eucharistiæ, aut celebratione missæ priuati non carerent, sed possent & missam priuatam dicere & Eucharistiam sumere, tamen ita eiiciebantur à propria Ecclesia, vt tanquam extraneus, aut peregrinus haberetur, ita vt negotiis illius Ecclesiæ se immisceret, nulla illius ratio haberetur in rogandis suffragiis, aut sententiis, neque in assignandis, aut describendis sacris ministeriis, neque sacris, aut aliis rebus publicis poterat se ingerere, nisi ex peculiari dispensatione, amiserat enim illius Ecclesiæ ius ad officia & ministeria publica, ad conuictum cum aliis clericis, aut ad petenda alimenta, quæ non nisi ex charitate tanquam aduenæ & peregrinæ administrabantur, sicut peregrinus dicebatur in Republica Romana, ad quem ius Quiritum non pertinebat, siue nunquam ciuis fuisset, siue ciuitatem amississet *leg. 1. C. de hered. instit. leg. 10. D. de in ius vocan. §. 6.* vbi deportatus in pœnam peregrinationem acquirit, siue deportatus, non fuisset, sed ob aliam causam, testatur Suetonius in *Claudio.* vbi Principem Latini sermonis ignarum albo iudicium erasit, & in peregrinitatem redegit, & sic Ecclesia latina clericos ad peregrinitatem damnauit, quatenus eos ab albo Ecclesiæ suæ abrauit, & priuauit iure clericali ad alimenta, & officia, & beneficia.

14
Sed † vtrumque assertum Gibellini
mihi summe displicet, ex propria enim imaginatione, & discursu dimanat, quæ in vetustate indaganda mille fallaciis exposita semper fuit, & quidem, primum omnino est voluntarium, nec aliquo antiquitatis nititur fundamento, sicut enim excommunicatus vbique locorum excommunicatus est, ita totaliter suspensus vbique suspensus est, nam totalis suspensio censura est Ecclesiastica, quæ vim habet non ex decreto huius Episcopi in particulari, sed totius Ecclesiæ à cuius potestate vniuersali censuræ dimanant, & quidem, quod semel in vna Ecclesia excommunicatus vbique locorum & Diocesum excommunicatus sit, constat ex Concilio Sardicensi cui præfuit Osius *cap. 13. aliis 16.* idem statuit Synodus Antiochena *cap. 6.* Illiberitana *capit. 53.* Arelatens. 2. circa tempora Concilij Nicæni Arausicana. 1. *cap. 11.* Turonens. 2. *cap. 8.* & de suspensione

idem expressit Concilium Lugdunens. 1. cap. 3. ibi. *Illud etiam quod Sancti Patres salubriter ordinarunt, placuit iterari, ut si quicumque Episcopus pro reatu aliquo quemquam à communione suspenderit apud omnes sacerdotes cætenus à communione habeatur alienus usque eius iudicio debeat recipi, à quo meruerat à reatu suo à charitate Ecclesiastica sequestrari.* Quare
 15 mihi dubium non est quod † suspensus pro aliquo crimine in aliqua Ecclesia in omnibus suspensus erat, nisi ab Episcopo suspensore, & sequestratore reciperetur, vnde in antiquis Conciliis suspendere clericum ab officio, & ministerio, Patres Eliberitani cap. 20. Bracharenses conc. 1. cap. 4. Aurelianenses concil. 4. cap. 7. & in Concilio 3. cap. 8. & Carthaginenses concil. 4. c. 48. 56. 57. ab officio degradari dicunt, id est, suspendere qui imitati sunt Canon. 25. Apostolorum, quem adducit Hinemarus epist. 7. cap. 19. & quis Catholicorum dicit quod degradatus verbaliter, & ab officio suspensus non sit ubique suspensus, & degradatus, ita ut si alicubi celebret aut fungatur officio à quo est suspensus non operetur contra suspensionem, & degradationem sibi impositam, non enim est suspensio quæ est pœna lata per sententiã iudicis, sed quæ ipsis iuribus reclamantibus incurritur, & est vere censura, quare non respicit locum Diœcesis in qua quis est designatus clericus, sed ubicunque fuerit, vim suam exerit, & efficaciam; aliàs pari ratione possemus dicere quod excommunicatio maior solum priuaret suffragiis, & orationibus, & celebratione missæ, ac administratione sacramentorum tam actiua, quam passiuã in illa Diœcesi in qua fertur ab illius Episcopo, & quod si quis extra celebraret, etsi peccaret, & erat dignus pœna nõ tamen faceret contra excommunicationem nec fieret irregularis, cum P.P. & concilia eodem modo loquantur de hac excommunicatione, ac de suspensione, & abstensione ab officio, & ordinis exercitio.

16 Secundum etiam assertum † de communione peregrina mihi nullatenus arridet, fateor enim rem esse valde in antiquitate abstrusam in qua potius diuinare quam decidere possumus, ut diuinant Archidiaconus, Dominicus, Turre-Cremata cap. contumaces 50. dist. Xaintes repet. 10. cit. Durantus lib. 2. de ritib. Ecclesie cap. 55. Vasquez 5. p. dist. 216. Alaspina vir eruditissimus lib. 1. observatio. 1. Lindanus lib. 4. Panoptia cap. 58. Vnde Durantus postquam dixit, quod communio peregrina non distinguitur à laica, quæ etiam aduenis, & peregrinis datur, & sic peregrina dicitur, concludit. *Hæc est mea coniectura si quis veriore attulerit ei maximam gratiam sum habiturus, quod ego etiam dico postquam meam coniecturam proposuero.*

Quare existimo, quod si sermo sit de 17
 communionem quæ est Eucharistiæ sumptio, hæc eadem est siue laica, siue peregrina, nec distinguuntur aliqua speciali cæremonia, sed communicans laicus sit peregrinus, & extraneus qui accedit ad Synaxim sacram in eodem loco, & eodem titulo recipit corpus Christi, nec hæc communio dicitur peregrina, quia recipiens peregrinus sit aduena, & extraneus alterius Episcopi ouis, & subditus, sed dicitur laica communio à loco laicorum, qui communicabant post clerum omnem, ante altare.

Si vero sit sermo, ut puto esse in Conci- 18
 lio Agathens. c. 2. Rhegenfi, siue Rhegienfi celebrato anno 439. sub Sixto Papa III. canon. 3. non de communione Eucharistiæ, sed de communicatione in commercio, & aliis actibus Ecclesiasticis, existimo quod communio peregrina valde distinguatur à laica, quod communio peregrina erat, quando quis non erat exauthoratus ab ordinibus quibus erat insignitus, adhuc enim manebat in loco sibi competenti, sed erat à matricula Ecclesiæ abolutus quantum ad munia illius Ecclesiæ obeunda, quæ illi nullatenus dabantur quousque se pœnitentia emendaret, vnde ex vi communionis dumtaxat peregrinæ non erat prohibitus missam priuatam dicere, aut communicare cum aliis clericis, & cum illis accedere ad sacram Synaxim, quare † communio peregrina non 19
 constituere clericum in ordine laicorum, & sic non poterat illi imponi pœnitentia solemnis, sicut poterat clericis qui solum habebant communionem laicam, rursus qui solum habebant peregrinam communicationem rogati absque alia dispensatione, poterant aliqua munia Ecclesiæ exercere, non enim erant suspensi, aut excommunicati, aut clerici qui solum habebant laicam communionem, etiam rogati, nisi essent ab Episcopo dispensati non poterant munia ordinum, quibus erant insigniti exercere, quia erant suspensi ab exercitio ordinum.

Hanc meam sententiam quoad vtramque partem manifeste ni fallor colligo ex præcitatis Conciliis Agathensi, & Rhegenfi, in priori enim sic dicitur † cap. 2. Contumaces vero clerici (prout dignitatis ordo permiserit) ab Episcopis corrigantur, etsi qui prioris gradus illati superbia communionem fortasse contempserit aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eorum communio tribuetur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, in matricula gradum suum, dignitatẽque suscipiant. Ecce ubi Agathenses Patres clericum qui aliorum clericorum superbia elatus, prioris gradus consortium dedignatur, aut deses est in frequentanda Ecclesia, si officium sibi impositum

positum negligit implere, tanquam aduenam & peregrinum extraneum esse communicandum, sicut tamen peregrinus, & aduena sacerdos, qui de licentia sui Episcopi peregrinatur, illi communicant clericali alterius Diocesis, dando illi altare in quo sacrificet, admittitur ad orationes communes, non tamen ponitur in matricula aliorum clericorum neque ad munia, & suffragia illius Ecclesiae, nec illi debentur alimenta, nisi titulo peregrinationis, & indigentiae, ut sustentetur. Ita clericus, qui solum communicat communionem peregrina, nisi cum poenitentia correxerit, tunc enim illi qui à matricula erit delecti, in matricula rescripti, gradum suum & dignitatem suscipient. Vnde † isti clerici qui in

21 Ecclesia sua in poenam alicuius defectus dumtaxat habent peregrinam communionem; ita tractandi sunt, sicut peregrini tractantur, qui in aliena Ecclesia nec gradum nec dignitatem habent, si tamen rogentur vel ab Episcopo, vel à Primiclero possunt aliquorum munium exercitia facere, quod mihi clare videtur determinasse Concilium Rhegense cap. 3. cit. vbi renouat Canonem 8. Concilij Niceni dicens, quod † Episcopus scismaticus qui ad unitatem Ecclesiae rediit, peregrina (ut aiunt) communionem foueatur. Nec usquam ille quisquam de Episcopalibus officiis usurpare prater quam in Ecclesia quam cuiuscumque misericordia fuerit adeptus, in qua se solum Neophytos confirmare & ante presbiteros offerre conceditur.

Hoc autem nullatenus erat licitum clerico, Præsbytero, aut Episcopo qui tantum habebat laicam communionem, nullatenus ministrare in ordine suscepto, sed ab officio Episcopali aut clericali omnino erat suspensus. Nicephorus Calixtus lib. 6. Histor. de quodam Episcopo ad Ecclesiam reuerso, dicit. *Populo vniuerso pro eo rogante tandem ut laicus in communionem receptus est*, similia dicit Cyprianus lib. 1. epist. 4. de Basilide, qui post poenitentiam satis gratulans sibi si vel ut laico communicare contingeret, & lib. 2. epist. 1. ad Stephanum. & epist. 2. lib. 4. agens de Trophimo. Vnde † Syricius Papa, epist. 1. cap. 21. *si clericus viduam duxerit omni Ecclesiastica dignitate priuilegio mox nudetur laica sibi communionem concessa*. Et Innocentius. 1. epist. 22. cap. 4. Concilium Agathens. cap. 50. idem fanciunt. Vnde Basilus. Epist. ad Amphilonem. cap. 32. *qui peccatum ad mortem peccant clerici quidem à gradu deponuntur à laica autem communionem non arcentur*. Et Concilium Aurelian. 3. cap. 2. *Quod si fecerit laica communionem contentus iuxta priorum canonum statuta ab officio deponantur*. idem determinatur in Concilio Tolet. 4. cap. 4. qui omnes Patres & consilia con-

formantur, canone 15. *Apostolorum vbi habetur, si quis Præsbyter aut Diaconus aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam Parochiam pergat ad alienam & omnino demigrans, prater Episcopi sui conscientiam in aliena Parrochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, praecipue si vocatus ab Episcopo venire contempserit in sua inquietudine perseverans. Verumtamen tanquam laicus ibi communicet*. Hæc ibi, quibus meum dictamen manifestè firmatur, datur enim hic communicatio laica & negatur altaris ministerium, nam ministrare, in Græco est λειτουργειν. à λειτουργω, quod significat ministrare in liturgia hoc est in altare circa missa sacrificium.

Hinc est quod sumptio Eucharistiae laica, siue communicatio laica, in hoc sensu semper fiebat extra cancellos altaris à sacerdote eam distribuyente clericis, Præsbyteris, & Episcopis, qui ob delicta erant suspensi cum Præsbyteri & Episcopi qui solum habebant laicam communionem λειτουργειν, sacrificare nequibant, & sic sumptionem in laicam Eucharistiae ab alio accipiebant, at sumptio Eucharistiae peregrina vel communicatio peregrina poterat quis à se ipso accipere, quia λειτουργειν.

Et ministratio priuata missae non erat illi inhibita, sed sicut licebat priuate sacrificare ita necessario seipsum communicabat. Et dicebatur hæc sacrificatio peregrina qui talis nisi rogatus & inuitatus ab Episcopo non poterat missam solemnem canere, nec hebdomadarij officium exercere, erat enim in poenam suorum defectuum abrasus à matricula clericorum & iuxta dicta corrigendum est assertum secundum Guibellini.

Tertia denique † communicatio est quae dabatur moribundo qui ante aduentum sacerdotis confessionem coram testibus postulauit, & emissa loquela, vel in phrenesim versus nullum aliud signum praestitit sed testes deposuerunt confessionem & absolutionem postulasse, de quo casu Concilium Carth. 4. celebrat. ann. 398. sub Anastasio Papa in quo fuerunt congregati 214. Episcopi Catholici, qui sic loquuntur, *is qui poenitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia, & c.* quem textum adducit Gratianus. 26. q. 6. cap. 11. qui & cæteri collectores decretorum de eo meminerunt & ad verbum adducit † S. Thom. 3. p. q. 80. art. 9. vbi Vasquez, Suarez & cæteri expositores, & de illo sic loquitur glossa, *ad praefatum cap. is qui, verbo & infundatur, sed qualiter recipiet Eucharistiam qui ita infirmatur, si enim intincta in pane datur, hoc prohibetur cap. omne, consecr. dist. 2. nec alio modo videtur danda quia pu-*

nitur infirmus qui euomit Eucharistiam cap. si quis per ebrietatem ead. dist. 2. Sed huic glossæ obstat regula data in c. quod in te. de penitentis & remiss. quæ sic habet, in illo verbo, per quod penitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam quod vere penitentibus exhibetur intelligi volumus, ut neque ipsum decedentibus denegetur. Cum ergo illi moribundo qui confessionem petiit id affirmantibus testibus confessori aduenienti absolutio detur Eucharistia etiam deneganda non est, sed ori eius infundenda, siue possit eam deglutire, siue non, quia eo ipso, quod ori eius infundatur etiam si infirmus id nesciat, manducare eam dicitur & si non ita proprie sicut si deglutiret, sicut enim datur ei absolutio à peccatis, etiam si actu non aduertat, quia habet virtualem dolorem ex vi petitionis confessionis, ita quamuis vi taliter nõ deglutiat eo ipso quod in ore infundatur Eucharistia illi confert gratiam viatici. Et quidem Patres Concilij Affricani 2. (celebrati anno 397. tempore Syricij Papæ & confirmati à Leone 4. cap. de libellis dist. 20.) cap. 7. ideo denegant mortuis dandam Eucharistiam quia, dictum est à domino, accipite & edite, cadauera autem nec accipere possunt nec edere, idem statuitur in Concilio Antifiodorensi. cano. 12. & in Trullano. cano. 83. ob eandem rationem, quam tradunt Patres Carthaginenses, quare cum quandiu homo uiuit etiam si morti sit vicinissimus cadauer non sit, proprie potest recipere & recipit etiam si non aduertat actu, dum Sacramentum altaris ori eius infunditur, qui enim accipit cibum quantum est de se potest edere, & deglutire, quod si non deglutiat actu, est per accidens, nec impedit quod Eucharistia in os infusa gratiam conferat sicut confert absolutio à peccatis, quia sicut pœnitentia illi non negatur, nec viaticum denegari debet, cap. quod in te cit. de penit. & remiss.

28 Circa communionem Energumeni notare oportet ¶ quod si Energumenus sit ab Angelobono, hoc est Angelizatus uti dixi tom. 1. Moral. tract. de delictis generanti. suspicionem in fide. Resol. fieri posse, quod illi dāda est Eucharistia toties quoties eam petierit, quia Angelus bonus à quo possidetur non permittit indecentiā, sed augebit deuotionem & reuerentiam. Si vero sit Energumenus à Cacodæmone. Concilium Eliberitāum duo decreta edidit quæ antynomiam videntur habere, primus est 29. ubi habetur Energumenum qui ab erratico spiritu exagitur huius nomen nec ad altare cum obligatione esse recitandum nec permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministraret. In quo duo pro-

29 hibentur. Primum corpus Domini recipere & quod illius memoria fiat in sacrificio.

Secundum aliquod ministerium in Ecclesia propria manu exequatur. Secundus Canon est 37. qui sic habet. Eos qui ab spiritibus immundis vexantur si in fine mortu fuerint constituti baptizari placet, si fideles fuerint dandam eis esse communionem. Hanc antynomiam sic concordat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 69. sect. 2. in fine, quod prior Canon loquatur de illis energumenis, qui propter publica aliqua scelera publice à Dæmonibus vexabantur, & ab Ecclesia excommunicabātur, iuxta illud Pauli 1. Corinth. cap. num. Iudicauit tradere huiusmodi satanae in interitum carnis ut spiritus saluus sit in die Domini; in primitiua enim Ecclesia multoties excommunicati à dæmonibus crudeliter vexabantur, ut tradit D. Thom. in 4. dist. q. 1. art. 3. q. 2. at Canon alter loquitur de Energumenis non excommunicatis.

Sed hæc concordia etsi probabilis, tamen infert violentiam Patribus Eliberitanis, qui in utroque loco de eisdem loquuntur energumenis, nullus enim, ¶ qui à Dæmone vexaretur ad Ecclesiam admittebatur propter Dæmones, qui in illis habitabant vexationem & elisionem, ne quibuslibet pro quibus mortuus est Christus scandalum ingeretur infirmis, ut ait Gelasius Papa epist. 9. ad Episcopos Lucaniae. Vnde Dionysius exiguus in sua Collectione. Ferrandus Diaconus in Breviario Cano. 149. Alba spinus in sacris observationibus, quos citat & sequitur Guibelinus de clausur. disq. 3. cap. 2. n. 33. Energumeni χυμζομένε, id est, hyemantes dicebantur, eo quod subdicio frigori aliisque aëris iniuriis expositi stare cogebantur, nec ingredi Ecclesiam erat illis permittum, quia dati satanae, ut spiritus salui fierent, quasi anathematizati ibidem persistebant extra Ecclesiam expulsi. Vnde ¶ energumeni dicuntur 31 δοντων ενεργειν ab operibus dæmonum, quæ videntur, quare in Concilio Ancyrano cap. 16. præcipit, quod publice & solemniter penitentes, qui in prima classe degunt, & extra Ecclesiam, orent inter eos, qui spiritu periclitantur in mundo. & hoc ne Ecclesiam turparent, & cœtum fidelium inquietarent. Vnde ενεργουα. apud Tertull. idem est ac vis, violentia efficacia, & dæmonum vexatio circa corpora humana, quæ possidet & in hoc sensu PP. Eliberitani sumunt vox Energumeni in utroque sexu, siue vexarentur à Dæmone quia excommunicati, siue ob occultas alias, quas Deus scit rationes, isti enim quandiu sunt vexati à Dæmone non communicabāt communionem Ecclesiasticam, nec intra eius commercia admittebantur, sed semper erant Hyemantes extra Ecclesiam, & sic illis nunquam dabatur Eucharistia, nec communicabant, nisi in fine vitæ per modum viatici. Quare secundus Canon 37. in quo istis

illis datur communio in fine est moderatio, seu explicatio Canonis 29. in quo prohibetur, quod arreptitij, & energumini nomen cum oblatione, est ad altare recitandum, extra scilicet finem vitæ, in quo datur ei Eucharistia & osculum patris.

32 Hic illis temporibus conueniens erat rigor & in posterioribus sæculis mitigata est securitas & sunt energumini, quando non sunt furiosi & inducias aliquas dat Dæmō conceditur absolutio à peccatis, ita & porrigitur Eucharistia, quando dæmon finit, quod sine indecentia, aut periculo irreuerentiæ, aut vomitus sumatur, & sic Cassian. citatus, & sequutus à D. Thom. art. 9. cit. ad 2. dixit, *eis qui ab immundis vexantur spiritibus communionem Sacro-Sanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.*

Vnde D. S. explicat Dyonisium, cap. 3. *Ecclesiast. Hyerar. p. 2.* qui dixit, quod † *Energumini ab inspectione Eucharistia prohibebantur*, quod loquatur de Energumenis nondum baptizatis, in quibus nondum est vis & *νεργία*, dæmonis extincta, quamuis etiam posset explicari, quod id prohibeatur illo tempore, in quo erat magna Energumenum multitudo, etiam si baptizati essent excludebantur ab Ecclesia ante cathecumenos, ut dicit Pachimera, *in paraphrasi illius capitis.*

34 Ex dictis igitur constat, † quod iuxta concilia antiqua & veritatem catholicam nunquam dabatur mortuis Eucharistia, sed viuis & morituris, dicere enim quod communio pro mortuis error est sicut dicere quod pro illis baptisma, qui enim mortuus est regenerari nequit, sicut nec nutrirī potest, non enim est error sed valde magna pietas pro mortuis communionem accipere, & satisfactionem huius actus heroici illis applicare, nec hoc est debile suffragium, pro animabus purgatorij ut late ostendi contra Theophylum Raynaudum (quem satis audacter quidam suæ familiæ & societatis modernus scriptor, *totius sapientie compendium appellat.* O bone Deus, si hoc Epitheton datur Raynaudo, quale reseruat Hyeronymo, Aug. Ambrosio S. Thomæ & aliis Ecclesiæ Patribus qui fuerunt lumina radiantia Ecclesiæ. Sed bene paræmia illa applicatur. *Vir delphus cum portet ferta, sui exanimatur*, est enim hæc laus data Raynaudo veluti, *Aphia in ignem*, celeriter enim interiit, & absumentur dum spero, asterico, vel igne sacro notanda & expurganda) late inquam hanc veritatem contra Raynaudum ostendi tom. 2. Moral. tract. ult. Resol. 11. cæterum ipse Raynaudus *διότιρω περιπληγής*, furore correptus videns impugnationes meas suæ interceptæ

à iudicibus fidei, doctrinæ, libellum contra me apologeticum scripsit quem nostro P. Generali dicauit cui titulum apposuit satis ridiculum & homine docto indignum, sed ut sæpius dixi & sum protestatus libellus ad manus meas non peruenit post factam exquisitam diligentiam, vereor ne ipse diligentior extiterit Raynaudus impediens ne ad oras Hispanas adueniret, illico tamen ac veniet absque mora respondebo, neque enim *Συστομωτέρος σπαφής*, imo Raynaude, *πύμπτο σστο μώτερ γ σπαφής*, reddam tibi os occlusus scapha, ut humiliatus hircere non audeas, neque enim tutum est liberioris esse linguæ & semper in ore *Rho*. Recardum 35 & Eretriensem, qui litteram R. adabant, quam loco S. supponebant è contra Athenienses qui apponebant pro R. litteram S. ut notat Plato *in Etulo*. Eretrienfes imitatur Raynaudus, qui rumores adabant non silentium, testis est Opothecla illa calumniarum quas olim de sanctis Patribus nostris, hæretici & calumniatores effutiebant & melius manerent sub silentio oblita, quam rumore publico in medium iterum traducere & in theatrum adferre. Sed diligit Raynaudus Rho Recardum & Eretriense, cum præceps sit & violentus in omnes, & non S. Atheniensem, quæ & si superiores tamen aliis Religiosos amantes silentium iniuriarum; *Vulsum & depilatum*, à te, me vocas in libelluli tui titulo sed cerre *φαλαίρον πλωσ*, caluum vellis, & inanem infumis operam quam simul & oleum perdis, te depilauit sacrum Tribunal, suo decreto, ego te expurgabo & poliam existens tui expurgator & politor ut scias, quod.

Est Pylus ante Pylum si quidem est Pylus altera sane, nec enim iactare te debes, quasi vel solus sit vel summus, & quod non reperiant multi qui tecum possint decertare. Hoc quidem dubio procul de te putas, dum scribis cuidam consodali tuæ S. societatis de me agens in Epistola subdata, *Lugduno. 11. Decembris 1632. Quod attinet ad Thomam Hurtado nondum illum vidi, sed nihil quidem ad me pertinet. Ego non sum hospes in huiusmodi Bambalionibus contundendis. Iam sex multavi, Baresum, Camerarium, Chiesonem, dolanum, Launayum, Goldulphum, & omnes æque dure, nemo eorum ausus est redæctiuare. At videbo quid notet, apparabo illi moretum salitum & præparatum nisi agat de martyrio, circa quod oportet me dextre agere & tempus præstolari opportunum, quamquam nec circa hoc abibit profus impune si foueam suam repererit Ericius. Et in alia Epist. ad eundem, etiam, è Lugduno data 16. Nouemb. 1654. sic fatur. Reuenio ad R. V. quæ me aliàs peramanter monuit de Thomæ Hurta-*

do in me petulantia, & ut pridem significavi statum ac accipi, quæ ille mouisset, curavi, ut acciperet mercedem suam libellus de hoc pilloso, vurso, de pilato, pupugnit suos Italos, & minantur ab eiusdem Hurtadi calamo multa, & grauiam promisi statim ac rescuero, quid ille præstiterit, fore ut intelligat me adhuc viuere. Itaque rogo R. V. ad quam puto peruenisse responsum per me vulgatum, ut si ille aliquid reponat, monear, illico enim curabo eius inscriptionem ad me transmitti, ne abeat vsque debita compensatione.

Hæc sunt exemplaria fideliter exarata ab Epistolis Theophilis quæ mihi è Mantua Carpentana remisit sua propria manu transcripta vir grauissimus, & Consiliarius Regius, cuius nomen taceo, quia mandato de silentio sum constriictus, ego vero respondeo, aspere, fateor, sed prouocatus, & laceffitus iniuste verbis contumeliosis, & ut ait D.

37 Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 3. † quandoque oportet, ut contumeliam illatam repellamus maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet. Secundum illud Prouerb. 26. vers. 4. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde Gregorius dicit super Ezechiel. homil. 9. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba comperescere ne eorum predicationem (doctrinam sanam typis datam) non audiant qui audire poterunt, & ita in prauis moribus (falsis doctrinis) remanentes bene viuere contemnant & in solut. ad. 2. dicit quod contumelia oritur ex stultitia.

38 Sed an in me protulerit contumeliam Raynaudus quisque viderit, dum me Babilionem, vulsum, depilatum, quod moretum salitum, & piperatum me preparat, petulantem. Sed ad ipsum litteris Ephesinis rescripsi, ut agnosceret actiuitatem meam & animositatem, ut responderem huiusmodi contumeliis vtens quidem, & doctrina S. Thomæ, & consilio Spiritus Sancti in præfato loco quem sic explicat S. Cyprianus lib. de singularit. clerico. Tales enim non per orationem, sed per correptionem reuincendi sunt, nam aduersus huiusmodi homines Salomon edocet nos, dicens noli respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis illi fias, sed respondeas incipienti contra illius insipientiam, ut non videatur sibi sapiens esse, quod iam feci, ut vidisti in litteris meis, si tu vis eas in publicum dare, publica etiam eas quibus me laceffisti & prouocasti contumeliosè agens, quando ego in meis libris te laudo ab eruditione, à bona Latinitate à Patrum lectione, & ab aliis, quæ

eximie habes, etsi damnem à nouitate parturiente semper absurda, quæ Ecclesia non sustinuit, ut es expertus, à Patrum contemptu, ab audacia in dicendo, & similibus quæ ego antiquitatem venerans nequiu sufferre, quin corripere, & damnarem vt fecit, quid ergo vociferaris, & minaris contra me vt sciam (vt ais) te adhuc viuere, viue, viue, & quid ad me quod moriaris, hoc vnum tibi promitto, quod dum respõdeam ad libellum tuum nihil asperum audies à me, nihil clamorosum, (nisi tuis dictis mei constringas) sed solum adferam ea quæ ad veritatem quam docui tuendam fuerit necessarium, & utile. Legi enim in Cypriano in Apologetico pro Christianis ad Demetrianum. Cum ad me studio magis contradicendi, quam voto discendi accedas, & clamoris vocibus personans malles tuam ingerere quam nostra patienter audire, ineptum videbitur congradi tecum. Quando facilius esset ac 41 leuius turbulenti maris concitos fluctus retundere, quam tuam rabiem tractibus coercere. Certe, & labor irritus, & nullus effectus offerre lumē cæco, & sermonem surdo cum nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire possit. Hæc considerans conticebo, cum non docere indocilem possim, & furentem forsitan lenitate cohibebo. At omnino tacere non oportet, quia non verecundiæ, & modestiæ, sed diffidentiæ esset non respondere, quia dum criminationes, & rationes falsas contemnam refutare, videbitur pluribus te victoriam contra iure canere vt canis de illis fex quos multasse gloriaris, & quod tibi non redactiuarunt, tanquam non habentes in ore suo redargutiones, quibus te comprimerent. Respondebo tibi, & cæteris quos tu forsitan concitasti, & aduersus nos odia tuis vocibus & libellulis seminando, comites tibi plures radicis, atque originis tuæ pullulatione fecisti, quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem nam qui ad malum motus est fallente mendacio, multo magis ad bonum mouebitur veritate cogente. Quam in meis scriptis iuxta præscriptas regulas Patrum nostrorum semper proposui, & semper proponam, semper etiam persequar doctrinarum nouitates, vereor enim, & valde timeo, ne bellorum turbine, temporum calamitates, hæreticorum multitudinem, Regnorum scissuras, & Principum inimicitias inducat, & sēsīm introducat nouitas in docendo impune, quidquid apparet probabile, & sic Plato lib. de legibus 42 ait. Nec mutandos rythmos in cantionibus cultuque deorum, ne cum mutatione rythmorum Religio quoque innouaretur, sed de hoc aliàs, & modo sint satis quæ diximus Raynaudo. Iam enim ad manus meas hoc anno peruenerunt duæ Apologix, à quodam ficto Leodegario confectæ pro

pro Raynaudo vero earum Auctore, quibus illico responsum meritum dedi, quod de scrinio meo sublatum, existimo iam typis datum, & hæc quæ hic duo iam exarata erant.

43 Secundum quod notandum proposui, ut comparatio facta à D. Tho. inter eiectionem iuridicam à Religione, & excommunicationem maiorem vindicetur & vindicata semper consistat, est ab effectibus quos causat eiectio, & quos causat excommunicatio maior, etenim eiectio ait bene Guibellinus num. 5. eiectio à Religione † (ait) quæ est præsilio quadam membri putridi quod omnem communicationem & influxum ut ita dicam, externum priuat talem eiectum omni societate religiosa & bonis omnibus communibus. Quod enim Ecclesia dicebat Ambros. lib. 1. officior. cap. 29. de Relig. dici quoque potest, Ecclesia quadam forma Iustitiæ est commune ius omnium in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Horum igitur bonorum communium distributio pendet à Religione, & ipsorum communicatio supponit unionem quandam externam, quam expulsio omnino abscindit, eiusmodi sunt Gubernatio presbyterorum & ducis ad iter impeditissimum. Omnium virtutum & 44 perfectionis cura, quæ quanti facienda sit † docent Hyero. epist. 4. ad Rusticum. Nissenus. lib. de Virginit. cap. 23. Climacus. gradu 25. Bernard. serm. 19. & 77. in Cant. Cassianus. collat. 16. cap. 11. alijque. Bona exempla ex consortio multorum, Regularum, & Regularis disciplina obseruantia, communis vitæ societas, communitas orationum, ex communibus operibus opes, & auxilia multa, infinita denique præsidia ad vitam tum internam, tum externam & ad omnem virtutem incitamenta, priuilegia, indulta Religionis, dignitas, & splendor, ex corporis à quo abscinduntur dignitate florescentis, votorum religiosorum, quibus ligati manent isti eiecti commoda in quibus seruandis maxima in seculo experiuntur difficultatem, infamia præterea laborant, habentur enim aut maximorum criminum rei, aut tanquam reoctrimenta, & vomica quadam Religionum, ita ut infelix omnino sit eiusmodi hominum conditio. Hactenus Guibellinus & satis bene, quæ considerantes PP. Eminentissimi Purpurati instructi ab Urbano. 8. in decreto de eiectis dixere, quod superiores nihil intentatum relinquunt ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum & extremum expulsionis remedium experiantur.

45 Effectus vero † quos excommunicatio maior causat paucis enumerat D. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 1. 2. & 3. dicens quod ille qui per baptismum in Ecclesia ponitur ad duo adscribitur scilicet ad cætum fidelium & ad sacramentorum communicationem,

& hoc secundum præsupponit, primum quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant, & ideo aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter, uno modo, ita quod separetur tantum à participatione sacramentorum, & hæc erit excommunicatio minor. Alio modo ita quod excludatur ab utroque & sic erit excommunicatio maior: non autem potest esse tertium scilicet, quod excludatur à communionem fidelium & non à participatione sacramentorum, quia fideles in sacramentis communicant, sed communicatio fidelium duplex est. Quædam in spiritualibus ut mutua 46 orationes sunt ut conuentus ad sacra percipienda, quædam in corporalibus actibus legitimis, & c. Et q. 2. Ecclesia in excommunicationis sententia diuinum Iudicium imitatur, in quantum enim etiam à communionem fidelium separat, ut erubescat imitatur diuinum iudicium, quod per flagella castigat; in quantum vero suffragiis & aliis spiritualibus separat, imitatur diuinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem se ipsum cognoscens ad Deum redeat, & in sol. ad 3. ex hoc ipso quod aliquis 47 suffragiis Ecclesie priuatur, triplex incommodum incurrit per tria quæ quis ex suffragiis Ecclesie consequitur, valent enim ad augmentum gratiæ eis qui non habent, vel ad merendum eis qui non habent, valent etiam ad custodiam virtutis, & quantum ad hoc dicitur, quod protectio subtrahitur, non quod omnino à Dei præuidencia excludantur, sed quod ab illa protectione qua filios Ecclesie custodit speciali modo. Valent ad defendendum ab hoste, & quantum ad hoc dicitur, quod diabolus maior potestas sciendi in ipsum datur spiritualiter, & corporaliter. Vnde in primitiua Ecclesia quum oportebat homines per signa ad fidem inuitare sicut spiritus sancti donum visibili signo manifestabatur ita & excommunicatio corporali vexatione à diabolo innotescebat. Et quæstiunc. 3. 48 dicit, quod per excommunicationem iudex Ecclesiasticus excludit à regno quodam modo, unde cum non debeat excludere nisi indignos nec aliquis reddatur indignus nisi pro peccato mortali amiserit charitatem, quæ est via ad Regnum, ideo nullus excommunicari potest nisi pro peccato mortali, sed quia excommunicatio est grauissima pænarum pæna medicinæ sunt secundum Philosophum. 2. Ethic cap. 3. sapientis autem medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium vel ante determinationem iudicij sine licentiâ redeundo vel determinati non parendo, tum enim post quam monitus si obedire contempserit contumax reputatur & excommunicari debet à iudice non habente quid contra ipsum faciat amplius.

Ex qua solida & vera doctrina plura notatione

ratione dignissima ad præsens institutum deduco, primum est, quod † excommunicatus & anathematizatus quandiu fidelis est nec amisit habitum fidei catholicæ, ita eiicitur ab Ecclesia, quod non maneat Ecclesiæ membrum etsi informe & ab aliis separatum per excommunicationis, & anathematis sententiam, imo aliquando possit esse membrum corporis Christi mystici charitate formatum, si per veram contritionem gratiæ sanctificanti restituatur, antequam reconcilietur Ecclesiæ, & illi restituatur Communio in sacramentis, & commercio fidelium & pari modo, qui eiicitur à Religione cum verus & proprius extiterit Religiosus solemniter professus verum manet Religionis membrum tribus votis substantialibus vel quatuor aliisve præceptis obligantibus ad mortale ligatus, & si sit membrum leprosum separatum ne aliis contagium communicet, non secus ac excommunicatus laicus manet omnibus præceptis Christianitatis quam solemniter professus est in baptismo, ex vi cuius etiam hæretici & si veram fidem non habeant, si tamen habeant verum baptisma non excluduntur à ratione membri Christi, quam tenentur conservare ex vi baptismi, ratione cuius ad duo adscribitur ad cœtum fidelium & ad sacramentorum communionem, ad quæ duo quibus obligatur ex vi baptismi, & professionis Christianitatis in eo factæ, observanda obligari possunt ab Ecclesia, & de facto obligantur ab inquisitoribus fidei qui usque ad ignis pœnam hæreticos cogunt credere, quod semel in baptismo credere promissere, ad cœtum fidelium & sacramenta communicanda.

50 Vnde † hæretici & si rationem membri Christi habeant ratione Christi, sed longe remotiorem, & magis lamentabilem quam fideles Catholici excommunicati, isti enim non sunt extra Ecclesiam Catholici constituti, sicut hæretici cum in excommunicato Catholico vera fides quæ est radix & principium iustificationis similiter & spes infusa theologica, quibus etsi informibus manent insigniti. Pari ratione maius damnum patiuntur illi veri religiosi, qui per dimissionem & eiectionem à commercio & societate religiosa ita dimittuntur & eiiciuntur, quod totaliter & radicaliter amittant religiositatem, neque ad illam quam amiserunt habeant regressum quia radix huius regressus scilicet totaliter est præcisa & ab illa manent absoluti & liberi & facti vere laici & omnino sæculares, quod magnum damnum non habent eiectione à religione, in quibus manet vera religiositas sicut manent tria vota solemnia, ratione quorum tenetur vitam mutare, ut ad religionem

à qua est eiectus & dimissus regrediatur, sicut excommunicatus tenetur curare absolutionem & reconciliationem cum Ecclesia, ut iterum recipiatur intra fidelium cœtum.

Secundum quod † infero est contra Guibellinum *ubi supra num. 3.* quod excommunicatus iuste, maxime si denunciatus sit, & si ante reconciliationem, & absolutionem per contritionem gratiam acquirat, & charitatem sitque vinum & formatum Christi membrum, & sic à Christo capite influxum accipiat, Christus enim tanquam vitis vera influit in palmite sibi vnitos charitate quæ est vinculum quo vnimur cum Christo, non tamen communicat in suffragiis, & bonis spiritualibus, quæ Ecclesia facit pro fidelium cœtu, in sacrificiis, orationibus communibus, in communionem sacramentorum, à quibus omnibus publice iuste excommunicatus per sententiam excommunicationis est priuatus; quare sicut antequam reconcilietur & absoluetur incapax cuiuscumque beneficii aut officij Ecclesiastici, omni iurisdictionis & usus clauium, erunt enim omnia ista inualida, rursus non potest quis in sacrificiis & orationibus publicis memoriam facere excommunicati huiusmodi, incapax enim est quod illi nomine Ecclesiæ sacrificium, aut oratio publica applicetur, cuius ratio evidens est, quia sacrificium & oratio non habet efficaciam, nisi ex intentione offerentis, & orantis, atque Ecclesia expresse reiicit à sacrificio & oratione sua excommunicatos, & sic non habet intentionem pro illis orandi aut offerendi sacrificium, imo ipsos legibus suis excludit, ergo bona illa spiritualia & interna quæ fidelibus obueniunt ex Ecclesiæ suffragiis, nullatenus acquirunt iuste excommunicati, antequam absoluantur & reconcilientur, quamuis si in gratia sint & charitate communicent in bonis spiritualibus, quæ habent cætera membra propter articulum fidei, *quæ est sanctorum Communio* quatenus in charitate vniantur & sunt particulares personæ, non tamen participant in suffragiis Ecclesiæ, quatenus est visibilis sub vno capite Pontifice Romano.

Tertium est quam apta fuerit comparatio quam fecit S. D. inter eiectionem à religione & excommunicationem maiorem à quo eam accepit implicite eam docens sacra Congregatio Cardinalium in decreto Urbano de eiectis. Tum quia † *excommunicatio est maxima pœna medicinalis, eiectio maximum & extremum remedium*, excommunicatio non fertur nisi ob contumaciam, eiectio non nisi ob animum induratum in sua peruicacia. Excommunicatio non fertur nisi in illum contra quem non restat aliquod

aliquod aliud medicamentum, vt sanetur, eiectione antequam fiat, & applicetur hoc grauissimum, & extremum expulsionis remedium, nihil intentatum debent relinquere superiores, vt animas fratrum lucentur, vltimo excommunicatio priuat omnibus illis communionibus, quas supra enumeravi ex Tertull ex Cypriano † eiectione priuat omnibus illis bonis & inducit omnia illa damna, quæ supra enumeravi ex Guibellino, quare cum hæc non inducat depositio, & exauthoratio, & degradatio, quæ non sūt vltimum, & extremū remedium & grauissima pœnarum Ecclesiasticarum, non video qua ratione motus dixerit Guibellinus. *Mihi potiori iure cum Clericorum depositione, siue exauthoratione, & degradatione conferri posse videtur.*



RESOLVT. vlt.

Vtrum Regulares possint tradi curia seculari à suis superioribus ob enormia delicta.

S V M M A R I V M.

1. Prælati Regularis potestas coerciua ad infligendas pœnas corporales non extenditur ad pœnam mortis naturalis & sanguinis effusionem.
2. Summus Pontifex Cælestinus formam ponit, quam iure ordinario obseruare debent iudices Ecclesiastici ad effectum, vt clericus, siue secularis, siue regularis possit per curiam laicam iudicari.
3. Patris Suarez sententia adducitur, & numer. 12.
4. Incorrigibilitas & contumacia debet à iudice non seculari, sed Ecclesiastico declarari, & n. 5.
6. An Prælati Regulares possint ex dominatua potestate ex iurisdictione quam acquirunt ex vi professionis solemnæ in Religiosum, ipsum ob delicta enormia tradere curia seculari puniendum, & numer. 7.
8. Authoris iudicium prepalatur, & numero 9.
10. Abbatis sensus adducitur.
11. Quid sit traditio facta à iudice Ecclesiastico curia seculari.
13. Regulares habent leges suas à Summis Pontificibus confirmatas.
14. Iudices Regulares neque ad mortem, neque ad degradationem realem neque ad tradi-

tionem curia subditos suos non damnent, ob quodcumque delictum.

15. An Episcopus habeat à iure potestatem degradandi quemcumque Clericum reali degradatione, & n. 16.
17. Pij V. sensus affertur.
18. Rei siue seculares Ecclesiastici, siue regulares quibus tradendi.
19. In quibus casibus curia seculari possint tradi Rei.

REGULAREM debet esse, quod † Prælati Regularis potestas coerciua ad infligendas pœnas corporales non extenditur ad pœnam mortis naturalis & sanguinis effusionem, cap. cum non ab homine 10. de iudiciis. vbi Cælestinus III. statuit, quod postquam Clericus eo deuenit in malorum profundum, & Ecclesia vsa fuerit pœnis, & medicinis sibi proportionatis propter vsus adhuc sit & incorrigibilis, cum tunc non habeat vltra, quod faciat Regum & Principum imperio ciuili opus est, & eorum curia seculari tradendus, vt bene explicat hunc textum Francisc. Molin. de brachio seculari cap. 18. n. 71.

Vnum aduerto, quod † Summus Pontifex Cælestinus formam ponit, quam iure obseruare debent iudices Ecclesiastici ad effectum, vt clericus, siue secularis, siue regularis possit per curiam laicam iudicari, & comprimi secundum leges ciuiles, & laicas, quæ forma talis est, quod clericus in graui & enormi crimine deprehensus, depositus sit, deinde propter contumaciam excommunicandus postea, anathematizatus, etsi adhuc in sua contumacia obduratus perseuerauerit, etiamsi non sit secuta expressa per iudicem competentem Ecclesiasticum curia seculari traditione, poterit talis clericus obseruata præfata forma per curiam secularem comprimi, coerceri, puniri, pœna ordinaria imposita tali delicto à legibus ciuilibus. Ita Couarr. lib. practicarum capit. 32. numer. 2. versic. secundo est notandum. Clarus Alexandr. §. final. quest. 36. versic. sed queritur numer. 34. Caslaneus super consuetudines Burgundia folio 51. numer. 66. Papo. libro primo titulo sexto. Arresto quinto. Humada titulo quinto part. 1. leg. 65. glossa 8. numero septimo. Menochius de arbitr. casu 415. n. vlt. addens, quod ex hoc textu data ficta ex iuris fictione degradatio & traditio implicita curia seculari. Aldrete lib. 2. de disciplina cap. 25. à num. 12. & alij quos citat, & sequitur Barbosa de potestat. Episcopi allegat. 110. à numer. 14. Belletus disquisit. cleric. part. 1. tit. de fauore cleric. §. 6. Carolus de Grassis de effectibus clericatus effectus 1. à num. 798. Sigismun

gismundus Scaccia lib. 1. de iudiciis cap. 11. à num. 62.

Quam sententiam videtur sequi † Pater Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 10. numer. 2. Quatenus approbat sententiam Cassanei de consuetudine Burgundæ, quæ circa hoc obseruatur, quod non requiratur positina traditio curiæ sæculari, sed solum permissiua auferendo impedimentum habitus Religionis, & immunitatis Ecclesiasticæ, non tamen (ait) potest puniri propter crimina commissa in Religione quia commissa sūt in diuerso foro, & territorio, & iā religiosus propter illa est punitus eiectione iuridica à religione, si tamē iste eiectus à religione non portet nec regularem nec clericalem habitum, nec seruet obedientiā Episcopo, sed in habitu sæculari negotia exerceat, aut militiā, & committat crimina digna morte poterit iudex sæcularis illam impingere, quia eiectus si ordinatus non sit ordinibus sacris priuatus est omni immunitate Ecclesiastica si habitum Ecclesiasticum, & subiectionem ad Episcopum non habeat. Iuxta decretum Urbani VIII. de eiciendis.

Sed ego existimo duo. Primum, quod † incorrigibilitas ista, & contumacia debet à iudice non sæculari, sed Ecclesiastico declarari, & quod seruata sit in omnibus forma Cœlestina, & quod fecerit iudex Ecclesiasticus omnia in illa præscripta, & quod non habeat ultra quid faciat. Ita tenent Felinus cap. cum non ab homine citat numero decimo, dicens quod ita colligitur ex omnibus dictis Doctorum sequitur Bernardus Diaz in praxi capite centesimo trigesimo primo Bossius tit. de foro competenti numero centesimo trigesimo secundo, colligitur ex præfati textus glossa in casus formatione, ratio est (me quidem iudice) satis efficax, quia hic agitur de spoliatione priuilegij clericalis, tam fori quam canonis, ergo nisi iuridice constet seruata formam, quam præscribit, Pontifex nunquam censetur spoliatus priuilegio, nec iudex laicus acquirit iurisdictionem in clericum, aut religiosum, quia religiosus iste est in possessione sui priuilegij, à qua iuridice non excluditur, nisi iuridice constet de obseruatione formæ requisitæ.

Existimo secundum, quod † obseruata forma, & de hoc iuridice constet, vt iudex procedat sæcularis laicus non requiritur actualis traditio illius curiæ, & iurisdictioni, sed eo ipso quod iudici laico constet iuridice obseruatam esse formam cœlestinam, Religiosus aut clericus sæcularis potest ipsum comprimere ita quod deputetur ei exilium vel alia legitima pœna inferatur, id clare colligitur ex textu in quo post anathematis mueronem, si in profundum ueniens malorum contempserit, cum Ecclesia non ha-

beat ultra quid faciat per sæcularem comprimendus est potestatem, ait Papa quare post anathema non dicit esse necessarium, quod tradatur expresse curiæ sæculari, sed si contempserit anathema, & in crimen nouum incidat pœna mortis dignum existens extra religionem sine habitu, & subiectione ad Episcopum potest puniri à iudice laico, & hanc iudico veram intelligentiam huius textus, & consuetudinis Burgundæ, & Parlamenti Parisiensis, quod adducit Clarus ubi supra.

Hoc prælibato duo sunt examinanda. Primum † an Prælati Regulares possint ex 6 dominatiua potestate, & iurisdictione quam acquirunt ex vi professionis solemnæ in Religiosum, ipsum ob delicta enormia tradere curiæ sæculari puniendum ob delictum in Religione, aut extra commissum Pellizarius in Manuali tractat. septimo cap. quinto sectio quarta à numero centesimo sexagesimo quinto, affirmat id posse non secus ac Episcopi possunt clericos ob delicta grauiora eos degradare realiter, & tradere brachio sæculari, vt iudex laicus eos iudicet iuxta leges ciuiles pœnam talium criminum corporalem designantes, ad quam nec Episcopus nec Prælatus Regularis concurrunt eam dictando, aut ad eam inducendo, sed solum eos degradando, ad quod indirecte sequitur, quod iudex laicus possit illos capere, iudicare, & sententia capitali, aut mortis naturalis condemnando, vnde Portellius in dubiis verbo Prælatus numero decimo, dicit quod Prælatus regularis potest subditum tradere brachio sæculari, prius tamen degradatum per Episcopum, & Suarez ubi supra numero primo. Videtur clare sententiam Pellizarij sequutus quam probat Pellizarius ex Bulla Pij quintij Bullarum huius Pontificis 63. in qua Papa Generali Minimorum concedit pro tota Religione, & Prouincialibus pro sua, Prouincia plenum ius liberamque auctoritatem, ac in spiritualibus, & temporalibus iurisdictionem omnimodam, quo priuilegio gaudent Regulares omnes per participationem, vt existimat Pellizarius ex quo clare sequitur, quod possint reū subditum tradere brachio sæculari absque incurfione irregularitatis, ob defectum lenitatis ad quam requiritur quod directe inferatur mors per sententiam aut actum ad illam per se ordinatum, quam sententiam dicit se consuluisse cum viris sane doctis qui eam approbarunt.

Sed ego † in contraria sententia semper 8 steti, & semper stabo quam paucis abhinc diebus consului Religioni cuidam, existimo enim quod ex vi professionis solemnæ, nec Pontifex acquirit iuxta regularem obseruantiam ius, aut dominatiuam potestatem

tem, vt religiosus realiter degradetur, & tradatur brachio sæculari, vt puniatur secundum leges ciuiles pœna mortis naturalis, quamuis aliàs Pontifex tanquam Supremus Ecclesiæ Gubernator, & Rector visibilis id possit facere, tamen non tanquam Superior Regularis ex vi professionis solemnis, quare multo minus id poterunt alij Prælati inferiores, vt late confirmat Sanctorius à Melphi. p. 1. de pœnis cap. 8. à pagina 374. qui id probat, qui aliàs incurreret irregularitatem ex defectu lenitatis cum tradat reum iudici laico, vt ipsum puniat pœna sanguinis iuxta leges ciuiles, & quamuis ait fiat protestatio, & deprecatio, vt cum eo misericorditer se gerat, hæc tamen potius est illusio quam cautela, cum ob vnicum solum, & præcipuum finem tradatur reus curiæ sæculari, vt ipsum occidat, & mutilet, alias nunquam tradendus, vnde non possunt iudices sæculares non occidere, & igni tradere eos quos DD. Inquisitores ipsis tradunt ad comburendum ad quod possunt cogere per censuras, vt tradit Ignatius Lopez in additionibus ad c. 144. Bernard. Diaz vers. nisi in crimine heresis. Itaque firmissime traditur, vt moriatur, ad quid ergo (ait) inanes preces interponere.

Verumenimvero, hæc ratio mihi non arridet, & motiuum summe displicet, cum precès quas Summus Pontifex mandat fieri cap. audiuimus de verbo. significat. & DD. Inquisitores faciunt dum suos reos comburendos brachio tradunt sæculari, non illusio, aut inanes preces sunt, sed vere iuridice ex animo iudicis Ecclesiastici dimanant ad denotandum, quod Ecclesia non tractat causam sanguinis, nec punit pœna mortis, aut mutilationis, quia de hoc tractant leges ciuiles, quibus Ecclesia nec regitur, nec gubernatur, nec earum pœnas infligit, sed solum Ecclesiasticas, & canonicas, vel degradando realiter clericos, qua degradatione posita iudex laicus acquirit iurisdictionem in reum, & tenetur in conscientia dare pœnam, quam leges ciuiles imponant tali crimine, vel declarando delictum contra Maiestatem diuinam, qua declaratione iuridica stante tenetur etiam iudex laicus ignis pœnam exequi in reum, & sententiam huiusmodi proferre in qua Ecclesia non se intromittit iuridice, quod eleganter expressit † Abbas in cap. cum cum non ab homine citat. numer. 9. ibi. Nota, quod postquam Clericus suis demeritis exigentibus efficitur de foro sæculari, pœna non est imponenda ad voluntatem Ecclesiæ, sed prout videbitur iudici sæculari, & ad

hanc Ecclesiæ intentionem manifestandam sunt preces, à DD. Inquisitoribus, sit protestatio à iudice Ecclesiastico, quare dicere, quod talis protestatio est illusio, & preces inanes non vacat temeritate. Vnde † traditio facta à iudice Ecclesiastico curiæ sæculari nihil aliud est quam, quod iudex Ecclesiasticus abdicat à se iurisdictionem, quam habet in reum, qui eo ipso subditur Iurisdictioni laicæ, quæ in illum fert sententiam sanguinis, aut ignis. Verum est etiam quod iudex Ecclesiasticus potest censuris cogere iudici laico, quod satisfaciat suæ obligationi, qua tenetur ferre sententiam, & imponere pœnam quam leges ciuiles imponunt, ceterum hoc non est directe dare sententiam sanguinis aut ad illam inducere, sed intendunt DD. Inquisitores, quod iudex laicus suo officio satisfaciat, & igni tradat reum iuxta leges ciuiles, ex quo sequitur quod occidatur, & comburatur, sed hoc respectu DD. Inquisitorum, & alterius iudicis Ecclesiastici est per accidens, & extra suam spheram, & iurisdictionem quæ non diuagatur ad sententiam sanguinis nec lex Ecclesiæ, iuxta quam iudicat, illam mortem respicit, quamuis respiciat, quod iudex laicus non peccet non iudicando iuxta leges ciuiles.

Igitur aliter probanda est nostra sententia. Primò, quia vt ait egregie Pater Suarez ubi supra † (etsi minus consequenter ad ea quæ in principio capitis 10. dixerat) si Prælatus consideretur, quod est Clericus, quod iurisdictionem Ecclesiasticam administrat non potest ita Religiosum priuare immunitate, vt illum tradat brachio sæculari, nisi hoc ei speciali priuilegio concessum sit aut speciali Bulla Pontificia determinatum. Ratio est (inquit) quia hæc immunitas concedit Religioso, non tantum, vt clericus est, sed etiam, vt est religiosus in fauorem non priuatae personæ, sed Religionis, & ideo non potest Prælatus priuare Religionem hoc fauore propter peccatum priuatae personæ, nisi hoc ei specialiter concedatur sicut non potest priuata renuntiare priuilegio in fauorem communitatis concesso cui per talem renuntiationem præiudicium fit, & ob hanc causam existimo Prælatos Religionum nunquam habere hanc potestatem, quia nunquam est eis specialiter concessa neque expedit, quod ea utantur propter decentiam, & honorem Religionis. Hactenus vir prudentissimus pariterque sapientissimus, quem male pro se citat Pellizarius, hæc tamen ratio rem euincit iuxta notata per DD. cap. si diligenti. de foro competent.

Secundò, probatur ex sententia Emanuelis

ob abortum foetus animati Sixtus V. constituit quæ incipit *effrenatam* edita anno 1588. quam non moderavit quantum ad hoc Gregor. XI V. Bulla quæ incipit *Sedes Apostolica* edita anno 1591. Vnde sacra Congregatio Concilij die 3. Decembris 1632. declaravit, quod abortum foetus animati malis medicamentis procurantes, non gaudent immunitate Ecclesiastica ob crimen sollicitationis in confessione, aut confessionario simulantes audire confessionem, si delicti grauitas petat, possunt tradi curiæ sæculari.

18 Harum traditionum, siue rei sint sæculares Ecclesiastici, siue sint regulares, qui tradendi sunt, non sunt iudices Regulares, nihil enim tale exprimitur in præfatis Bullis, sed vel est Summus Pontifex, Episcopus, Legatus à latere, Nuntius Apostolicus DD. Inquisitores, vel alij quibus in præfatis textibus & bullis hæc potestas delegatur à Summo Pastore Vicario Christi, in illis autem nullatenus delegatur iudicibus Regularibus, & sic ex vi suarum Regularum nequeunt subditos suos ob præfata crimina tradere curiæ sæculari, aut realiter degradare, ita vt priuentur priuilegiis, immunitatis, & exemptionis ab omni alio præterquã suis Prælati & Summis Pontificibus. Vnde nisi habeant priuilegium Pontificis in quo expressè eis facultas concedatur, vt tradant subditos suos curiæ sæculari, eos nullatenus tradere possunt, ast non scio alicui Religioni tale priuilegium fuisse concessum. Imò DD. Episcopi, aut Apostolici Nuntij, aut DD. Inquisitores possunt tradere reos curiæ nisi in his casibus, quos adduximus, quia nequeunt clericos priuare, nisi in expressis priuilegiis clericorum, quæ primo respiciunt statum quam personas. Vnde

nullus nisi Pontifex potest eos illis priuare.

Addo, id quod valdè notandum est, quod cum DD. Episcopi & DD. Inquisitores Apostolici non possint tradere reos Curiaæ sæculari puniendos, nisi in casibus sibi concessis à Summo Pontifice, eo ipso, quod concedit, quod in illis fiat traditio Curiaæ sæculari, vt ferat sententiam sanguinis, aut mutilationis, concedit etiam libertatem, vt absque defectu lenitatis, & irregularitatis, quæ ex eo contrahi potest non cõtrahatur, etsi enim intendant DD. Inquisitores, imò & Pontifices, dum tradunt curiæ sæculari reum, vt occidatur iuxta qualitatem criminis, tamen sicut in Pontifice non est defectus lenitatis, ita neque in DD. Inquisitoribus, qui operantur, & tradunt curiæ in virtute sibi deriuata ex speciali delegatione Pontificia, ex hac doctrina, quam veram existimo plura valde notabilia, circa irregularitatem ob defectum lenitatis in testibus, & aduocatis alibi inferam contra Dianam p.4. tract.2. à Resol. 31. & seqq. & hæc de hoc tomo dicta sufficiant, cui finem imposui ann. 1655. die 8. Octobris ætatis meæ 69. in peruigilio S. Dyonisij Arcopagitæ huius Nostræ domus Hispalensis Patroni, in cuius octaua posita est prima firma Petra templi Magnifici ab Illustrissimo D. D. Fr. Petro de Iapia Archiepiscopo huius Diocesis, instante vigilantissimo pariter & prudentissimo P. Iacobo de Vrra Præposito eius Domus, quidquid in hoc tom. dixerim subiicio censuræ S. R. E. & DD. Censorum fidei cui si quid dissonum, vel bonis moribus dissentaneum reuoco, & abiuro, protestans meam intentionem non esse alicui particulari, aut communitati offendere, vel iniuriare.

FINIS LIBRI QVINTI



LIBER SEXTVS,

*Bullarum Apostolicarum, & Decisionum Sacræ
Rotæ Romanæ.*



VM in his tomis de sacra residentia plures inducantur Bullæ Apostolicæ, & Sacræ Romanæ Rotæ decisiones, quas legere lectores desiderabunt, placuit huius tomi

Tom. I I.

secundi Librum sextum, ex multis compaginare in gratiam lectorum, dixi ex multis, quia omnes transcribere erat magnam profectum operi accrescere.



BULLÆ APOSTOLICÆ.

Ne fratres reformati discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum Hispania, post emissam professionem sub quouis pretextu transeant ad alios quoscumque ordines, etiam Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula, excepto Carthusianorum Ordine.

Vide quæ tibi indicabo, ad const.
seq. cum sicut.

Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

COMMISSI nobis per abundantiam diuinæ gratiæ pastoralis officij debitum postulat, vt ad ea mentis nostræ aciem sedulo, intendamus per quæ regulares ordines in Ecclesia Dei militantes felicioribus in dies proficiat incrementis.

§. I. Aliàs siquidem fel. rec. Paulus Papa V. prædecessor noster, prospero fratrum ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum discalceatorum reformatum, nuncupatorum Congregationis Hispaniarum regimini consulere volens, inter alia statuit, & ordinauit, quod nullus omnino, tam fratrum, quàm donatorum dictæ Congregationis, post emissam in ea professionem huiusmodi, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, certam tunc expressam mentionem faciente ad moderatos, seu mitigatos, vel alios fratres, tam Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum huiusmodi, quam aliorum quorumuis ordinum Congregationum, & Religionum, etiam emissionis quarti voti, aut alio quocumque pretextu (Carthusianorum ordine dumtaxat excepto) transire, seu se transferre, aut alios à dicta Congregatione se subtrahere, seu ex ea exire valeret: & aliàs prout in ipsis, Pauli prædecessoris in simili forma breuis, sub die 18. Augusti 1611. expeditis litteris, quarum tenoris præsentibus, pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. II. Hinc autem nos maiori eorundem fratrum quieti, & augmento feliciorisque directioni per amplius consulere volentes supplicationibus dilecti filij Procuratoris Gen. eiusdem Congreg. nomine nouis super hoc

humiliter porrectis inclinati, quod de cætero nullus fratrum prædictorum post emissam in dicta Congreg. professionem, vt præfertur & absque Rom. Pontif. licentia, prædicta ad alium quemcumque ordinem mendicantium, & non mendicantium Monachorum, seu discalceatorum, aut aliorum, quorumcunque Religionum, tam erectarum, quàm erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seu perfectionis, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris Regulæ, seu obseruantia prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iuxta, & probabili, aut legitima causa sui Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, ac excommunicationis latæ sententiæ, pœna se transferre audeat, seu præsumat excepto dumtaxat ordine Carthusianorum, vt præfertur, quatenus ad illum transeundi licentiam à suis superioribus petierint, & obtinuerint.

§. III. Et quicumque secus fecerit, cum primum desuper monitus fuerit, nulla mora, aut excusatione, & quacumque appellatione, etiam ad nos, seu sedem Apostolicam interpositis, ad suam propriam Congreg. redire, & superiorum suorum correctioni se submittere omnino teneatur.

§. IV. Prælati vero dictam Congreg. ac aliorum ordinum, & religionum huiusmodi ipsos sint translatos, seu fugitios, Apostatas minime retinere, sed eos, etiam si nouam probationem nouam professionem regularem emisserint sub priuatione suorum officiorum, ac simili excommunicationis pœnis, suis superioribus, vel ab ei deputandis id requirantibus, & petendis statim, absque iudicis ministerio tradere, & consignare debeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

§. V. Decernentes sic, & non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inani, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. VI. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris concessa sunt non ob stare cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VII. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarij publici scriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Eccles. constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostentæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 9. Augusti 1624. Pontificatus nostri anno 2.

De Regularibus Apostatis, & eie-
ctis ac de innouatione, & ob-
seruantia Generalium decre-
torum à Clem VIII. ad Re-
gularium reformationem, No-
uitorumque receptionem spe-
ctantium editorum.

*Ista Clem. VIII. decreta sunt hic
inserta; licet non nulla etiam ha-
beas in Clement. VIII. consti-
tut. 60. nullus supra t. 3. pag. 60.
tamen quia non omnia, & hic in-
nouantur, & ideo ponenda cen-
sui.*

Quoad Apostatas, & extra clau-
stra Religionum vagantes, edi-
ta olim fuit à Paulo I V. consti-
tut. 4. supra tom. 1. quæ tamen,
(vt ibi notauimus) ad terminos
iuris reducta fuit.

*Decreta S. Congregationis Concilij
de Regularibus Apostatis,
& eiectis.*

SAGRA congregatio Cardinalium Cõ-
cilij Tridentini, interpretum, Regu-
larium eiectorum, & fugitiuorum statui
consulere, illorumque scandala summoue-
re, & succrescentem numerum frangere
operi pretium existimans auditis religio-
num superioribus, reque diligentissime per-
pensa, communicato etiam consilio cum S.
D. N. Urbano VIII. atque peculiari San-
ctitatis suæ facultate infra scripta decreta
edidit.

§. I. Ac primo vt infecta femina è quibus
prauis eiusmodi fructus potissimum prodent
deinceps ne serantur in vinea Domini cen-
suit, esse innouandas, & Sanctissimi aucto-
ritate innouat, constitutiones, & decreta
generalia sancti mem. Clementis VIII. ad
regularium reformationem, ac nouitorum
receptionem, professionem atque institutio-
nem spectantia directèque præcipit Gene-
ralibus atque aliis omnibus ordinibus superio-
ribus, vt illa exacte obseruent, atque, vt
obseruentur efficiant, sub pœnis statutis in
iisdem constitutionibus.

§. II. A quibus tamen excipiendum cen-

suit, caput illud quo decernitur ne in con-
uentibus seu monasteriis ad nouitios reci-
piendos hætenus designatis, & approbatis,
seu impostero designandis, & approban-
dis, nouitij adhibitum vllatenus recipi
possint, nisi prius à congregatione Reforma-
tionis Apostolicæ, vel à propriis locorum or-
dinaris expresse, & nominatim approbati
fuerint, à cuius quidem decreti obseruatio-
ne Sacra Congregatio iustis de causis cen-
suit, Regulares esse absoluendos provt
auctoritate Sanctissimi Domini nostri absol-
uit atque exemit.

§. III. Deinde vt Apostatandi opportuni-
tas Regularibus præcipiatur, statuit, vt de
cætero nullus permittatur ad arctiorem
Religionem transire, nisi prius superiori legi-
time constiterit, eam Religionem paratam
esse illum recipere, qui licentiam petit, tum-
que regularis recta se transferat ad arctio-
rem, quod vt re ipsa adimpleatur idem Su-
perior omni studio, at diligentia inuigi-
let.

§. IV. Rursus statuit, vt fugitiui, & Apo-
statae, siue habitum Regularem deferat, siue
non, possint, ac debeant ab Episcopo loci,
vbi moram trahunt in carceres conici, ac
superioribus Regularibus consignari. Secun-
dum Regularia instituta puniendi, vtque ip-
si quoque superiores teneantur eos perqui-
rere, ad Religionem reducere, atque effi-
cere vt apprehendantur, saluatamen in om-
nibus facultate ordinariis locorum attributa
Decreto Concil. cap. 3. sess. 6.

§. V. Quod si Apostatae huiusmodi citra
mõtes intra quatuor, vltra montes vero in-
fra octo menses à præsentis decreti publica-
tione inchoandos, sua sponte ad suam quis-
que Religionem redierit, tum pœnarum
omnium ipsis propter Apostasiam inflicta-
rum aut infligendarum, remissionem atque
impunitatè assequantur, ita tamè, vt debeant
à superiore absolutionem humiliter petere,
coram eo culpam fateri atque emendatio-
nem polliceri. Superior vero è contra beni-
gne illos teneatur, ab huiusmodi pœnis ab-
soluere à paterna charitate completi.

§. VI. Ad hæc, vt impostero à Religio-
nibus nullus legitime professus eiici possit,
nisi si vere incorrigibilis minime censeatur,
nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad
hoc ex iuris communis dispositione requi-
runtur, sublatis hac in parte statutis, & con-
stitutionibus cuiuscumque Religionis, &
ordinis etiam à sede Apostolica approbatis,
& confirmatis, verum etiam vnus anni spa-
tio in ieiunio, & pœnitentia probetur in
carceribus, proindeque Religio priuatos
habeat carceres in qua licet saltem Provin-
cia elapso saltem anno si nihilominus non
resipuerit, sed animo induratos in sua per-
tinacia

tinacia perseverauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipso met generali tantum de Concilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis capitulis vel Congregationibus Generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque, ad primum generale capitulum seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, eiectione fieri possit à generali cum Concilio, & assensu sex patrum, ut supra quos idemmet Generalis eligere debeat intra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta.

§. VII. Sic vero eiectione, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur.

§. VIII. Cæterum sacra Congregatio Religionum superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquunt, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis quod subditorum sanguinem qui ex malo negligentium & sui officij immemororum Prælatorum regimine peribunt. Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. IX. Præterea statuit, ut idem superiores nemini ex religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam reuocantes, vel iubentes aliam ingredi religionem.

§. X. Item, ut eiectione extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§. XI. Ac postremo censuit, esse innoandam, & suæ beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. Rec. Gregorij Noni relata in c. fin. extra de regul. ac præterea declarat eam constitutionem in ijs quoque vendicare locum; seruandamque esse; qui iusti, definitiue ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euadens emendationis ex literis saltem te-

stimonialibus ordinarij, cuius contumaciam in his literis concedendis sacra Congregatio serio enarrauit.


§. XII. Ne qua vero difficultas in supra scriptis decretis & ordinationibus exequendis suboriat, sacra Congregatio, sanctissimo Domino nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus. Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis & quibuscumque aliis superioribus, quibuscumque ordinum vel Congregationum, monasteriorum, conuentuum, Collegiorum, Domorum ac locorum regularium, vbique locorum existentium iniungit serioque mandat, ut illa diligenter obseruent atque obseruari procurent in omnibus cœnobiis, monasteriis, Collegiis ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium vbique locorum existentibus, efficiantque, ut tam decreta suprascripta fel. recor. Clem. VIII. quam præsentis ordinationes in singulis eiusmodi locis his saltem in anno legantur in publica mensa.

§. XIII. Si quis vero ipsorum aduersus ea, quæ superius scripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat, priuationis officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiue, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit sanctitati suæ ac sedi Apostolicæ reseruata, iisdem superioribus etiam generalibus & protectoribus illam moderandi, seu relaxandi, potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum & inane quidquid secus à quoquam actum extiterit.

§. XIV. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcumque personarum atque ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, conuentuum, domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & priuilegiis etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam Mari Magno seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis

extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis alias in suo robore permanens, specialiter & expresse sanctitatis suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die vigesima prima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto.



De spoliis clericorum extra residentiam decedentium.

Extensionem etiam quoad Curiales, vide infra in Pauli V. constitut. 18. In eminenti, ubi plene notabo de materia,

Circa spolia, vide *constitut. 48. S. D. N. Urban VIII. superni, inf. tom. 4 §. 12.*

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN suprema militantis Ecclesiæ specula meritis licet insufficientibus diuina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantia nostræ commissos dominicos greges, sed etiam singulorum pastorum suorum actus intensa nostræ mentis acie colluctantes, studium efficax operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere, vt quemadmodum operosum sacri concilij Tridentini progressum fideliumque exitum Domino cooperante præstitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum præsertim, qui in Apostolicæ sollicitudinis partem vocati sunt Pastorum officium concernentia, non tepide neque dissimulanter, exequamur.

§. I. Sane licet in Concilio præfato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes & singuli venerabiles fratres nostri

Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi & alij beneficiati apud Ecclesias sponas suas residere teneantur, nonnulli tamen, (quod non sine animi nostri mœrore referimus) adeo sui, gregumque quos olim deperditos Saluator noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, vt etiã nunc, in alma vrbe, vel alicui commorantes & sacrosancta spiritualis matrimonij, inter eos suasque Ecclesias solemniter contracti iura confundentes, sponas suas in longa quasi viduitate relictas, & prædictas Ecclesias quomodocumque sibi concessas inuisere, & apud illas, vt probos & prouidos Patresfamilias decet, residere non curent in perditionem animarum suarum, & subditorum suorum, ac perniciosum exemplum & scandalum plurimorum.

§. II. Nos hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis pœnæ metu, frangendam, seu conuincendam esse censentes, motu proprio, ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, præfatis ac aliis quibuscumque, etiam quauis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus dictas Ecclesias, in commendam vel administrationem, aut alio quouis nomine obtinentibus & aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui iuxta decreti super residentia in concilio prædicto promulgati tenorem personalem in suis Ecclesiis residentiam facere tenentur, in virtute sanctæ obedientiæ, vltra pœnas in dicto decreto Concilij contentas, etiam sub priuationis eorum, à regimine, & administratione Ecclesiarum suarum ac aliis nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis successoris nostri arbitrio imponen. pœnis distinctæ præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessantes in eisdem suis Ecclesiis iuxta formam & tenorem dicti Concilij, personaliter residentiant.

§. III. Et nihilominus, si quos mandato nostro huiusmodi, quod absit, non parere contigerit ne etiam tales absentes, melioris in hac parte conditionis quam cæteri in suis Ecclesiis residentes existant, hac nostra perpetuo valitura sanctione per præfatos statuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & singula mobilia, & immobilia etiam in vrbe, vel eius districtu, existentia, & semouentia, res & bona, iura, & actiones cuiuscumque qualitatis, & valoris, ac vbiicumque locorum consistant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & alios quoscumque, etiam quauis aucto-

ritate, dignitate, gradu, & præminetia præfulgentes Ecclesias prædictas in titulum, vel commendam, siue administrationem, aut alios quouis nomine obtinentes, & alios quoscumque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra prædictas Ecclesias ac Dioc. etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & iuxta decretum, & formam Concilij huiusmodi non residentes decesserint pertinentia & per illos suarum Ecclesiarum, ac quorumcumque Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum Cura, & sine Cura sæcularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerunt, ac fructum reddituum, & prouentuum Ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum sibi super similibus fructibus, redditibus, & prouentibus reseruatorum, & assignatarum occasione quaesita, etiam si facultatem specialem de illis, aut eorum parte restandi, & alias libere disponendi à nobis, & à quibuscumque aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus, & successoribus nostris, etiam cum clausulis, quod facultates huiusmodi euocari non queant, aliisque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum litterarum desuper confectarum, de rebus, & bonis huiusmodi iamque disposuerint, tanquam spolia ad Camera Apostolicam legitime pertineant.

§. IV. Liceatque dilectis filiis moderno, & pro tempore existenti Commissario nostro Generali, & suis dictæ Camera deputatis in euentum decessus huiusmodi solitum inuentarium super rebus, & bonis præfatis conficere, illaque prout de reliquis Clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filij nostri moderni, & pro tempore existentis Gener. Thesaurij manus redire, dictæque Camera applicare, cuiusuis licentia desuper minime requisita.

§. V. Ac facultates, & desuper confectas litteras prædictas, etiam motu, & scientia similibus, etiam in re compensam laborum, & obsequiorum, etiã nobis, & Ecclesiæ Romanæ dictæque sedi impètorum quomodolibet concessas, & etiam iteratis vicibus approbatas illarum omnium tenores præsentibus pro sufficiẽter expressis, & ad verbum insertis habentes in euentum obitus huiusmodi, etiam si in vrbe, aut eius districtu, vel alibi extra suas Ecclesias, & præfertur, contigerit, ex nunc, prout, extunc, & è contra in dictæ contumaciæ pœnam eiusdem potestatis plenitudine, & tenere, reuocamus, & cassamus, & annullamus, & tam eas, quàm earum prætextu quomodolibet pro tempore, condita, factaque testamenta, codicillos; legata donationis, & alias dispositiones, quas libet, etiam ad pias causas, vel in remunerationẽ seruitiorum, nulla, & inua-

lida, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam contra præsentium tenorem suffragari.

§. VI. Et sic per quoscumque iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, & S. R. E. Cardinales in quauis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliàs iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere, ac quidquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit irritum & inane decernimus.

§. VII. Per hoc autem nostris, & Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum ordinationibus, reseruationibus, & decretis, quoad Prælatorum, & aliorum beneficiorum, etiam in suis Ecclesiis, aut Diocesi, residentiam, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus, & extendimus ad habentes Ecclesias in vrbe districtu ibique residentes, & decedentes, spolia Camera Apostolicæ applicata hæcenus emanatis, nullatenus præiudicare, neque quicquam in eis alterare intendimus, sed ea in suo robore, vt antea manere volumus, præterquam, quod eos, qui in suis Ecclesiis iuxta formam prædicti Concilij resederint, & specialem licentiam testandi, habuerint hanc enim tantum saluam eis esse volumus, itaut Generalis licentia testandi eis, quamquàm residentibus minime suffragentur, sed sola speciali si quam habuerint tueris se possint.

§. VIII. Cæterum, vt præceptum, mandatum, statutum, ordinatio, reuocatio, cassatio, decretum, & alia præmissa præsentisque litteræ ad eorum, quorum interest notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam prætere, vel excusationem allegare, sed illa perpetuo firma, & illibata permaneant, volumus, & mandamus, quod eadem præsentis in Basilie Principis, Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem excursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, ab ea die omnes perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. IX. Non obstantibus præmissis, ac in fauorem Curialium per fel. rec. Sixtum V. Leonem X. Iulium III. & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos editis, & approbatis, necnon aliis litteris, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1564. 7. Kalend. Decembr. Pontific. nostri ann. 5.

Anno à Natiuitate Domini 1564. indictione 7. die vero 4. mensis Decembris Pontificatus

tificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ I V. anno 5. retrospectæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ dimissis in præfatis locis præsentium retrospectarum literarum copiis affixis, vt est moris per nos Iulium Parinum, & Bernardinum, Andream prælibati S. D. N. Papæ Cursores.

Sequitur extensio prædictæ prohibitionis etiam quoad ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci de Paula,

Vrbani Papæ VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. **A**LIAS à nobis emanarunt literæ tenoris subsequenti. Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Commissis nouis per abundantiam diuinæ gratiæ pastoralis officij debitum postulat. &c.

Omittitur residuum huius constitutionis, quia est quæ præcedit.

§. II. Sed ne aliquis dubitare possit an fratribus prædictis, per præinsertas nostras literas huiusmodi, in illis verbis, etiam emissionis quarti voti, vel strictioris regulæ prætextu, transitus ad ordinem minorum sancti Francisci de Paula, nuncupatorum prohibitum sit.

§. III. Ideo pro maiori quiete, & conseruatione regularis obseruantie Congregationis Fratrum discalceatorum sanctissimæ Trinitatis huiusmodi dilectus filius Ioannes de Annuntiatione eiusdem congregationis Procurator, Generalis nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis per aliquod opportunum declarationis nostræ ministerium prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur eundem, Ioannem Procuratorem Generalem, specialibus laboribus, & grauis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet enodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferre absoluentes, & absolutos ferre censentes huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-

lium, negotiis Regularium præpositorum Concilio tenore præsentium declaramus prohibitionem in præ insertis nostris literis contentam, & expressam, quod nimirum non liceat Fratribus discalceatis Congregationis huiusmodi post amissam in eam professionem ad alium ordinem seu Religionem præterquam fratrum Carthusianorum, vt præfertur transire comprehendere etiam Fratrum Minorum ordinem sancti Francisci de Paula.

§. V. Ac proinde omnibus & singulis Fratribus discalceatis eiusdem Congregationis sanctissimæ Trinitatis tam laicis quam cæteris choro deputatis explicite nominatim & expresse prohibemus ne de cætero sub prædictis, & aliis quibusuis prætextibus, & alias quam vt præfertur ad secundo dictum ordinem Fratrum minorum huiusmodi transire quoquomodo audeant seu præsumant.

§. VI. Decernentes si aliquis Religiosus ex prædictis discalceatis iam professus nouam professionem in prædicto eorundem Minorum sancti Francisci de Paula, vel in alio quomodolibet ordine quomodocumque nuncupato emisit ultra pœnas in prædictis nostris literis appositis professionem huiusmodi, ipso facto nullam irritam & inanem nulliusque valoris, & effectus eodemque prorsus modo professionem per eosdem primo dictos Fratres in ordine Carthusianorum huiusmodi emissam absque licentia prius petita, & obrenta à superioribus prædictæ Congregationis Fratrum discalceatorum, sanctissimæ Trinitatis huiusmodi etiam ipso facto, nullam, irritam, & inanem nulliusque valoris, & effectus existere, & fore ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, & attentarit.

§. VII. Non obstante, quod de iure communi concessum, est in capite licet de regularibus ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac prædictorum ordinum, & Congregationis huiusmodi etiam iuramento confirmatione, Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis Congregationi, & ordinibus huiusmodi illorumque quibusuis personis, & fratribus sub quibus his verborum tenore, & formis ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permanens hac vice

vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus caterisque contrariis quibuscumque.

§. VIII. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, & ministri generalis seu procuratoris Generalis Romanæ curiæ eorundem fratrum discalceatorum seu alicuius prælati vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, & notarij publici manu subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, qua præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. 4. Aprilis 1737. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

De residentia Episcopali residentiumque priuilegiis, & non residentium pœnis.

Hoc idem postea decreuit etiam Concilium Tridentinum in sessione 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. & ampliorem dispositionem fecit contra omnes curatos hic idem Pontifex, infra in constitutione 91. in suprema, quibus alias quoque pœnas imposuit; ibi videas.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

DE salute gregis Dominici nobis ex alto commissi, attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorum, præseruetur à noxiis, & in deuium prolabens, ad rectitudinis tramitem reducatur ut Pastores ipsi, residentiam ipsam, prout tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam licentius, ac feruentius inuigilare, & illum ab errorum præcipitiis præseruare, ac in fide orthodoxa, & deuotione nostra continere valeant, opem & operam efficaces impedimus, prout rerum, & temporum qualitate pensata conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§. I. Hinc est, quod nos motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, vniuersos, & singulos venerabiles fratres nostros Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, ab Ecclesiis, & diocæsis suis absentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ pœna, eo ipso, atque alia declaratione incurrenda districtè, præcipiendo monemus, ut omnibus postpositis quanto citius in Romana curia videlicet, moram trahentes, intra vnum; extra eam vero in

Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses à die publicationis præsentium in locis infra scriptis faciendam computandos, se itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu diocæses suas proficisci, & se esse personaliter conferre, ac ibidem ut tenentur residere, & Pastorale officium exercere debeant.

§. II. Si quis autem à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine seu iure commissa, quacumque illi dignitate, gradu, & præminetia præfulgeant, legitimo impedimento, seu iustis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diocæsim morando abfuerit quartæ partis fructuum vnus anni, Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseverauerit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam, eo ipso amittat, crescente vero contumacia ac seueriori sacrorum Canonum censuræ subiiciatur, Metropolitan. suffraganeos Episcopos absentes Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ipso iure incurrenda in fratres, menses per literas, vel nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur qui in ipsos absentes, prout cuiuscumque maior, ut minor contumacia exegerit suæ supremæ sedis auctoritate animaduertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus vtilioribus providere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.

§. III. Eisdem autem Patriarchas, Prælates, Archiepiscopos, & Episcopos mandatis nostris parentes, & apud suas Ecclesias seu in earum diocæsi personaliter residentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes ut liberius, & commodius eorum officium fungi valeant, eis & eorum cuilibet ut quando residerint etiam prætextu quorumcumque delictorum, & excessuum atrociorum etiam hæresis, & læsæ Maiestatis criminum per eos quomodolibet commissorum ad comparendum personaliter in Romana curia, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis nisi vigore specialis commissionis manu nostra vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatæ trahi, aut citari non possint nec debeant atque aliter facta citationis, & censuras in eis appositæ ac inde sequuta quæcumque nulla, & irrita, ac nullius roboris, & momenti fore ac eos minime afficere statuimus, & ordinamus.

§. IV. Nec non eos, & eorum quemlibet

ab omnibus, & singulis decimis, subsidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, per nos, & successores nostros Rom. Pōt. pro tēpore existētes ad sedē Apost. etiā motu proprio, & ex certa sciētia ac etiā cōsistorialiter etiā ad instantiā Regū, & Principū quomodolibet, & ex quavis etiā quantūvis, vrgētissimo, iustissima, ac pia, & necessaria causa, etiā pro defensione fidei Catholicæ, ratione dictarū Ecclesiarum nūc, & pro tēpore impositis, illorūq; solutione auctoritate Apost. tenore præsentiū, ex simili assistētia penitus, & omnino eximimus, & liberamus, nec ad id à dilectis filiis modernis & pro tēpore existentibus S.R.E. Camer. nec non Cam. Apost. thesaurario, Præsidentibus, & Clericis, ac decimarū subsidiorum, & aliorū, onerum huiusmodi Collectoribus, & subcollectoribus, seu exactoribus, & Commissariis, ad id pro tēpore deputatis etiā vigore quorūcūq; priuilegiorum, indultorū, & literarū etiā præsentibus derogatiū, ac illarū totū tenorē de verbo ad verbum exprimētium, eis quomodolibet concessorum, & cōcedendorum, cogi seu cōpelli, & ob nō solutionē huiusmodi aliquas sententias, cēsuras, & pœnas incurrere posse decernimus, illiusque quibusuis aliis, in virtute Sactæ obediētiae, & sub nostræ indignitatis, nec non excōmunicationis, aut ius pēsionis, ac priuationis suorū officiorū, & beneficiorumque obtinēt, & pro tempore obtinebunt, eo ipso incurrendi pœnis, ne eosdē Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas sic in dictis Ecclesiis, vel earū Diœcesibus residētes, quādiu in illis resederint, vt præsertur, ad solutionē decimarū, subsidiorū, & onerū præsatorū, cogere ac propter illorū nō solutionem excōmunicationis aut alias sentētiās, censuras, & pœnas promulgare quoquomodo, audeant, seu præsument distriētius inhibemus.

§. V. Et in super eisdē Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis sic vt præsmittitur residentibus, vltra priuilegia, & indulta, eis per quoscumque Romanos Pont. Prædecessores nostros, ac sedē Apost. & Gener. Cōcilia, & Cancellariæ, Apost. Regulas cōcessa, quæ in suo robore permanere volumus, tāquā à dicta sede delegati in quibuscūque ciuil. criminal. vel mistis causis, cōtra quoscūq; clericos, sæculares particulares, ac etiā extra eorū monasteria, seu regularia loca, degētes regulares quomodolibet exēptos auctoritate nos procedere, & causas ipsas cognoscere, sineque debito terminare, ac quidquid terminauerit exequi, & obseruari facere, ipsosq; exēptos pro tēpore delinquentes, iuxta eorū excessus, & delicta, punire, corrigere, & omnē Iurisdictionē in eas exercere, omniaq; alia, & singula in præsmissis, & circa ea, quomodolibet necessaria, & opportuna,

quæ nosmet facere, exercere, & exequi libere, & licite valeant, plenam, & liberam licentiam, ac facultatem auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

§. VI. Decernētes ab eorū ordinat. & decretis, ante definitiuā sentētiā, vel vim definitiuæ habētē, & vbi agetur de morū correctione, nullatenus etiā ad nos, & sedē Apost. appellari posse, & nihilominus per appellationes quoscumq; cōtra præsentiū tenorem quomodolibet, interpositas minime causas deuolui, aut etiam per qualuis inhibitiones, etiā cū quibusuis censuris, & pœnis eis à quibusuis iudicibus ordinariis, vel delegatis forsā faciēdas, illarū vltiorē cognitionem, & expeditionē, & vbi de morum cōrectione agetur etiam legitimam executionem minime impediri aut censuris, & pœnis, huiusmodi ligari aut irritari censere.

§. VII. Sicq; in præsmissis omnibus, & singulis per quoscumq; Metropol. aut alios iudices, & commissar. etiā Præl. Apost. auditores & S.R.E. Card. sublata eis aliter, iudicandi, & interpretandi, aut definiendi potestate, iudicari, definiri, aut interpretari vere, nec non irritum, & inane quidquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. VIII. Mandantes venerabilibus fratribus nostris Feldren. & Pisaurien. ac Amerin. Episcopis per Apostol. scripta, motu simili, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis cōtenta, quæcumque vbi, & quādo opus fuerit, & quoties pro parte eorundem Episcoporū, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint solemniter publicantes, eisque in præsmissis efficacis defensionis præsidio assistētes faciant eadē auctoritate nostra illos, eorū singulos omnibus, & singulis præsmissis pacifice frui, & gaudere non permittentibus eos desuper per eosdē Camerariū, Thesaurarium, Præsidentes, & clericos nec non Collectores, & subcollectores, & exactores, & commissarios præsatos, sed quoscumque alios, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, & reueles per similes censuras, & pœnas Ecclesiasticas ac alia opportuna iuris, & facti remedia appellatione proposita compescendo, nec non legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. IX. Non obstantibus fel. rec. Bonif. VIII. prædecessoris nostri de vna, & Conc. General. de duabus dictis, dūmodo vltra tres dietas, aliquis auctoritate præsentium ad iudiciū non trahatur, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apost. à quibusuis Camera

præfatæ statutis, decretis, & declarationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboraris, necnon priuilegiis, indultis, exemptionibus etiam mari magno, aut alias nuncuparis, cōferuatorum deputationibus, & eorū ac aliis inhibitionibus, quibus dicti Episc. Archiep. & Patriarchæ deferre minime teneātur, sed illis reiectis, ac nō obstantibus, in dictis causis, vt præfertur, procedere, & illas iure debito terminare possint ac litteris, Apost. eiusdem Cam. Camer. Thesaur. Præsid. Cler. de Collector. & subcollect. & Commissar. ac exēptis necnon Regibus, & Principibus præfatis, ac dilectis filiis, Archipræsbyt. & Capit. Ecclesiæ nostræ Later. necnō Hospit. nostro S. Spir. in Saxiā de vrbe & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cū quibusvis clausulis, & decretis etiā motu, & sciētia similibus cōcessis, approbatis, & innouatis quibus omnibus, etiā si pro illorū sufficiēti derogatione de illis, eorūmq; totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autē per clausulas Gener. idem importantes mētio, seu quæuis alia expressio habēda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc seruāda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficiēter expressi habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dūtaxat specialiter, & expresse derogamus, & quæ aduersus præmissa, nemini suffragari posse volumus contrariis, quibuscumque, aut si Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, vel quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab eadem, sit sede indultū, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, non possint per Litteras non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum indulto huiusmodi mentionem.

§. X. Et quia difficile foret præsentibus litteras ad singula in quibus fides, forsan faciēda foret, loca deferri volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod earum transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curie Ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio, & alibi vbi opus fuerit, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. II. Quodque publicatio præsentium cum dimissione copię, in valuis Basilicæ, Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ eosdem præfatos, & eorum singulos etiam à dicta curia absentes sicut præfertur, monitos, ardet, & afficiat perinde ac si præsentibus litteræ eis, ac earū cuiuslibet personaliter intimatæ forent.

Nulli ergo, &c. Dat. Romæ, apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Domini-

cæ 1560. pridie Nonas Septemb. Pont. nostri anno primo.

Anno à natiuitate Domini 1560. indict. 3. die vero 13. mensis Septembris Pontificat. Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ IV. Ann. retrospectæ litteræ, affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt Rom. in locis retro scriptis dimissis ibidem copiis affixis, iuxta illarum formam, & tenorem per nos Iacob. Carra, & Bernardinum, Andreutium præfatos. S. D.N. Papæ Cursores.

Ex Basilio Poncio lib. 7. de impedimento disparis cultus cap. 48. num. 23.

Gregorius, &c. Quoniam sæpè cōtingit multos vtriusque sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Æthyopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus ab hostibus captos à propriis finibus, & propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari adeo, vt ipsi captiui, & qui in patria remanent, si postea ad fidem conuertantur coniuges infideles tam longo interuallo disiunctos, an sine contumelia creatoris secum habitare velint, vt par est, monere nequeant: vel quia interdum ad hostiles, & barbaras Prouincias nē nunciis quidem accessus pateat, vel quia ignorant prorsus in quas regiones fuerint transacti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem non tamen adeo rata censerem, vt necessitate suadente dissolui non possint, singulis dictorum locorum ordinariis, & Parrochis, & Præsbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis superioribus approbatis, & ad dictas Regiones pro tēpore missis, vel in illis admissis, cōcedimus facultatem dispensandi, cum quibuscumque vtriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum regionum, & serius ad fidem conuersis, qui ante baptismum matrimonia contraxerant, vt eorum quilibet etiam superstitē coniuge infideli aliàs tamen rite contrahere, & in eis postea, carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet, etiam summarie, & extraiudicialiter coniugem absentem moueri legitime non posse, aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse. Quæ quidem matrimonia etiam si post ea matrimonia innotuerit cōiuges priores infideles suā voluntatem iuste impeditos declarasse non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonij conuersos fuisse, nihilominus rescindi nūquam debere

debere, sed valida, & firma esse, &c. Hactenus Gregor. XIII.

*Clemens VIII. Venerabili Episcopo
Ciuuitatensi.*

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, apud nonnullos istius Diocesis Ciuuitatis populos inoleuisse abusū quēdam in festo S. Marci Euang. quodie taurus quidam ferocissimus publicè ad missam, & processionem à vicinis producitur Marc. nomine Candelam, & panem in cornu gestās, magno sane, cum diuini honoris, & animarum periculo: cū ipsimet belluæ à sceminis præsertim, ac reliqua vulgi multitudine, quasi è cælo à Deo, vel à Sancto Marco ad processionem Missæ veneratio, ac diuinus cultus tribuatur: ad quod periculum quoniā, & hæc scandala, atque incōmoda accedunt: primum Gentilica illa superstitione affinis, ac simillima idololatriæ, deinde etiā mortis discrimen, tum diuinæ virtutis, ac miraculi cuiusdā efflagratio in māsuefaciendo animali sua natura feroci, præter sceleratissimas tēplorū conspurcationes, turbarumque inter diuina officia excitationes, & risus per omnia Ecclesiarum loca dissolutos. Tu propterea pro tua in Deum pietate, ac Pastoralis vigilantia ab usum prædictū tanquā à Religione Christiana alienum tollere atque abhorrere, desideras, sed cum homines illi plus nimio, & cōtra quam Christianos decet, nefandæ superstitioni suæ indulgentes, & appellationibus, & inhibitionibus violenter se tueantur ac defendant: Nobis humiliter supplicari fecisti, vt in præmissis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur fraternitatis tuæ solertiam, & Religionē summo pere in Domino commēdantes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Card. Cōgreg. Sacror. rituum sententia supra dictum ab usum, tanquam Ecclesiasticæ pietati, nec non etiam sacro ritui aduersante, & detestabilem iis nō locis, in quæ hucusque irrepsit, funditus tollendum, atque abolendum esse, statuimus & ordinamus, ac fraternitati tuæ, per præsentem committimus, & mandamus plenā, & amplā super hoc tibi facultatem, & auctoritatē concedentes, vt ab usum prædictū, ex omnibus, & quibuscumque locis tuæ Dioc. Ciuuitat. appositis iuris, & facti remediis aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, tollere, ac funditus abolere omni, & quacūq; oppositione, recursu, ac inhibitioni, positis, & reiectis, auctoritate nostra cures, & cū effectu facias. Non obstantibus præmissis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscūcumque. Dat. Rom. apud S. Petr. sub annulo Piscatoris, die 10. Martij ann. 1598. Pont. nostri anno 7.

Marcus Vestrius Barbianus.

Tom. II.

Reformatio Generalis Prælatorum Ecclesiasticorum, eorumque officialium, ac familiarium, & aliorum.

*Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam Sano - sancto
approbante Concilio.*

Suæ pernae dispositionis arbitrio, quo cœlestia pariter, & terrena ineffabili prouidentia disponuntur in sublimi B. Petri solio Christi vnigeniti Dei filij gerentē vices in terris Rom. Pont. decet imprimis pro cura, & salute Dominici gregis sibi diuinitus commissi prouidi exercere pastoris officium.

§. I. Quare pro dicti pastoralis officii sollicitudine, cum Ecclesiasticā disciplinā, ac per omnes fere Christi fidelium gradus, bene recteque viuendi regulā temporū difficultate, ac hominum malitia, licentiāq; & impunitate in deterius ita labi, diffuere, aberrareq; longius à recta via animaduertimus, vt nisi prouida corrigatur emendatione in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere morēque obortis publicè scandalis prorumpere sit verendum.

§. II. Cupientes igitur, quatenus nobis ex alto permittitur, ea iam nimium inualescentia mala corrigere ac plerāq; in pristinā Sacrorum Canonum obseruatiam reducere, ac melius iuxta S. Patrum instituta dante Domino, reformare, eaq; omnia sacro approbante Later. Conc. à fel. rec. Iulio PP. I. prædecessore nostro inter alia propterea incepto & per nos cōtinuato salubriter moderari, vt ab his sumamus exordium, quæ præ nunc magis expedire videntur, & quæ sæpè per singulas ætates neglecta magnā Christianæ Religionis attulere perniciē, & in Ecclesia Dei maxima scādala pepererūt à promotionibus scilicet ad Eccl. dignitates cōstituimus exordiri.

§. III. Cū piæ mem. Alex. PP. III. prædecessor noster etiā in Lateran. Cōcil. decreuit, vt ætas, morum grauitas, ac literarū scientia in personis promouendis in Episcopos, & Abbates diligenter, inquinantur, nihilque magis Dei Ecclesiæ officiat, quam cum immeriti assumuntur Prælati ad regimē Ecclesiarum, propterea in promotionibus Prælatorū, quarum à Rom. Pōt. magna ratio haberi debet, eo præsertim, quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Mon. in extremo iudicio rationē Deo reddituri sunt, statuimus & ordinamus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus Patriarchalibus Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis pro tēpore vocatibus de personis iuxta præfati Alexandri constitutionē, ætate matura, grauitate morū, literarūque sciētia præditis, non ad alicuius instantiam per cōmendā, & administrationē, seu cōseruationem, aut alio

ac Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteriis quouis modo prouideatur, nisi ratione utilitatis Eccles. prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experiētīæ, atque curialitatis antiquæ cū cōpetēti literatura & in sede Apost. meritōrū, aliter visū fuerit faciēdū. Idēque in electis, & postulatis, quorum electiones, & postulationes per sedem Apostolicam admitti consueuerint volumus obseruari.

§. I V. Et si de minoribus ætate 30. anno- rum, Ecclesiis aut Monasteriis huiusmodi contigerit prouideri, non dispēsetur cū eis, vt Ecclesiis citra 27. ætatis annum, Monasteriis vero citra 22. præesse valeant.

§. V. Quinimmo vt accuratius diligētius- que idoneæ personæ promoueantur, statui- mus vt Cardinalis, cui electionis, postulatio- nis aut prouisionis Ecclesiæ, seu monasterij relatio cōmittetur, antequā in sacro cōsistorio, vt moris est referat cōmissionē examinis ac relationis huiusmodi sibi datā, vni cuiuslibet ordinis antiquiori Cardinali in ipso cōsistorio per seipsū, vel si ea die qua sibi cōmissionis onus iniūctū fuerit, cōsistoriū non fuerit, per Secretariū suū, aut aliū quemlibet, ex suis domesticis familiaribus, notā illā facere debeat, qui tres priores aliis quā primū sui ordinis Card. eā significare teneatur, negotiūmq; electionis administrationis, postulationisue, aut promotionis sūmariē, & de plano per se ipsū dictus relator examinet, et si qui contra dixerint, his vocatis, idoneos, graues, & fide dignos testes, et si expediens, opusve fuerit, alios ex officio assumere, processusque, & iura huiusmodi relationis, vna cū dictis testiū die faciēdæ relationis secūdū ad cōsistoriū deferre debeat, neque vllō modo referat, si præsens in curia promouendus maiorē Card. partem antea nō adiuberet, vt quæ à referente Collega sint Card. partē antea nō adiuerit, vt quæ à referente Collega sint Cardinal. audituri, oculata fides, quantum ad personam, promouendi attinet, cognoscere possint.

§. I V. Promotus vero eosdem Cardinales qui præsentis in curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quā primū visitare teneatur, quem quidem morem laudabilemque consuetudinem innouamus ac inuolabiliter obseruari mandamus.

§. VII. Et quoniam Episcopalem dignitatē tueri illæsam, & ne improborū impugnationibus aut accusatiū calūniis passim pateat muniri par est. Statuimus vt nullus Episcopus, aut Abbas quouis instāte ac requirente nisi sibi copia, & facultas legitime defensionis permittatur etiā si crimina fuerint notoria diligenterque partibus auditis causa plenarie probata fuerit, priuari valeat.

§. VIII. Neque aliquis Prælati inuitus, nisi aliis iustis efficacioribusque rationibus

& causis transferatur, iuxta formam ac decretum, Concilij Constantien.

§. IX. Et quoniam ex commendis monasteriorum vt magistra rerum experientia sæpius docuit, monasteria ipsa tam in spiritualibus, quam in temporalibus grauius læduntur, quippe quorum ædificia partim commendatariorum negligētia partim auaritia, vel incuria collabantur, & in dies diuinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur nō absque dignitatis Apostolicæ sedis diminutione, à qua commendæ huiusmodi proficiscuntur, vt eorum indemnitati salubrius consulatur; volumus ac sancimus, vt cū illa per obitum Abbatū, qui illis præerāt, vacauerint nullo pacto cuiquam possint commendari (nisi pro conseruatione auctoritatis Apostolicæ sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium pro tempore qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum consilio, sum fuerit expedire, sed de persona idonea iuxta præscriptam constitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi sint.

§. X. Ea vero monasteria quæ commendata fuerint, cum per eorum cessum, vel decisum, quibus erant commendata commendæ huiusmodi cessauerint, Cardinalibus dūtaxat, ac personis qualificatis, & bene meritis cōmendari possint, ita tamē quod eorum Monasteriorum commendatarij, quibus ea de cætero cōmendata fuerint cuius vis dignitatis, honoris, & præminentia, existant, etiam si Cardinal. honore, & dignitate fungantur si mensam habuerint separatam, ac seorsum à mensa conuentuali, quartam suæ mensæ partem pro instauracione fabricæ, seu pro ornamentis vestibus, ac paramentis emendis, sarcindisque aut pauperem alimonia, aut sustentatione, vt maior exiget, ac suadebit necessitas. Si vero mensa fuerit cōmunis, tertiā omnium fructuum dicti monasterij sibi commendati partem pro supra dictis oneribus supportantibus, & sustentatione Monachorum omnibus aliis deductis oneribus impartiri teneantur ac literæ, quæ super monasteriorum huiusmodi commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specificè exprimente debeat expediri, alioquin si aliter expediantur, nullius sint roboris vel momenti.

§. XI. Et quoniā Ecclesiis huiusmodi absq; aliqua fructuū diminutione prouideri debet vt tam dignitati Præsidētū, quā Ecclesiarū, & ædificiorum necessitati consulatur. Decernimus pariter, ac statuimus, vt super earundē Ecclesiarum fructibus pēsiones minime referuētur, nisi ex resignationis causa, aut etiā alia quæ in secreto nostro cōsistorio iusta probabilis, & honesta habita fuerit.

§. XII. Statuimus quoque, vt de cætero Parrochialis Ecclesiæ, ac dignitates maiores & principales, aliæque beneficia Ecclesiastica, quorum fructus, redditus, & proventus ducentorum ducatorum auri de Camara secundum communem æstimationem valorem annuū non constituunt, vel attingūt, necnon Hospitalia, Leprosariæ, Xenodochia cuiuscumque valoris, quæ ad pauperū vsū, & alimoniam instituta sunt S. R. E. Cardin. non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, nisi per obitum familiarium nostrorum vacauerint, quæ illis cōmēdari possint, vt illa ad illarum personarū sibi gratarū, & idonearum commodum, infra sex mēses dimittere teneantur, quibus etiam, quoad beneficia ad quæ haberent regressum præiudicare non intendimus.

§. XIII. Ordinamus etiam ne Ecclesiarū, ac quorumcumque Monasteriorum, & militarium membra à suo capite, quod est absurdum, absque legitima, & rationabili causa disiungantur, aut separentur.

§. XIV. Vniones perpetuæ præterquam in casibus à iure præmissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant.

§. XV. Dispēsationes autē ad plura incōpatibilia vltra duo nisi qualificatis iuxta formā iuris cōmunis non concedantur, nisi ex magna, & vrgenti causa, & personis cuiuscumque Parrochiales Ecclesias, & earū perpetuas Vicarias, ac dignitates maiores, & principales, etiā per viā vnionis, vel cōmendæ ad vitā vltra quatuor obtinētibus, ex nūc terminū duorum annorū præfigimus, vt interim, quatuor tantū ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittēda huiusmodi resignari valeant in manibus ordinariorū, ad effectū, vt de illis prouideatur personis per eos nominādis, quacūque reservatione etiā Generali, etiam ex qualitatibus resignātū personarū resultante nō obstāte, quo elapso termino, nisi dimiserint, omnia vacare cēseantur ac possint libere, vt vacātia impetrari, talesque præterea retinentes pœnas, extrauagantis, execrabilis, recolēdæ memoriæ Ioan. PP. XII. etiā prædecessoris nostri incurrāt, itē statuimus, vt speciales reservationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusvis instantiam nomine concedantur.

§. XVI. Et cum S. R. E. Cardin. cæteros omnes in ipsa Ecclesia post Sum. Pont. honore, ac dignitate præcedāt conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutū splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verū etiā statuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Card. pro tēpore existens, iuxta doctrinā Apostoli, ita sobrie, caste, ac piè viuat, vt nō solum à malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens coram homines luceat, Deumque

imprimis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officiis Missarūque Celebrationibus intēti, habeātque Capellas suas in loco honesto, prout facere consueuerūt, sitque eorū domus, familia, mēsa, supellexque non fastu, aut pōpa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccādi excedendique modum licētia inde nascatur, sed vt æquum est, modestiæ, & frugalitatis speculum dici mereantur, illis itaque sint contenti, quæ sacerdotalē præ se ferant modestiam, ac Prælatos, & quoscūque alios insignes viros ad Romanam curiā venientes, benigne honorificeque, tã publicè quàm priuatim, tractent, & apud nos successores nostros gratiosè liberalitèrque eorum negotia commendata suscipiant.

§. XVII. Præterea ministerium indecorum Episcoporum, prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteros præ eis distincti, & Sacro caractere insigniti, in vilia descēdāt ministeria, passimque Pastoralis Officij contemptum inducant. Eos itaque quos, vel nunc habent, vel imposterum sunt habituri, honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum status condecetiam tractent.

§. XVIII. Cumque Rom. Pont. communi omnium Christi fidelium patri assistāt, personarum acceptatores, vel aduocatores eos fieri, valde inconueniens est, propterea statuimus ne parcialitatem suscipiāt aliquam, neque Principū, aut cōmunitatū, vel quorumcumque aliorum contra quemquā, nisi quātum iustitia, & æquitas postulat, eorumque dignitas, & conditio requirit, promotores, aut defensores fiant, sed à priuata omni passione seiuncti sedandis, & cōponendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent incumbantque, Principū, & quorumcūque aliorum, ac præsertim pauperum, & Religiosorum iusta negotiatio promoueat affectu oppressos & iniuste grauatos iuxta vires suas, & officij debitum adiuuent.

§. XIX. Tituli sui loca, si præsentis in curia fuerint personaliter, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltē singulis annis visitet clericos, & populos Ecclesiarū titulo suo subiectarum cum diligentia inquirāt vigiletque circa cultum diuinū, & bona dictarū Ecclesiarum mores qui imprimis, & vitā clericorum & parochianorum solerter explorēt, quosque, omnes & singulos ad recte, honesteque viuendum paterno moneant affectu. Pro augmento autem diuini cultus, & salute animæ suæ, quilibet Card. vel in vita, donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit fatis ad Præsbyterum, vnum commode ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ videbitur.

§. XX. Et cum minime deceat, affines, & consanguineos præsertim bene meritos, & ope indigentes negligere, sed illis providere iustum & laudabile sit, non propterea tamē, vel beneficiorum multitudine, vt Ecclesiasticis redditibus, ita eos impleri conuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur & inde scandala nascantur statuimus, itaque vt Ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni & optimi redditus per sanctos Patres statuti, & ordinati fuerunt.

§. XXI. Ædificia quoque possessiones, & iura quæcumque in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum Prælatorum & commendariorum officium spectat.

§. XXII. Volumus etiam, vt Ecclesiis eisdem Cardinalibus Commendatis, etiam si Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quæcumque alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prohibeant debitè inferui. Cathedr. dignos & idoneos Vicarios, seu suffraganeos prout cōsuetudo fuerit cum digna & competenti mercede apponentes, reliquis autem sibi commendatis Ecclesiis, aut monasteriis de iusto Clericorum, vel Capellanorum, seu Religiosorum, aut monachorum Deo sufficienter, & laudabiliter seruientium numero prouidentes.

§. XXIII. Statuimus etiam, vt dicti Cardinales circa numerum familiarum, equorumque suis impensis alendorum magna vtantur circumspectione, ac diligenti prouidentia, ne maiorum numerum, quam sua facultas, conditio, ac dignitas patiatur habentes, luxus ac prodigalitatē vitio notari neve rursus auari, sordidique habeantur, si in magnis & amplis redditibus, paucissimis, victum præbeant, cum domus Card. patens hospitium, portusve ac refugium proborum, & doctorum maximè virorum, & pauperum nouitiorum honestarūque personarum esse debeat, sint igitur circa modum, & numerum tenendi prudentes, ac de familiarum qualitate imprimis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant, infamiae notam, vulgoque obloquendi calūniandique istas præbeant occasiones, & cū maximè prohibendum sit, vt non solum coram Deo cui primum placere debemus, sed etiā coram hominibus opera nostra probentur, vt cæteris exemplo ad imitandum possimus esse, ordinamus vt quilibet Card. se domus ac familiarum suarum optimum rectorem, præfectumque ostendat tam circa ea quam extrinseca omnibus apparent quam quæ

intus latent abscondita.

§. XXIV. Habeat itaque eorum quisque sacerdotes & Leuitas honestis vestimentis indutos, attentèque provideat, ne quis in familia sua quoquomodo beneficiatus, & in sacris ordinibus constitutus, vestes propter versicolores, nec eo habitu vtatur qui ordini Ecclesiastico parum conueniat. Quare in Presbyteratus ordine constituti vestes colorum, quæ clericis à iure non prohibeantur deferre debeant, vsque ad talos saltem dimissas, & habentes dignitates in Cathedralibus, & Canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam dignitatem in Collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani Missas celebrantes caputium deferre in publico teneantur scutiferis vero paulo supra talos concedantur. Parafrenarij, quia in assiduo sunt motu ministerioque funguntur laboriosiore, breuioribus ac magis expeditis vestibus vti possint, etiam si fuerint clerici dummodo in Præbyteratus ordine non sint constituti, ita tamen, vt ob honestate non discedant, sed ita viuant, vt mores Ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent. Reliqui vero clerici temperate ac modeste omnia faciant, & tā ipsi clerici beneficiati, quā in sacris ordinibus constituti, comam neque barbā non nutriant, neque mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto, aut serico factis habeant, sed eiusmodi rebus ex panno tantum, aut corio simpliciter vtantur. Si quis autem familiarium prædictorum contra fecerit, aut post tres menses legitima monitione præcedente, ac præsentium publicatione huiusmodi vestes prohibitas gestaerit in excōmunicationē incurrat, si vero infra tres alios menses non se correxerit à perceptione fructuum, ex beneficiis quæ obtinet suspensus intelligatur. Quod si per alios sex menses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit legitima similiter monitione præcedente, beneficiis omnibus, quæcūque habet priuatus sit, & esse censeatur, eaque sit vacantia à sede Apostolica libere impetrari valeant.

§. XXV. Quæ omnia, & singula in nostris, & cuiuscumque Rom. Pont. pro tempore existentis Familiaribus, & similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis vel in sacris ordinibus constitutis ac etiam curialibus locum habere volumus. Hoc vnum tantum excipio quod dicti nostri, & Rom. Pont. familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint pro decentia, & consuetudine dignitatis Pontificalis.

§. XXVI. Et quoniam ad Cardinales maximè spectat, operum optimorum cura pro viribus laborabunt scire quæ Regionis hæresibus erroribusque ac superstitionibus contra veram, & orthodoxam fidem infectæ sint

sint , & vbi diuinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina, quique Reges ac Principes seu populi libellis infestentur , vel infestari timeant. Hæc & huiusmodi scire, ac nouis , & Rom. Pont. pro tempore existenti referre operam dabunt, vt opportuna, & salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant.

§. XXVII. Et cum frequenti ac prope quotidiana experientia notum sit Prouinciis , ac ciuitatibus propter suorum legatorum de latere , absentiam multa sæpius contingere mala variaque , non sine Apostolicæ sedis præiudicio scandala oriri : statuimus , & ordinamus , vt nullis Cardinalibus Prouincias ac ciuitates legationis titulo obtinent. eas per locum tenentes , aut officiales quoscumque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiori parte temporis adesse atque omni vigilantia, regere , & gubernare teneantur , & qui nunc titulum obtinent aut pro tempore obtinebant , si in Italia intra tres menses, si extra Italiã quinq; à die præsentis publicationis ad suas Prouincias ire ac maiorem temporis partem ibi residere teneantur , nisi de nostro , & successorum nostrorum mandato pro aliquibus grauioribus negotiis in Romana curia retineantur, vel ad alia loca prout necessitas postulat mittantur, & tunc in dictis Prouinciis & ciuitatibus Vicelegatos, auditores , & locum tenentes , cæterosque consuetos officiales cum debitis prouisionibus , ac salariis habeant. Qui præmissa omnia, & singula nõ seruauerit emolumentis quibuscumque legationis careat, quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata , & instituta fuerunt, vt opportuna legatorum præsetia populis esset salutaris, non ipsi laborum, & curarum penitus expertes, lucro tantum , suæque legationis titulo inhiarent.

§. XXVIII. Et cum Card. officium imprimis versetur in frequenti Rom. Pont. assistentia & sedis Apostolicæ negotiis propterea statuimus vel omnes Cardinales in Romana curia resideant, & qui sunt absentes , in Italia , intra sex menses , si extra Italiam, infra annum à die publicationis præsentis constitutionis reuertantur. Alioquin fructus beneficiorum , & omnium officiorum suorum emolumenta amittant omnibusque priuilegiis generaliter, & specialiter Cardin. concessis , quandiu abfuerint, reant ; exceptis tamen illis quos ratione officij ab Apostolica Sede iniuncti, vel de Romani Pontificis mandato aut licentia, vel iusto metu, aut quauis alia legitima causa impediẽte , vel ægrotationis abesse contingat, priuilegiis , indultis , & immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis , & in bulla nostra subdata coronationis nostræ contentis,

& expressis, in suo robore nihilominus permanentibus.

§. XXIX. Statuimus insuper vt expensæ funebres Cardin. computatis omnibus 150. florenorum Summam excedere non debeant nisi executorum prouidentia iustis allegatis causis , ac rationibus plus expendendum esse duxerit, exequiæ , & castrum doloris prima , & nona die fiant , infra octauam vero, Missæ de more celebrentur.

§. XXX. Pro reuerentia autem sedis Apostolicæ, vtilitateque, & honore communi possunt , & ipsorum Cardinalium , vt scandalorum, quæ nasci possent occasio tollatur maiorque in sacro senatu libertas eorum fiat liceatque , vt pars est Cardinali cuique , secundum Deum , & conscientiam suam, libere , & impune quodcumque sentiat dicere statuimus ne quis Cardinalium vota in consistorio data , & quæcumque ibi gesta aut dicta , quæ in odium aut præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint, scripto aut verbo vel quouis alio modo reuelat sub pœna periurij , & inobedientiæ.

§. XXXI. Et quotiescumque à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente specialiter & expresse vltra præmissa in dictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit, vltra pœnas excommunicationem latæ sententiæ incurras à qua non possint absolui nisi à nobis, vel præfato Pontifice Romano, & cum expressione causæ præter quam in mortis articulo.

§. XXXII. Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & à teneris assuefieri ad bonum magni sit operis , & effectus statuimus , & ordinamus, vt Magistri scholarium, & præceptores pueros suos, siue adolescentes nedum in grammatica, & rhetorica ac cæteris huiusmodi audire , & struere debeant, verum etiam docere teneantur ea quæ , ad Religionem pertinent, vt sunt præcepta diuina , articuli fidei sacri hymni , & Psalmi , ac sanctorum vitæ diebusque festiuis nihil aliud eos docere possint , quam in rebus ad Religionem , & bonos mores pertinentibus hosque in illis instruere , hortari, & cogere in quantum possint teneantur, vt nedum ad missas, sed etiam ad vesperas, diuinaque officia audienda ad Ecclesias accedant, & similiter , ad prædicationes, & sermones audiendos impellant , nihilque contra bonos mores , aut quod ad impietatem inducat eis legere possint.

§. XXXIII. Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & Sanctorum contemptum supra modum inualuit statuimus, & ordinamus, vt quicumque Deo, palam seu publice maledixerit contumeliosisque atque ob-

scœnis verbis Dominum Nostrum Iesum Christum. Vel gloriosam Virginē Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, & secunda vice dicti officij; si tertio deliquerit, illo eo ipso priuatus existat, si clericus, vel sacerdos fuerit, eo ipso quod delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus applicandis, vt infra vnus anni multetur, & hoc si pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, si vnicum habuerit beneficium eo priuatur si autem plura, quod ordinarius maluerit admittere cogatur. Quod si tertio eius sceleris arguatur, & conuincatur; dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcumque habuerit, eo ipso priuatus existat, ad ea quæ vltius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere inpetrari, & conferri possint, laicus vero blasphemans si nobilis fuerit, pœna XXV. ducatorum multetur, & pro secunda vice, L. fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe applicandorum, & aliis vt infra deducitur. Pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit in carcerem detrudatur, quod si vltra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mithra infami per integrā diem ante fores Ecclesiæ principalis mithratus stare cogatur, si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ, nemo blasphemix reus, absque grauissima pœnitentiâ, seueri cōfessoris arbitrio iniuncta possit absolui; qui vero reliquos sãctos blasphemauerit a iudicis, rationē personarū habituri mitius aliquanto puniri volumus, etiam vt seculares iudices, qui contra tales blasphemix conuictos, non adinaduerterint, eosque iustis pœnis minime affecerint quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxij, eisdem quoque pœnis subiiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendisque, diligentes, & seueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant, quicumque vero blasphemantē audierint, cum verbis acriter obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingit eundemque deferre vel notificare apud iudicem Ecclesiasticum seu secularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audiuerint singuli eum accusare teneantur, nisi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos

omnes in virtute sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, in suis dominiis ac terris præmissa omnia seruari, & exactissime exequi manēdt, ac faciant vberimam ab ipso Deo tam boni ac pij operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consecuturi, cum tertia parte multæ quas dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curauerint, quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam multæ partem, accusatori blasphemii nomen deferri, similiter concedi, & assignari volumus aliis pœnis contra huiusmodi blasphemos per sacros Canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

§. XXXIV. Et clerici præsertim caste continenterque, iuxta canonum præcepta viuant, statuimus, vt contra facientes acriter secundum canones puniantur.

§. XXXV. Si qui verò tam laicus quam clericus de crimine propter quod venit rei Dei in filios diffidentix conuictus fuerit pœnis per sacros Canones, aut ius ciuile respectiue impositis puniatur.

§. XXXVI. Concubinarij autem, siue laici, siue clerici fuerint, eorundem Canonum pœnis mulctentur, neque superiorum tolerantia, seu praua consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, à multitudine peccantium, aliave qualibet excusatio, eis aliquomodo suffragetur, seu iuxta iuris censuram si verè puniantur. Ad bonum vero, & quietum Regimen ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Ecclesiæ subiectorum constitutiones bonæ memoriæ Ægidij Episcopi Sabin. olim editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, & mandamus.

§. XXXVII. Et vt nefariæ simoniæ labe ac pestis non solum à Romana curia sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum eiiciatur, constitutiones per antecessores nostros etiam in sacris Conciliis contra huiusmodi simoniacos editas innouamus easque inuiolabiliter seruari præcipimus ac pœnas in eis contentas pro expressis, & insertis, haberi, & delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

§. XXXVIII. Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium, cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante; beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricam huiusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. Si vero vltra dictum tempus in simili negli

negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium, intelligatur autem officium ommittere, quoad hoc vt beneficium priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit. Reo tamen vltra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabiles toties sit, quoties contra facere conuincantur.

§. XXXIX. Et cum fructuum Ecclesiarum Cathedralium, & Mtroapolitanarum monasteriorumque, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, plenaria dispositio, & administratio ad nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, & illos etiam qui huiusmodi Ecclesias Monasteria, & beneficia iure, & Canonice obtinent, solum pertineat sæcularesque Principes. Omni etiam diuino iure id prohibente dictis Ecclesiis Monasteriis intromittere se nullatenus debeant; statuiamus, & ordinamus vt fructus, redditus, & prouentus Ecclesiarum, Monasteriorum ac beneficiorum, per sæculares vllos Principes, etsi Imperatores, Reges, Reginæve, seu Respublicæ, vel Potentatus fuerint aut per eorum officiales, seu iudices etiam Ecclesiasticos, vel quascumque alias personas publicas, vel priuatas, de eorundem Imperatoris, Regum, Reginarum, ac Principum, Rerumque publicarum, vel potentatum, mandato sequestrari, occupariue, aut modo aliquo detineri, ipsique huiusmodi Ecclesias, Monasteria, ac beneficia obtinenda, sub prætextu fabricæ instaurationisque, sine Romani Pontificis, pro tempore existentis expressa licentia aut eleemosynarum, seu quouis alio colore, aut furo impediri non debeant, quominus de illis vt antea libere, ac sine impedimento disponere valeant. Et si sequestrati fuerint occupatiue, aut detenti, integre, libereque ac sine exceptione, vel mora, Prælati ad quos de iure legitimeque spectant restituantur de quibus, si dissipati nusquam reperiri possint eorum iusta æstimatione facta dictis prælati satisfieri volumus per eos qui dictas sequestrationes, dissipationesque, quas fecerint aut fieri mandauerint sub pœna excommunicationis, interdicti Ecclesiastici talium Principum, terris & dominio, eo ipso incurrendis. Et vt eorum ac eiusdem subiectorum bona vbiicumque reperta, si moniti parere noluerint capi, & retineri possint ipsi vero contrafacientes tam suprascriptis pœnis quam priuationis feudorum, & priuilegiarum quæ à nobis, & Romana, vel aliis Ecclesiis nunc, & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppresso-

res libertatis Ecclesiasticæ, etiam per, extrauagantes, & alias constitutiones etiam incognitas, & forsan iniussu, non existentes, impositis quarum omnium tenores, pro expressis, & incertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac secundum eas per quoscumque iudices etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata, & adempta eis aliter iudicandi declarandique potestate, sententiarum, iudicari, & interpretari debere volumus atque mandamus.

§. XL. Et cum à iure tam diuino quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit in nouamus omnes, & singulas constitutiones felicis recordationis Bonifacii Papæ octaui, etiam prædecessoris nostri quæ incipit, Felicitis, & Clementis quinti, quæ incipit, si quis suadente, nec non quascumque alias Apostolicas sanctiones in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores, quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præsumentes in Bulla quæ legitur, in cœna Domini, contentis in suo robore permansuris, & cum in Later. Pariter à Conciliis generalibus sub excommunicationis pœna prohibitum fuerit ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & filij Potentatus quocumque Regnis, Prouinciis Ciuitatibus, ac terris quoquo modo Præsidentes, Collectas, decimas, & alia huiusmodi onera, clericis, Prælati, & aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis imponant exigantque neue à sponte etiam dantibus, & consentientibus etiam recipiant, atque in præmissis, auxilium, fauorem Conciliumve, palam vel occultè præstantes in excommunicationis latæ sententiæ pœnam, eo ipso incidant. Et ipsi quoque Respublicæ ac cõmunitates, & vniuersitates, circa hoc quomodolibet, delinquentes, Ecclesiastico ipso, subiiciantur interdicto, Prælati etiam præmissis absque Romani Pontificis expressa licentia, vltra consentientes, excommunicationis, & depositionis pœnam ipso facto incurrant, statuiamus, & ordinamus vt de cætero alia præsumentes etiam si vt præfertur qualificati fuerint, vltra suprascriptas pœnas, quas contrauenientes, eo ipso incurere volumus, innouamus, quoad omnes actus, legitimos inhabiles, & intestabiles habeantur.

§. XLI. Et cum secundum leges ciuiles, & sacrorum Canonum censuras sortilegia per inuocationem demonum, incantationes ac diuinationes superstitionesque prohibita sint, statuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici, qui in præmissis culpabiles inuenti fuerint arbitrio superiorum infamia

mia notentur. Si vero non destiterint deponantur atq; in monasterium, ad tempus arbitrio superioris præfinitum detrudantur beneficiisque, & officiis Ecclesiasticis priuentur, laici vero, vtriusque sexus excommunicationis, & aliis pœnis iuris tam ciuilibus quam Canonici subiaceant.

§. XLII. Et vt omnes fidei Christiani ac de fide male sentientes cuiuscumque generis, aut nationis fuerint nec non hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti vel iudaicantes à Christi fidelium cœtu penitus eliminentur, & à quocumque loco, & præsertim, à Romana curia expellantur, ac debita animaduersione puniantur, statuimus vt contra eos diligenti inquisitione, vbique, & in dicta curia maximè procedatur per iudices per nos deputandos, & eius criminis reos, & legitimè conuictos debitis pœnis puniri relapsos vero absque vlla spe veniæ aut remissionis effici volumus.

§. XLIII. Et cum constitutiones, & ordinationes nostræ huiusmodi quas pro nunc ordinamus vitam, mores, Ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam officiales nostros quam alios tam in Romana curia quam extra vbique locorum commorantes imitari conuenit, illis ligari eosque ad eorum obseruationem inuiolabiliter teneri volumus atque decernimus.

§. XLIV. Et ne constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contra faciem per antiqua iura, & constitutiones impositas derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ atque cogitatæ fuerint, etiam declaramus per earum dispositiones, ordinationesque nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Romanorum Pontificum vllatenus derogatum esse, quin immo si qua in eis propter peruersam temporum aut locorum, vel hominum corruptelam vel abusum aut quamcumque aliam causam minimè probandam, vigorem suum amiserint ea ex nunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obseruari mandamus.

§. XLV. Quas nostras consultissimas constitutiones post duos menses ab earum publicatione, ligari, debere, etiam decernimus, & declaramus, districtius inhibentes, ne quis eas glossare, vel super eis commentaria, interpretationesque facere, absque speciali nostra vel sedis Apostolicæ licentia, præsumat. Si quis autem ausu temerario contrauerit, excommunicationis lætæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranen. Sacro-sancta Basilica solemniter

celebrata, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo quarto. Tertio nonas Maij, Pontificatus nostri anno secundo.

Sequitur facultas cognoscendi causas quascumque etiam criminales absque irregularitatis incurfu.

VRBANVS PAPA VIII.

Venerabilibus Vlpiano Archiepiscopo Theatin. necnon Raphaëli Zacynthien. Octauiο Canalicen. Ludouico, olim Adrien. Antonio Casertan, & Alexandro nuper Hieracen. Episcopis, Ven. Fratres salutem, & Apostolic. benedict.

Quoniam in prosequendo munere visitationis Ecclesiarum, & piorum locorum huius Almæ vrbes nostræ ad quos vos nominatim ex Episcoporum ordine delegimus, facile contingere poterit, vt aliqua negotia criminalia pertractanda sint.

§. I. Nos conscientiam ac status vestrorum securitati opportunè prouidere volentes, vobis, & cuilibet vestrum, vt tam conuinctim quam diuifim, durante huiusmodi visitatione, ac illius occasione dumtaxat, quascumque quærelas, accusationes, denuntiatis contra quascumque personas tam Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, quam laicas cuiuscumque status, gradus, dignitatis, & præminentia existen. recipere, & audire, causasque exinde, aut alias quomodolibet ex dicta visitatione vel illius causa emergentes, tam Ecclesiasticas, quam criminales, & mixtas, siue ad Procuratoris Fisci, siue ad aliorum quorumcumque instantiam, aut ex officio, audire, cognoscere, quandoque nobis referre, nobiscumque communicare, ac iuxta mandata nostra, seu alias prout Iustitia suaferit, & ordodictauerit rationis, illas decidere, & terminare, aliasque in illis vos immiscere, ac sine aliquo conscientia scrupulo, aut censurarum Ecclesiasticarum vel etiam irregularitatis incurfu, etiam si inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam vltimi supplicij pœna infligenda venerit, dummodo vos ipsi à sententia sanguinis per vos ipsos ferenda abstineatis, libere, & licite valeatis, licentiam concedimus, & indulgemus.

§. II. Vtque liberius ab omnibus denuntiationes, quærelæ, & accusationes, ac causæ quacumque ad dictam visitationem pertinentes deferri possint omnibus similiter, & singulis personis, tam laicis, quam clericis, etiam in sacris, & præbyteratus ordinibus constitutis, sæcularibus, & quo-

rumvis ordinum, Congregationum, & instituti regularibus quavis etiam Episcopali, vel maiori Ecclesiastica vel mundana dignitate vel præ eminentia fulgentibus, qui in actu eiusdem visitationis, seu alias illius occasione aliquid, quod ad prædictas causas pertineat per viam denuntiationis, quarrelæ vel accusationis, palam, vel occultè, sponte, vel ad aliorum etiam Procuratoris Fisci instantiam in iudicio vel extra Iudicium reuelauerint, aut in præmissis testimonium dixerint, dictauerint, detulerint, interrogauerint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, conuincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, iudicia, votum, consilium, auxilium, vel fauorem, per se vel alium, directe, vel indirecte præstiterint, testes, Tabelliones, consultores, Procuratores, Aduocati, seu aliàs in præmissis se quomodolibet ingesserint, nullam propterea pœnam, vel censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter, & indulgemus.

§. III. Non obstantibus Generalis Concilij atque aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiuscumque ordinis, & Monasterij atque Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annullo Piscatoris die 29. Martij 1624. Pontificatus nostri anno primo.

Regulares, qui ultra solita vota, etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, seu habitus priuationem aut dimissionem, à voto huiusmodi nullatenus liberantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. **C**VM sicut accepimus diuersorum Ordinum, Congregationum & institutorum, ac etiam societatis Iesu personæ Regulares ultra alia vota, etiam votum, promissionem, siue iuramentum solemniter, siue simpliciter emittant, aut præstent de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem.

§. II. Quoniam vero propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, sedes Apostolica aliquibus personis Regularibus licentiam aliquando impartitur, sede vna

ad aliam Religionem, etiam speciali nota & expressione dignam etiam laxioris obseruantia transferendi, nec non aliqui etiam Religionum supra expressarum, & cuiuslibet earum Generales, vel aliis superiores vigore vt asserunt facultatum sibi per sedem eandem concessarum translationem de vna ad aliam Religionem aut strictiorem vel laxiorem regularibus suis huiusmodi, vt se transferant occasionem præbent vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra claustra etiam in habitu clerici, vel sacerdotis sæcularis aliquando obtinere solent.

§. III. Ideo ne per præfatas, & quascumque alias translationes, expulsiones & dimissiones habitus regularis eorundem Regularium quavis autoritate, licentia, occasione, ratione, & causa quantumlibet rationabili, fauorabili, pia & publica, etiam in corpore iuris clausa, siue ratione maioris boni, ac aliàs quomodolibet hætenus, & pro tempore facta, & facienda possint regulares huiusmodi quandocumque, vt præfertur, translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum prætere se à dicto voto, promissione, siue iuramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illa etiam motu proprio collata non acceptando fuisse vel esse liberatos, quantumcum domino possumus opportune prouidere volentes, nec non voti, promissionis, seu iuramenti ac facultatum licentiarum, expulsionum, & causarum alioque etiam de necessitate exprimentorum veriores, & totos tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione daclaramus, & decernimus, quoscumque regulares prædictos cuiusvis ordinis Congregationis, & instituti, etiam quomodolibet exempti etiam societatis Iesu per quamcumque translationem hætenus, & in posterum quamcumque de sua, ad aliam Religionem, vel ordinem, vt præfertur, seu aliàs quomodolibet etiam pluries, & per quamcumque expulsionem habitusque regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censerì posse, seu debere à præfato voto promissione, seu iuramento liberatos, sed eos hætenus, & pro tempore, vt præfertur, translatos expulsos, ac à delatione habitus regularis absolutos vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi, proinde incapaces, & ad illas, petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac si translati

expulsi, seu à delatione habitus liberati, seu priuati non fuissent.

§. IV. Præsentet vero litteras, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minusque causæ propter quas eadem præsentis emanarint adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu, etiam quantumvis magno inexcogitato, & substantiali, siue ex eo etiam, quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & ad impleta non fuerint, aut ex quouis alio capite à iure vel factò, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis enormissimæ, & totalis lationis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis, in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concessò quempiam vti, seu se iurare in iudicio vel extra posse, nec sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum, reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari.

§. V. Sic & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere legatos & Nuncios, ac alios quauis auctoritate, & potestate fungentes, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. VI. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non cancellariæ nostræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de iure quæsito non tollendo, ac cuiusvis ordinis, Congregationis, & instituti huiusmodi etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque; indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc seruanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. VII. Vt autem præsentis, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætere possit, volumus pariter, & mandamus quod eadem præsentis per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe nec non cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt perinde afficiant, & ardeant, ac si vniciuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. VIII. Quodque illarum transumptis impressis, sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem sub Annullo Piscatoris die 21. Maij 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Reuo

Reuocatio iudulorum ac priuilegio-
rum omnium, etiam per modum
communicationis concessorum mi-
litiis, Hospitibus, Collegiis, Reli-
gionibus, Societatibus, Congrega-
tionibus, & Ordinibus quibusvis
tam Mendicantium quam non men-
dicantium, cæterisque locis piis, &
eorum siue earum respectiue perso-
nis, audiendi sæcularium persona-
rum confessiones absque Ordinarij
examine, & approbatione.

Vrb. PP. VII. Ad futuram rei memoriam.

CVM sicut accepimus aliquibus Reli-
giosis quorundam Ordinum seu Con-
gregationum, à sede Apostolica indultum
fuerit, vt sacramentales sæcularium perso-
narum confessiones audire valeant, etiam si
ab Episcopis diocesanis ad id examinati, &
approbati non fuerint, nec desint, qui te-
mere asseuerent hoc ipsum priuilegium cæ-
teris quoque aliorum ordinum Regularibus
competere ex amplissimis priuilegiorum
communicationibus, quas ab eadem sede
Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum
sacri Concilij Tridentini decretum
desuper sancitum penitus euertatur.

§. I. Huic malo opportune providere vo-
lentes, de Vene. Fratrum nostrorum S. R. E.
Cardinalium negotiis Regularium præpo-
sitorum consilio, omnia, & singula indul-
ta huiusmodi audiendi sæcularium confes-
siones absque Ordinarij examine, & appro-
batione quibusvis Collegiis, Capitalis, Re-
ligionibus, societatibus, & etiam societati
Iesu, Congregationibus, & Ordinibus tam
mendicantium, quam non mendicantium,
nec non Monachorum quorumcumque etiam
sancti Benedicti, Cisterciensium, & Carthusien-
ac etiam quibusvis Militiis, etiam Hospitalis
S. Ioannis Hierosolymitani, ac quibuscum-
que Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & Me-
tropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis
piis, siue eorum, & earum respectiue Ab-
batibus, Præpositis, decanis, Magistris, Mi-
nistris, Prælati, Prioribus, Rectoribus etiam
Generalibus, vel Prouincialibus, Capella-
nis, confessariis, aut aliis quocumque no-
mine nuncupatis superioribus, & personis
quibuscumque, etiam quomodolibet exem-
ptis, ac sedi Apostolicæ immediate subiectis,
cuiuscumque dignitatis præeminentiæ, &
cõditionis existentibus, & quouis priuilegio
munitis, & tam ad supplicationem partium
quam motu proprio, & ex certa scientia ac
de Apostolicæ potestatis plenitudine hacten-
us quādoque, & qualitercumque ex

quouis etiam de necessitate exprimenda cau-
sa, & alias quomodolibet concessa, Aposto-
lica autoritate tenore præsentium reuoca-
mus, cassamus, tollimus, abrogamus, & an-
nullamus, viribusque, & effectu euacuamus,
ac reuocata, cassata, sublata, abrogata, & an-
nullata, viribusque, & effectu vacua esse, &
fore, nec Religionibus, societatibus etiam
societati Iesu, Congregationibus, Ordini-
bus, ac Militiis, & Ecclesiis, Monasteriisque
prædictis eorumque superioribus, & personis
quibuscumque in posterum vllomodo suffra-
gari, minusque illos, & illas, etiam si de iis
specialis, specifica, & expressa, ac de verbo
ad verbum mentio habenda foret, indultis
huiusmodi vti posse.

§. II. Præsentibus vero litteras, & in eis con-
tenta quæcumque, etiam ex eo quod quicum-
que in præmissis interesse habentes, seu ha-
bere prætendentes ad hoc vocati, & auditi
non fuerint de subreptionis vitio, aut inten-
tionis nostræ, aut alio quocumque defectu
notari, impugnari, redargui, in ius vel con-
trouersiam reuocari, ad terminos iuris redu-
ci, aut aduersus illas, quodcumque iuris, gra-
tiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus
posse, sed illas semper validas, & efficaces
existere, & fore, suosque plenarios, & inte-
gros effectus sortiri, & obtinere.

§. III. Sicque per quoscumque iudices Or-
dinarios, & delegatos etiam causarum Pala-
tij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardina-
les etiã de latere Legatos, & Nuncios, sublata
eis, & eorum cuiuslibet quouis aliter iudican-
di, & interpretandi autoritate, & faculta-
te, iudicari, & definiri debere, ac irritum, &
inane quicquid secus super his à quoquam
quouis autoritate scienter vel ignoranter
contigerit attentari decernimus, & decla-
ramus.

§. IV. Non obstantibus præmissis ac qui-
busvis constitutionibus, & ordinationibus
Apostolicis, priuilegiis quoque indultis, &
litteris Apostolicis, ordinibus, societatibus, &
Congregationibus prædictis, eorumque Præ-
positis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Mini-
stris, Prælati, Prioribus, Rectoribus, & aliis
superioribus, Capellanis, aliisque prædictis
sub quibuscunq; tenoribus formis ac cū qui-
busvis, etiã derogatoriis derogatoriis, aliis-
que efficacioribus, & insolitis clausulis, ac ir-
ritantibus, & aliis decretis in genere, vel in
specie, ac alias in contrarium quomodolibet
concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus
omnibus, & singulis etiam si pro illorum suffi-
cienti derogatione, de illis, eorumque totis
ten. specialis, specifica, expressa, & indivi-
dua de de verbo ad verbum, non autem per
clausulas generales idẽ importates mentio,
seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua
alia exquisita forma ad hoc seruanda fo-

ret, tenores huiusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haben. illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. V. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. VI. Quodque eadem præsentibus litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Ioann. Lateran. ac Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita ardeant, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscat. die 12. Sept. 1628. Pontific. nostri ann. 6.

Quod Fratres Capuccini Ordinis S. Francisci ad laxiorem ordinem, sine sedis Apostolica, ad Carthusien. vero sine Ministri Generalis licentia de cætero non transcant.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiuncti nobis Apostolici muneris, ratio postulat, vt Religiosorum virorum, qui spretis huius sæculi vanitatibus diuini numinis obsequiis sub suavi Religionis iugo, & strictioris obseruantia regulis sese manciparunt paternam curam gerentes in eiusdem muneris partes sedulo intendamus, per quæ prospero felicitique eorum statui, & directioni opportunè consulatur, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§. I. Cum itaque sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, nonnulli dicti ordinis Religiosi nulla desuper ab Apostolica sede, vel superioribus suis obtenta licentia ad alios ordines, seu Congregationes, se transferre posse prætenderint, & prætendant, non sine graui regularis disciplinæ obseruantia detrimento, dictique ordinis, inquietudine.

§. II. Nos pro nostri Pastoralis officij debito præmissis quantum nobis ex alto conceditur; obuam ire, prosperoque ipsius ordinis statui, & quieti consulere volentes supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero perpetuis futuris temporibus, vllus dicti ordinis Religiosus ad laxiorem absque speciali nostra,

& Sedis Apostolicæ ad Carthusien. vero, seu quemcumque alium ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis dicti ordinis licentia in scriptis obtinente, quouis prætextu, aut ex quouis quantumuis iusta, legitima & priuilegiata causa sub Apostasia & infamiae perpetuæ nota, necnon excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ pœnis ipso facto absque vlla declaratione incurrendis transire, quoquomodo audeat, seu præsumat, Apostolica autoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§. III. Decernentes præsentibus litteras semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & in futurum spectabit inuiolabiliter obseruari.

§. IV. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis Authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. V. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum, ac quorumuis aliorum ordinum, & Congregationum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quouis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem ordinibus, & Congregationibus, illorumque superioribus, & personis, sub quibuscunque tenore & formis, ac cū quibusuis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, cōfirmatis & innouatis, quibus omnibus, & singulis eorum ten. præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. VI. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die nono Augusti 1628. Pontificatus nostri anno sexto.

Reuocat omnia & singula priuilegia, prerogatiuas, immunitates, & exemptiones, quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum, Religiosis in Regnis Hispaniarum existentibus, tam per Apostolicam Sedem illiusque in DD. Regnis Nuncios, quam eorum superiores concessa, ac prohibet illa de cætero absque sua, & Sedis Apostolicae licentia concedi.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officij nobis diuinitus commissi sollicitudo iugiter nos admonet, vt omni cura & vigilantia, ad ea semper intendamus, per quæ regularium personarum, quæ relicto sæculo diuini numinis obsequiis sese manciparunt, quieti, felicique statui, ac regularis disciplinæ conseruationi consulitur, vt ipsæ personæ iuxta Regularia suorum Ordinum instituta, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

§. I. Cum itaque sicut accepimus in Regnis Hispaniarum diuersa priuilegia, prerogatiuæ, immunitates, atque exemptiones diuersorum ordinum Religiosi, tam ab ipsorum superioribus, quam à sede Apostolica illiusque in dictis Regnis Nunciis pro tempore existentibus concessa reperiantur, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorum obediencia eximuntur & Monasteriis, & Regularibus domibus ab eorum Prælatorum obediencia eximuntur, & Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum ac cum sociis sibi bene visis, & iam destinatis etiam superiorum suorum non petita licentia egrediuntur absque eo quod iidem superiores tam huiusmodi egressum quam sæcularium personarum quibusuis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint. Præterea de vno ad aliud monasterium, seu regularem domum, etiam ipsis superioribus inuitis transeunt, nec choro & aliis spiritualibus exercitiis, minusque refectorio cum aliis intersint, ex hoc autem grauissima inconuenientia, & scandala, in non modicum regularis obseruantia, & disciplinæ detrimentum exoriantur.

§. II. Nos præmissis, quantum cum Domino possumus obuiare volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnia, & singula, ac quæcumque huiusmodi priuilegia prerogatiuas, immunitates, & exemptiones, quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Religiosis, tam per sedem Apostolicam illiusque in eisdem Regnis Nuntios, quam illorum superiores ex qua-

cumque causa, ac sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & abrogamus, ac reuocata, cassa, & abrogata viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nec illa cuiquam suffragari, nec de cætero absque nostra, & sedis Apostolicæ licentia concedi posse.

§. III. Sicque & non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, vbi que iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane secus quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus.

§. IV. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon (quatenus opus sit) Ordinum, & Institutorum huiusmodi, & à quibusuis aliis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Religiosis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnō irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis, specifica, expressa & indiuidua mentio habenda esset illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. V. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 30. Iulij 1636. Pontificatus nostri ann. 3.

DECRETVM.

Sacra Congregationis, Visitationis Apostolicæ Sanctissimi D. N. D. Urbani diuina prouidentia Papæ octauæ, constituta contra Religiosos, & Ecclesiasticos quoscumque questuosas artes exercentes pro secularibus.

Cum non deceat eos qui diuino ministerio adscripti sunt, in sæcularibus nego-

tiis nimium esse implicatos quæstuosas artes exercendo, sacra Congregatio Apostolicæ visitationis, ad tollendos varios abusus qui in diuersis vrbis, eiusque districtus Monasteriis irrepserunt, dum iidem Religiosi pro se vel à communitatibus aut aliis sæcularibus requisiti diuersas mechanicas, seu venales artes exercere student, quod omnino ab Ecclesiastica disciplina alienum esse debet, cum præsertim in graue hoc artium & pauperum Artificum eorumque familiarum in vrbe eiusque districtu existentium præiudicium cedat, statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit, omnibus tam superioribus quorumcumque ordinum, vel congregationum, monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in vrbe eiusque districtu existentium; quam particularibus Religiosis, & Ecclesiasticis quibuscunque, ne in posterum, siue Religionis nomine, siue particulari audeant, præsumant, per se, vel per alios exercere in suis conuentibus, vel alibi in quocunque loco vllam venalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, lanificium, textrinum, aut aliam quamlibet, præterquam pro suis Religiosorum, aut Alumnorum vsibus, nec vllò modo sæcularibus, aut aliis Religiosis, & Ecclesiasticis, pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocunque elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitia, & familiaritatis absque speciali licentia in scriptis obtinenda, etiam ab iis Religiosis, quibus ex particulari suæ Religionis instituto id alias liceret.

Si quis vero ipsorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere vel moliri præsumperit, ipso facto pœnam suspensionis à diuinis priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiua, & passiva absque alia declaratione incurrat.

Et nihilominus contra eos Generalis Thesaurarius procedat tanquam contra illicitos negotiatores, confiscando omnia lucra, & capitale ad dictas artes, & opificia spectantia.

Non obstantibus, quoad supra scripta omnia, & singula in præsentis decreto contenta, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcumque personarum atque Ordinum, siue Congregationis Cassinensis, fratrum Prædicatorum quorumcumque, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario, ac indiuiduo exprimenti Ecclesiarum Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorum-

cumque Regularium locorum, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibus quoad ea quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio sanctitatis suæ autoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscunque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem sacra Congregatio, vt præsentis ordinationes in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est affixæ omnes ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ die 29. Augusti. 1637. I. B. Episc. Cam. Vicefg. & Secret.

Annulatio, & suppressio præsentis Congregationis Iesuitissarum.

Vrbani Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis, cui cura vineæ Domini Sabaoth ineffabili superni Patrisfamilias prouidentia concedita esse dignoscitur sollicitudo, in id præcipue incumbit, ne in agrum Dominicū Operarij sine delectu temere se ingerant, sata dissigent, consita euellant, zizania inferant, & adulterinas in eo plantas superinducant.

§. I. Licet autem Orthodoxis Lateranen. & Lugdunen. Conciliorum generalium ordinationibus districtè prohibitum esset, ne quis nouæ Religionis instituendæ autoritatem sibi arrogare præsumeret, pariterque fel. record. Ioannis XXII. Virorum, & piæ mem. Clementis V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum salutariibus constitutionibus mulierum cætus autoritate priuata, & de facto instituti tanquam exitiosi palmites damnati, & sublati fuissent.

§. II. Et nihilominus (prout non sine graui animi nostri molestia acceperamus) in nonnullis Italiae, & vltra montanis partibus certæ mulieres, seu virgines Iesuitissarum nomine assumpto, citra vllâ sedis Apostolicæ approbationē ab aliquot annis in vnū conuenire solitæ, vitæ Religiosæ ducendæ prætextu peculiarem,

peculiarem, & distinctum à cæteris habitum vsurpassent, ædificia in Collegiorum forma redegressissent, domos probationū erexissent, in eisque superiorem, ac præsentem Congregat. suæ Generalem, indito Præpositæ titulo, & attributis facultatibus bene visis constituissent, in illiusque manibus, paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota ad instar solemnium emittere, clausuræque legibus nõ adstrictæ pro libitu diuagari, ac specie salutis animarum promouendæ, aliaque opera permulta sexus, & ingenij imbecillitati, & modestiæ muliebri, ac virginali, præsertim pudori minimè conuenientia, & quæ viri sacrarum litterarum scientia, rerum vsu, vitæque innocentia spectatissimi, difficile admodum, & non nisi magna circumspeditione adhibita aggrediuntur, attentare, & exercere consueuissent.

§. III. Nos ex crescentes in agro militantis Ecclesiæ vepres mature euellere satagentes venerabili fratri Aloysio Episcopo Tricaricen. nostro & Apostolicæ sedis in partibus inferioris Germaniæ Nuncio, & nonnullis locorum ordinariis dedimus in mandatis, quatenus propositis grauibus periculis, & scandalis exinde resultantibus mulieres, seu virgines præfatas ex parte nostra Apostolica serio monitas à temerario incepto ad saniora consilio reuocare conarentur. Verum, quia illæ Dei timore, ac nostro, & Sedis Apostolicæ, & respectu posthabito, in graue animarum suarum præiudicium, & bonorum omnium offensionem arroganti contumacia, paternis, & salutaribus monitionibus nostris nedum non paruerrunt, sed etiam in dies similia attentare, ac multa sanæ doctrinæ aduersantia proferre non erubescunt.

§. IV. Nos tantum temeritatem acriori censura coercendam, & plantas istas Ecclesiæ Dei noxias, ne vltius se diffundant radicibus euellendas, & extirpandas esse decreuimus. Habitaque itaque cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus ab eadem sede specialiter deputatis matura consultatione de illorum vnanimi consilio & assensu conciliorum generalium præfatorum decretis, eorumdemque prædecessorum nostrorum vestigiis in hærentes præsentem Congregationem mulierum, seu Virginum Iesuitissarum nuncupatarum, illarumque sectam, & statum ab ortu sui primordio, nullos & inualidos, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse Apostolica autoritate tenore præsentium decernimus, & declaramus, & quia de facto processerunt eadem autoritate penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus perpetuæque abolitioni subiicimus, &

ab Ecclesia Dei Sacro-Sancta funditus tollimus, delemus, & abrogamus, ac pro suppressis, extinctis, euulsis, deletis, & abolitis ab omnibus Christi fidelibus haberi, & reputari volumus, & mandamus, nec mulieres, & virgines huiusmodi ad votorum præfatorum obseruationem vlllo modo teneri, & obligari volumus insuper assertas visitatrices, Rectores, & Præpositam Generalem, ac alias quascumque Congregationis, & sectæ huiusmodi officiales, quocumque nomine appellatas officiis, & muneribus suis de facto vsurpatis omnino priuatas esse, & fore decernimus pariter, & declaramus, & quatenus opus sit priuamus, illasque ab eisdem officiis, & muneribus omnino amouemus, easque omnes & singulas mulieres, seu virgines, quæ votis, seu cuiuscumque alterius vinculi, promissionis, vel cuiusvis causæ prætextu ad aliquam obedientiam se obligatas putarent, & ab ea, & quocumque vinculo, & promissione huiusmodi, etiam rata, & iurata absoluimus, & totaliter liberamus.

§. V. Ad hæc mulieribus, seu virginibus & assertis earum superioribus præfato, & quocumque alio nomine nuncupatis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris pœna ipso facto incurrenda aquam non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo constitutæ absolui possint, & præcipimus, & mandamus, vt extra huiusmodi collegia, vel domus vbi hætenus habitauerunt aliæ ab aliis seorsum degant, nec insimul aliquod spirituale, vel temporale consultandum, seu peragendum, aut de eo quouis modo tractandum conueniant, susceptum per eas de facto, vt præfertur, habitum statim deponant, nec illum amplius reassumant, minúsque alias virgines, seu mulieres ad illum admittant, vel recipiant, nec vlli earum ad hæc consilium, auxilium, vel fauorem directe, vel indirecte, aut aliàs quomodolibet præstent, vel pro religiosis, seu præsentem Congregationis, aut sectæ huiusmodi sequacibus vlllo modo se gerant mulieres etiam, ac virgines, quæ eo animo vota licet de facto, vt præfertur, emiserint, vt in illo status ab Apostolica sede reprobato, ea emissuræ non fuissent, vtpote conditione sub qua tacitè vouerunt non impleta à votorum huiusmodi obligatione omnino solutas, & liberatas esse declaramus. Quæ autem in quemcumque euentum vouere voluerunt, cum earum vota sint simplicia honeste viuere, seorsum tamen ab aliis huius status reprobatæ, ac præsentem Congregationis, seu sectæ, & ab omnibus supra prohibitis abstinentes, in sæ-

culo poterunt sub Ordinarij obedientia, & cum usu, non dominio bonorum, sed tantum cum facultate quam misericorditer concedimus, de iis in vita, & in morte ad usus pios disponendi, ab intestato etiam ad eos deuoluendis, qui paupertatis voto ab his mulieribus non emisso, illis successuri fuissent, & in euentum in quem aliqua ex mulieribus seu virginibus præfatis ad conjugalem statum transire voluerint eis permittimus, vt matrimonium seruatis alijs seruandis, contrahere possint, eisque Apostolicam benedictionem, & quatenus opus sit cum omnium votorum de facto, vt præfertur, emissorum relatione impartimur. Quoniam vero secundum Apostolum qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit, easdem mulieres, & virgines per viscera misericordiae Christi quo possumus paternae charitatis affectu monemus, & in Domino hortamur attente vt desiderij quo se regularis vitae ducendae teneri ostenderunt memores tollant iugum Domini super se, & abnegantes semetipsas, & saecularia desideria approbatum ab eadem sancta sede aliquem sanctimonialium ordinem quanto citius ingrediantur, in ibique fideli, & pia promissione vota voueant Deo Iacob, & innocentes manibus, & mundo corde in assiduo spiritualium operum exercitio superaedificantes exhibeant se illustriorem gregis Christi portionem lapidesque suas flamma charitatis successas prudenter aptent, sponso caelesti obuiam ituræ.

§. IV. Decernentes præsentis litteras, omniaque, & singula in eis contenta etiam ex eo quod præsentis congregationis vel sectae mulieres, aut virgines huiusmodi, vel alij cuiuscunque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocata, & audita, seu vocati, & auditi, minusque causae propter quas eadem præsentis emanarint adductae verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint nullo vnquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut inualiditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quouis defectu, etiam quantum ius magno inexcogitato, & substantiali, seu etiam ex eo quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, & quæuis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & impleta non fuerint, aut ex quouis alio capite ac iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormissimæ, & totalis lectionis, aut quocunque alio colore, etiam in corpore iuris clauso; seu occasione vel causa, etiam quantumuis iusta rationabili, & priuilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum neces-

sario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra huiusmodi, & alijs superius expressis, seu relatis nihil vllibi appareret seu aliter probari potest notari, impugnari, inuvalidari, retradari, in ius vel controuersiam reuocari, aut ad terminos reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcunque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel consensu quempiam vti, seu se iurare in iudicio vel expressa posse nec ipsas præsentis sub quibusuis similibus, vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrariis dispositionibus pro tempore, quomodolibet faciendi, comprehendendi, sed semper ab illis exceptas perpetuoque validas, firmas, efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inuiolabiliter obseruari, sic & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios ac alios quauis authoritate, & potestate fungentes in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.


§. VII. Quocirca venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis nostris, & Apostolicæ sedis Nuncijs, necnon Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs vbilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, vt statim ac præsentis nostræ litteræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam quoquomodo peruenierint, illas solemniter publicent, & publicari faciant, ac in eis contenta quæcunque debitæ executioni demandent, & demandari procurent, per se vel alium seu alios, prout in Domino iudicauerint expedire, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas, Ecclesiasticas, aliisque opportuna iuris, & facti remedia omni, & quacunque appellatione, recurso, & reclamatione remotis compescendo inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis Non obstantibus quatenus opus sit recollendæ mem Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & in concilio generali edita de duabus dictis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

§. VIII. Ut autem præsentibus, & in eis contenta, quæcunque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætereundere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eadem præsentibus, per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur earum exempla eisdem in locis affixa dimittantur, quæ si publicatæ, & affixæ, post duos menses à die publicationis computandos, omnes & singulos quos concernunt perinde afficiant, & ardeant, ac si vnique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. IX. Quoque illorum transumptis impressis sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. X. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, subiectionis, ablationis, deletionis, abrogationis, decretorum priuationis, amotionis, absolutionis, liberationis, præcepti, declarationum, permissionis, impartitionis, monitionis, hortationis voluntatem, & mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Ann. Incarnationis Dominicæ 1630. Idus Ianuarij Pontificatus nostri ann. 8.



DECISIONES S. ROTÆ Romanæ.

R. P. D. *Dunozetto Tullen.*
Reformationis Veneris 30.
Martij 1629.

ARGUMENTVM.

*Reformatio in aliquo ordine quando censeatur
introducenda de consensu Generalis. Multa
de ordine Præmonstratensi.*

DECISIO.

CVM Abbates, & Conuentus Sanctæ Mariæ Maioris nuncupatæ Oppidi Mussiponti, Iustimontis ac Saliuæ vallis Meten. & Tullen. Diocesum respectiue Præmonstraten. Ordinis, Reformationem an-

tiquæ eiusdem ordinis austeritati conformem cepissent, & dubitarent, ne huiusmodi Reformationis negotium destitueretur, cum à Capitulum Generalium eiusdem Ordinis nutu totaliter penderet, & vix stare posse existimarent, nisi Sedis Apostolicæ auctoritate muniretur à felic. record. Paul. V. Bullam confirmatoriam huiusmodi negotij obtinuerunt, & quia cum post professionem dicti Abbates, & Conuentus nonnullas leges & constitutiones, & ordinationes ad conseruationem dictæ reformationis tulisse dubitabant pariter, ne huiusmodi constitutiones eiusdem Capituli Generalis censuris subiacerent, easdem à san. mem. Gregorio X V. obtinuerunt confirmari, sed quia Abbas & Capitulum Generale Præmonstraten. dictas Bullas impugnabant vti nulliter, & subreptitiue obtentas, dubitauit, an dictæ Bullæ essent iustificatæ, & Domini, vnanimi consensu responderunt pro illarum iustificatione.

Et primo, quoad Bullam Pauli V. ea visa fuit in omnibus iustificata. In ea enim primo narrabatur, quod Abbas, & Conuentus, Oratores, ante aliquot annos Reformationem antiquæ eiusdem ordinis austeritati conformem, de consensu tunc existentis Abbatis Generalis eiusdem ordinis susceperunt, secundo quod iam Abbates, & conuentus pro illius Reformationis obseruatiâ statuta, & ordinationes condiderunt. Tertio, quod iidem in ipsa reformatione illuc vsque cum consensu, & approbatione moderni Abbatis Generalis dicti ordinis perseuerarunt. Quarto, & vltimo quod reformatio huiusmodi sine sedis Apostolicæ auctoritate vix stare possit, cum à dicti Capituli generalis nutu penderet ea destruere. Quæ omnia visa fuerunt bene iustificari.

Nam quoad primum, nempe quod Abbas & conuentus, oratores ante aliquot annos hanc reformationem de consensu tunc existentis Abbatis generalis eiusdem ordinis amplexi fuerint, illud abunde iustificatur ex approbatione constitutionis dictæ Reformationis communitatis antiqui rigoris facta de anno 1611. ab Abbate generali tunc temporis, in qua enunciatur tam institutio dictæ Reformationis, quam etiam conformitas primæuo ordinis instituto, vt ex instrumento publico dato in summario communitatis num. 4. ex quo, cum faciat probationem probatam *leg. cum precibus C. de probationibus. Rot. decis. 60. n. 1. & decis. 590. n. 1. part. 1. recent.* bene remanet iustificata narratiua, quod reformatio fuerit introducenda de consensu Abbatis Generalis, & secunda, quod fuerint condita statuta, & constitutiones.

Quoad tertiam vero narratiuam, etiam

ea bene iustificabitur, quia D. Petrus Grossetus modernus Abbas Generalis dicti Ordinis de anno 1616. Constitutiones dictæ reformationis examinavit, & approbavit; nec non censuit illius professores ad earum observantiam esse hortandos, ut in instrumento approbationis, quod datur in eodem summano, *num. 5.* ex quo bene remanet iustificata dicta tertia narratiua. *Rot. decis. 17. num. 7. p. 7. recent.*

Quoad quartam & ultimam narratiuam, nempe, quod huiusmodi reformatio absque sedis Apostolicæ auctoritate securè sustinere non posset, non indiget alia iustificatione, cum hoc sit satis notum, ex quo dicta Reformatio totaliter pendebat à nutu Capituli generalis, cui etiam sacrum Concilium Trident. quoad observantiam Regulæ dedit omnimodam potestatem, *cap. 1. sess. 25. de regul.*

Quo vero ad iustificationem Bullæ Greg. XV. in qua pariter tria, aut quatuor narrantur, ea visa fuit clara.

Si quidem in eo primò narratur, quod litteræ Pauli Quinti propter nonnulla impedimenta suum sortiri effectum non potuerunt. Secundò, quod disciplinæ veteris rigor à capitulis generalibus antea approbatus, & singulis Religiosis, & integris Monasteriis primum permissis, deinde curæ Abbatis generalis in visitatione quasdam leges, & ordinationes edidit sub benè placito sedis Apostolicæ; quæ Ordinationes per extensum in dictis litteris sunt insertæ. Quartò, & ultimo narratur votum Congregationis Regularium super dictis ordinationibus.

Quoad primum, quod dictæ litteræ non fuerint executioni demandatæ, non indiget alia iustificatione, quia in hoc principalis intentio non consistit, & sufficit, quod de facto verificetur. *Rota. decis. 410. num. 4. part. 1. recent.* & hoc inter partes non controuertitur.

Secunda narratiua iustificatur, quia de anno 1618. Capitulum generale approbavit easdem constitutiones reformationis, & concessit facultatem omnibus Religiosis, & Monasteriis integris eiusdem Ordinis amplectendi reformationem, ut constat ex instrumento dictæ concessionis in eodem summano, *num. 8.* ex quo bene iustificatur narratiua facta in his litteris Gregor. quod disciplinæ veteris rigor à capitulo generali antea fuerit approbatus, & permissus.

Tertia narratiua, quod Abbas Generalis ex visitatione Monasteriorum communitatis ediderit quasdam leges regimine, & manutentione reformationis, probatur etiam ex publico instrumento, quod datur

in summano, *num. 6.* nec non ex quo dictæ leges seu constitutiones fuerint insertæ in litteris Apostolicis, unde apparet Papam de illis habuisse plenam informationem. *Socin. consil. 266. versic. confirmatur, lib. 2. Alex. conf. 15. num. 2. lib. 5.*

Ultima denique narratiua de approbatione articulorum, & ordinationum Reformationis facta à sacra Congregatione non eget aliqua probatione, cum sit narratiua ipsius Pontificis, cui assertioni est standum. *Rota decis. 361. num. decis. 612. num. 3. in fine p. 2. recent.*

Et ita utraque.

Coram eodem, in eadem. Lutæ 18. Junij 1629.

ARGUMENTVM.

Assertioni Episcopi, licet careat testibus, quando sit adhibenda fides. Gratia quibus in casibus presumatur obtenta ab eo cuius nomine cantat.

DECISIO.

Litteras Reformationis fel. record. Pauli Papæ V. & Greg. XV. iustificatas esse, domini sub die 30. Martij præteriti, & hodie repropósito dubio super eisdem, unanimiter responderunt per rationes ponderatas in præcedenti decisione, non obstantibus ultimo loco deductis pro parte Abbatis, & capituli, non acquiescentium decisione prædictæ.

Non obstat, quod narratiua susceptæ reformationis de consensu Abbatis non possit iustificari ex instrumento confecto de anno 1611. in summano communitatis in alia positione dato *num. 4.* cum statuta videantur condita de anno 1616. Quia obiectum cessat ex facto, ex quo re vera statuta emanauerunt de anno 1611. quo tempore Abbas Reformationi consensit. De anno vero 1616. illa reuisa, & approbata fuerunt à Generali: quæ approbatio, & reuisio præsupponit eorundem statutorum præexistentiam alias non potuerint approbari nec augeri *leg. nam, & si ff. de iniust. rupt. test. cap. ad ad dissoluendum ibi, not. de spons. in cap. 1. & 2. de confirmatio. util. vel inutil. & in cap. ex parte de constit. Guidop. decis. 629. num. 12. vers. quia quod non est.*

Non obstat, quod scriptura in qua nittitur decisio quæ reuidetur pro iustificatione primæ narratiuæ non sit in forma probanti, tanquam extracta à Notario de illa non rogato. Quia hodie datur originalis informatio Episcopi Virdunen. capta de ordine Congregationis Episcoporum, & Regu

Regularium in qua est inserta de verbo ad verbum dicta scriptura quæ prætenditur in formis, cui originali informationi Episcopi fides est adhibenda, etiamsi testibus careret cum Episcopus attestetur de actu extraiudicialiter sibi commissio à Congregatione. Bero. *consil.* 88. *num.* 21. *lib.* 1. Neuizan. *consil.* ult. *num.* 3. & 10. Menochius *consil.* 114. *num.* 10. Præsertim quia extracta fuit à Notario solito extrahere instrumenta, etiam producta pro Abbate, & capitulo, ita ut illius legalitas censeatur à partibus approbata Cardin. Caualer. *decis.* 640. *num.* 10. quæ informatio Episcopi præsumitur integra donec per Abbatem, & capitulum contrarium probetur, *Rota decis.* 64. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.* Cardinal. Caualer. *decis.* 335. *num.* 1. & *decis.* 572. *num.* 7. Greg. 15. *decis.* 59. *num.* 1. & ibi Adden.

Narratiua quod Abbas, & conuentus Iustimontis, & Saliuæ vallis susceperint statuta, probatur ex eadem informatione Episcopi. Item ex mandato procuræ facto Ægidio Martino nomine conuentus Iustimontis ad acceptandam huiusmodi reformationem; cuius vigore postmodum per moderum Abbatem generalem prædictus conuentus fuit adiunctus prædictæ communitati, & reformationi, cui adiunctioni etiam dictus Abbas Iustimontis consensit, & cum omnibus Religiosis eiusdem conuentus se subscripsit, ut ex iuribus in sumuario communitatis in hac positione dato, *num.* 4. & 5. per quam subscriptionem utique acceptarunt omnia, & singula contenta in mandato. Gabriel. *conclus.* 3. *num.* 1. *de præsumpt.* *Seraphin.* *decis.* 973. *num.* 1.

Non obstat quod quamplura ex his quæ fuerunt statuta, non sint conformia antiquo rigori, & non fuerint obseruata. Quia contrarium apparet ex dicta relatione Episcopi Virdunen. cui, est deferendum nisi contrarium probetur, quamuis, consistat in negatiua, Alexand. *consil.* 27. *num.* 13. *lib.* 2. Rot. *decis.* 362. *num.* 2. *p.* 1. *in recent.* Caualer. *decis.* 315. *num.* 5.

Non obstat quod si dicti summi Pontifices sciuisent, prout ipsis fuit tacitum, statuta antiqua fuisse modificata per illum secundum quoad esum carni, utique dictam reformationem non confirmassent. Quia imò à dicta confirmatione non se retraxissent, cum facilius sit reditus ad ius antiquum, glossa *in cap. statutum in verb. numerandum de præbend. in 6. sacrum Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *in illis verbis* (ubi collapsa est vetus, & regularis disciplina instauratur.)

Non obstat quod non doceatur de consensibus conuentualiter præstitis à conuentibus Saliuæ vallis, & Iustimontis. Quia

contrarium apparet ex iuribus datis in sumuario communitatis *num.* 5. in quo legitur quod Abbates, & conuentus prædicti dederunt mandatum procuræ ad obtinendam à sede Apostolica confirmationem dictæ reformationis, in quo mandato sunt subscripsi dicti Abbates, Priores, & omnes alij fratres dictorum conuentuum. Qui consensus propterea censetur præstiti non solum uti singuli, sed etiam conuentualiter Gabr. *concl.* 1. *num.* 3. & 9. *de cuiuscumque vniuers.* *nom.*

Neque obstant testes in Curia nuper examinati pro parte Abbatis, & capitulo ad probandum non interuenisse consensum Abbatum, & conuentuum. Quia magis est standum scripturis quam testibus, & præsertim magis est creden. dictæ informationi datæ per Episcopum Virdunen. de ordine Congregationis prout magis est standum confirmationi statutorum factæ per Abbatem Generalem; & hæc probatio per scripturas in concursu cum testibus debet præualere *leg. censu, ff. de probat.* Crauett. *consil.* 54. *n.* 15. *Rota decis.* 582. *num.* 6. *part.* 1. *recent.*

Non obstat quod obiicitur contra litteras Gregorij, non probari Abbatem dedisse mandatum ad supplicandum. Quia cum expeditio non potuerit fieri absque expensa, & sine Abbatis consensu, gratia esset difficilis concessionis, istis concurrentibus gratia præsumitur obtenta ab eo cuius nomine cantat iuxta decisiones relatas ab Add. *ad decis.* Gregor. 331. *num.* 19. stante maxime executione dictarum litterarum subsequuta in partibus ad instantiam dicti Abbatis, qui hoc modo easdem litteras approbavit, & se fuisse Oratorem fassus fuit, *leg. filiu famul. ff. ad Maced.* Bart. *in leg. cum tabernam §. idem quesuit in fine ff. de pig.* Caualer. *decis.* 26. *sub num.* 24.

Denique non obstat quod non possit, iustificari narratiua, quod Petrus Claudius, & alij essent Monachi Sancti Pauli, & Saliuæ vallis, cum doceatur istos emisisse professionem in aliis Monasteriis. Quia Monachus in aliquo Monasterio professus potest de licentia superioris ad aliud Monasterium transferri, *cap. licet quibusdam de regul.* & sic cessat impotentia ex aduerso allegata.

Coram eodem in eadem Mercurij,
4. Iunij 1629.

ARGUMENTVM.

Remissoria multis in casibus conceditur,
ut in decisione.

DECISIO

D E C I S I O.

Censuerunt Domini non esse dandam remissoriam, Abbati, & capitulo Generali Præmonstraten. Nam licet ex 17. articulis per illos exhibitis, quinque primi videantur releuantes, tamen non visi fuerunt tales vt eorum respectu possit concedi remissoria, quia materia in illis articulata potest probari per scripturas: Quo casu intrat Regula quod non datur remissoria ad probandum per testes, id quod potest probari per scripturas. Rota *dec. 46. de testib. in antiq. & decis. 314. num. 1. p. 1. & decis. 45. num. 2. p. 2. recent. Greg. 15. dec. 253. num. 2.* & quia per multa instrumenta publica producta pro parte communitatis antiqui rigoris contrarium apparet eius quod fuit articulatam; vnde intrat alia regula, quod non solet concedi remissoria ad probandum per testes id quod per publica instrumenta fuit iam probatum Seraphin. *decis. 1460. num. 3.* cum probatio per instrumenta præualeat probationi factæ per testes, *leg. census ff. de probat. Innoc. in cap. cum Ioannes num. 6. de fid. instrum. Crauett. consil. 54. num. 15. Rota decis. 91. num. 9. & decis. 562. n. 6. p. 1. recent.*

Quod autem respectu dictorum articulorum remissoria non possit concedi patet.

Nam quantum ad primam, quod tendit ad probandam possessionem Abbatis, & capituli generalis visitandi omnes conuentus eiusdem Ordinis non est opus remissoria cum pro parte communitatis non controvertatur iurisdictione Abbatis, & Generalis in iis quæ non repugnant litteris Apostolicis iuxta alias decisa, & offerat separaram admittere visitandum Abbatem generalem iuxta formam capitulorum reformationis.

Quo verò ad secundum in quo articulatur Abbates, & conuentus Iustimontis, & Saliuæ vallis Ordinis pariter Præmonstraten. representatos per solos Canonicos ibi affiliatos non dedisse mandatum procuræ ad supplican. *fel. record.* Paulo quinto pro reformatione non visa fuit posse dari remissoria: quia constat de instrumento mandati procuræ, quod datur in sumuario *num. 1.* & quod hæc narratiua fuerit iustificata fuit dictum in duabus decisionibus in hac causa factis.

Ad tertium articulum continentem Generalem præ mortuum non consensisse reformationi, & eius capitulis non potest concedi remissoria eius respectu, quia contrarium probatur pro parte communitatis ex instrumento informationis Episcopi Viridunen. dato in sumuario *num. 2.* & ex instrumento approbationis factæ per eundem Abbatem canonizato in dictis duabus

decisionibus, & dato in hodierno sumuario *num. 3.*

Quartus continens, quod primæ, atque antiquæ institutioni Ordinis Præmonstraten. repugnat, quod visitatio in aliquo conuentu non possit fieri per visitationem capituli generalis sine adiuncto ipsi dando ab iis qui visitantur, non visus fuit esse talis vt propter illum possit concedi remissoria cum possit probari per scripturas, & intret super dicta regula, quod quando articulus potest probari per scripturas non solet concedi remissoria.

Quod denique quintum, in quo articulatur capitulum generale celebratum de anno 1618. contradixisse reformationi, & ordinasse Abbati Seruatio, vt renunciaret litteris Apostolicis, illius etiam respectu potest dari remissoria, quia potest probari per scripturas, cum acta capituli Generalis in scriptis redigantur.

Quo verò ad alios articulos non visum fuit dominis eorum respectu posse dari remissoriam, tum quia possent probari per scripturas vt dictum est supra: tum quia tendunt ad probandam obseruantiam contrariam verbis litterarum Apostolicarum, & interpretationi alias datæ à Rota. *Rot. decis. 212. num. 1. p. 1. recent. Greg. XV. decis. 211. num. 6.* maximè cum litteræ sint munitæ decreto irritanti; per quod irritatur omnis obseruantia contraria *cap. si eo tempore de elect. in 6. Cassad. decis. 1. num. 7. de restit. spoliat. Gonzalez glos. 67. num. 11. & seqq. Rota decis. 41. num. 9. p. 1. recent.* Tum etiam quia continent materiam, quo casu non solet dari remissoria nisi adsit magnus fumus Caputaq. *decis. 62. num. 3.* & fuit dictum in Leodien. Abbatissatus prima Iulij 1615. coram bon. mem. Card. Sacrato: qui fumus debet esse talis vt faciat semipleenam probationem, vt fuit dictum in Carthaginen. Archidiaconatus 3. Martij 1592. coram Platto, & in Conchen. Archyepiscopus 30. Octobris 1592. coram Penia, qui hic omnino deficit.

Et ita vtraque parte, &c.

Coram eodem, in eadem 22.

Aprilis 1630.

A R G V M E N T V M.

De tribus votis substantialibus Religionis, & an stabilitas in loco concernat ipsorum votorum essentiam.

D E C I S I O.

CVm per duas decisiones conformes fuisset firmatū Bullas *fel. record. Pauli*

li Quinti, & Gregorij X V. obtentas à communitate antiqui rigoris Præmonstraten. super Reformatione, esse iustificatas, nihilominus, quia dum pro parte ipsius communitatis peteretur huiusmodi iustificationem canonizari per sententiam nonnulla motiua fuerunt in memorialibus pro retardanda expeditione pro parte Capituli, & Abbatis generalis datis ex citata; placuit Dominis pro tertia vice ipsis Capitulo, & Abbati concedere audientiam super istis motiuis. Vnde proposito à me dubio, an capita deducta in dictis memorialibus quæ ad duo præcipue reducebantur obstarent, quo minus ad dictam expeditionem deueniri posset? Domini negative responderunt.

Nam quoad primum nempe quod formula professionis reformatorem non sit conformis primitiue regulæ, & antiquo rigori pro vt requiritur in dictis Bullis, & fuit etiam decisum à sacra Congregatione Regularium cum inter alia quæ præcipiuntur Religiosis per dictam primitiuam regulam præcipiatur ipsis, vt affilientur illi Ecclesiæ, à qua recipiuntur, & promittant stabilitatem in illo loco quod non præstent moderni Reformati, sed genericam solum stabilitatem promittunt in vniuersa communitate.

Quoniam cum non differat in votis substantialibus paupertatis videlicet, castitatis, & obedientiæ quæ emittere debent reformati iuxta Bullam Iulij 2. in quibus tribus votis consistit essentia Religiosi professi *cap. cum ad monasterium de stat. Monachorum*, & docet S. Thom. 2. 2. *quest. 186. art. 9. Sanchez super Decalog. lib. 5. cap. 1. num. 16. & lib. 6. c. 4. num. 9.* Nulla potest dici adesse discrepantia nec stabilitas in loco concernit substantiam trium votorum à Religiosis emittendorum Sanch. *super Decalog. loco supra citato.* quod tanto magis suadetur in præsentis Religionis Præmonstraten. nedum ex dicta Bulla, cuius vi taliter mutandi statuta, sed etiam ex concessione ipsiusmet Capituli generalis de anno 1618. quod singuli Religiosi possint transire ad monasteria reformatata, quemadmodum reuera multi translati, fuerunt quod etiam firmatum fuit à Rota in decisione sub die 18. Iunij 1629. signum euidens, quod dicta stabilitas in hoc ordine non est de essentia professionis.

Et cessat omnis difficultas dum in litteris sanct. mem. Gregorij X V. derogatur dictæ stabilitati in loco, & expresse disponitur per hæc verba, quod Religiosi communitatis antiqui rigoris sunt ita communes, vt nullus magis huius quam illius Monasterij dicatur, & habeatur professus cum, clausula non obstantibus constitutionibus quibuscunque, & speciali stabilitate promissa in professione, ex quibus satis censetur derogatum dictæ sta-

bilitati in loco Bero. *consil. 147. num. 28. lib. 3. Mart. de clausul. conclus. 5. num. 12. Gonzalez glos. 36. n. 23. Rot. decis. 506. n. 5. p. 1. recent.*

Non obstant verba apposita in litteris Gregorij X V. ibi seruetur formula solita cum additione antiqui rigoris, quia illa debent intelligi præterquam de illis quæ in contrarium expresse in ipsis disponuntur Oldrad. *conf. 330. in fin. Paris. consil. 70. num. 12. lib. 1. Mart. de claus. part. 3. claus. 157. num. 3. Put. decis. 183. lib. 3.*

Quo vero ad secundum caput circa approbationem Reformationis, & eius acceptationem factam à Capitulo, & conuentibus, de qua non dicitur constare, nisi ex instrumentò concessionis reformationis factæ per Abbatem generalem de anno 1618. quod prætenditur non esse in forma probanti, sed esse supplicem copiam suspectam de falso, eo quia confecta fuit super folio albo subscripto ab Abbate sine vero eius sigillo; illud etiam non releuare Domini dixerunt.

Nam visum fuit sufficienter constare de prædicta acceptatione, & approbatione, nedum ex dicta attestazione Abbatis, sed etiam ex alia fide Secretarij Capituli, & ex pluribus actibus Capitularibus datis in summario *num. 4. & 6.* iuncta obseruantia statutorum Reformationis scientibus, & patientibus Abbate, & Capitulo generali vsque ad annum 1628. de quo tempore fuit mota *leg. semper qui non prohibet digestis de reg. iur. Socin. in consil. 139. n. 14. lib. 4. Surd. consil. 28. num. 22.*

Neque obstat quod imo appareat de expressa contradictione Capituli, & Abbatis generalis vsque de anno 1618. vt in summario Capituli *num. 2. 3. & 4.* Quoniam contradictio Capituli in eo versabatur, ne scilicet per reformationem obtentam in litteris Pauli Quinti constitueretur vnum caput speciale præter Abbatem generalem, & recederetur ab vnitatem, & Iurisdictione Ordinarij ad quod euitandum fuit decretum vt Abbas S. Mariæ Mussipontanæ renunciare deberet huiusmodi prætensionibus, & se submittere Capitulo generali, prout renunciauit, & proinde cessante huiusmodi suspitione diminutionis authoritatis Abbatis generalis, & defectionis ab vnitatem, & iurisdictione Ordinarij, vtique cessarunt etiam contradictiones supra dictæ, & emanarunt secundæ litteræ Gregorij X V. superioritatem, & iurisdictionem Abbati generali reseruantes.

Non obstant alia deducta in dictis memorialibus, quia in illis visum fuit Dominis sufficienter satisfactum ex responsionibus datis in primis decisionibus cum quibus transierunt.

Et ita vtraque, &c.

Coram eodem in eadem Veneris 10.

Januarij 1631.

ARGUMENTVM.

Professionis Regularis tres species recensentur, & explicantur. Reformati Præmonstratenses antiqui rigoris sub quanam Professionis specie comprehendantur.

DECISIO.

Domini steterunt in ultimo loco decisio, licet enim informantes pro Abbate, & Capitulo generali obiicerent professionem emittendam per Reformatos communitatis antiqui rigoris discrepare à primo instituto Præmonstratensium, qui antiquitus vouebant stabilitatem in loco, & proinde etiam repugnare Bullæ san. mem. Gregorij XV. in qua inhærendo decreto sacre Congregationis Regularium idem Pontifex adiecit clausulam; dummodo in iuramento per Religiosos in eorum professione præstando seruetur formula solita cum additione antiqui rigoris seu primitiue Regulæ.

Tamen obiectum visum est Dominis facile remoueri præmissa distinctione Calderi. *consil. 23. vers. ad quod probandum cum seqq. de Regul. qui triplicem modum professionis recenset.*

Primas quo aliquis Deo vouet in manibus Episcopi aut alterius superioris se obseruaturum Religionem quoad tria substantialia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, nisi profiteretur Religionem (vt inquit Calder. *ubi supra*) in genere generalissimo de quibus videtur loqui textus *in cap. super eo, & in cap. consulti. de regul.*

Secunda species professionis est illa per quam quis proficitur, non quidem in genere & in abstracto prout faciunt professi primo modo, sed in specie, promittendo, & vouendo se seruaturum certam aliquam regulam, Prædicatorum, nimirum Minorum, aut Cisterciensium, & hi dicuntur professi in specie, seu in genere subalterno qui debent perpetuo in eo ordine Deo famulari.

Tertio vero modo alij profitentur in indiuiduo, id est, certam Regulam, & certum Monasterium, vt si quis profiteretur Regulam S. Benedicti in Monasterio S. Proculi, quo casu eius professio implicaret stabilitatem in illo præciso Monasterio, cui religiosus ascribitur in limine professionis, quæ desumitur ex *cap. in singulis & cap. ea que de stat. Monach. & cap. cum deportati de iudic. cap. cum plantare de privileg. & clem. attendentes de stat. Monacho.* prout pulchre declarat idem Calderinus *dict. consil. 23. de regular. vers. Professi in ge-*

nere cum seqq. Butr. in cap. in presentia num. 64. vers. puto tamen, vbi Abb. num. 65. de probat.

Supposita autem hac distinctione, clarum est reformatos communitatis antiqui rigoris comprehendi sub secundo membro distinctionis. Non enim profitentur Religionem in genere generalissimo prout faciunt professi tertio modo, sed profitentur se seruaturum Regulam Ordinis Præmonstratensis in certo aliquo Monasterio in qua consistit formalitas stabilitatis in loco prout faciunt professi tertio modo, sed profitentur Regulam Præmonstratensem simpliciter in manibus sui Superioris. Vnde merito dici possunt professi in specie seu in genere sub alterno iuxta secundum membrum distinctionis Calderi. vnde quatenus ex dispositione constitutionis Gregorij XV. debeant seruare stabilitatem, hæc quidem non est intelligenda in ordine ad aliquod certum, & indiuiduum Monasterium, quæ diceretur stabilitas in loco, sed de stabilitate in specie, quatenus importat permanentiam in eadem Religione quam profitentur, cum verba intelligi debeant iuxta naturam materiæ subiectæ *ad l. insulam Digestis qui pot. in pig. hab. leg. si stipulatus Digestis de usur. Decia consil. quadragesimo quinto in 2. vol. numer. 27.*

Quod quidem clarius elucescit ponderando tenorem dictarum litterarum Gregorij, in quibus Papa nedum statuit, quod Religiosi communitatis antiqui rigoris non sint magis vnius Monasterij, quam alterius, quæ verba repugnant stabilitati in loco, cuius vigore Monachus ascribitur vni præciso Monasterio priuatiue quoad aliud, vt colligitur ex Calderi præfato *consil. 23. vers. alij sunt qui profitentur.*

Verum etiam ad remouendum omnem scrupulum adiecit clausulam. Non obstantibus constitutionibus quibuscunque, & speciali stabilitate promissa in professione, per quæ verba fuit expresse derogatum stabilitate in loco ex prægnantia, & efficacia derogatoriarum *cap. 1. de constit. in 6. clement. eos in sine de sepult. Rot. in decis. 506. num. 5. p. 1. recent.*

Neque obstat, quod Papa voluerit seruari formulam solitam cum additione antiqui rigoris. Nam vltra quod hoc debet intelligi, vt fuit deductum in aliis decisionibus in substantialibus, non autem in accidentalibus, cessat etiam difficultas quia hoc intelligitur in omnibus, præterquam in iis quorum contrarium fuit specificè dispositum *Paris. consil. 70. n. 12. lib. 2. Put. decis. 183. lib. 3.* aliàs enim Papa voluisset incontinenti se corrigere, quod non est dicendum *l. precipuus C. de appellat. leg. non ad ea, vbi Glossa &*

et DD. ff. de condit. et demonstr. Surd. conf. 33. num 107.

Et ita utraque, &c.

Reuerendiss. P. D. Motmanno Tullen.

Reformationis Veneris 6.

Februarij 1632.

ARGUMENTVM.

Confirmatio Ordinationum Regularium, quando impugnari non possint defectu intentionis Principis. Stabilitas in loco, qua promittitur in emissione professionis, quomodo intelligatur.

DECISIO.

RESOLUTUM fuit sententiam Rotalem latam pro obseruatione litterarum Apostolicarum, de quibus agitur esse confirmandam. Quia nihil est quod obiici possit aduersus illius validitatem, & iustitia comprobatur ex pluribus decisionibus in priori instantia coram Reuerend. P. D. meo Dunozetto emanatis, in quibus firmatum fuit litteras confirmationis, tam à felic. record. Paulo Quinto, quam etiam à Gregorio XV. illius successore concessas, esse iustificatas.

Cui Resolutioni non obstat, quod posteriores litteræ sunt subreptiæ, vel saltem possint redargui defectu intentionis Pontificis concedentis, cum post narratiuam, in quo colligitur, quod nouæ ordinationes communitatis antiqui rigoris tendebant ad instaurationem veteris disciplinæ ommissa fuerit expressio, quod illæ non erant conformes institutis à primordio dictæ Religionis obseruatis, quia fuit responsum ad euitandam subreptionem, sufficere, quod stante insertione ipsarum ordinationum in supplicatione, Pontifex saltem in genere potuerit cogitare Ordinatis huiusmodi non esse dictis institutis conformes, quandoquidem ad hoc, ut tanquam illis conformes obseruarentur non erat opus confirmatione, leg. qui iure D. de milit. testam. Cornelius consil. 20. numer. 14. lib. 2. Cassadorus decis. 1. de priuileg. Intentio autem confirmandi huiusmodi ordinationes, etiam non conformes dictis institutis, arguitur ex clausula derogante omnibus, ac in specie promissæ stabilitati, quatenus dictis ordinationibus non sint correspondentes, cum ea sit proprietas derogationis, ut licet non ampliet gratiam neque suppleat defectum intentionis, attamen declarat voluntatem, & intentionem Principis confirmantis seu concedentis. Baldus in leg. cum quem numer. 38. C. de fidei commiss. Felin. in cap. non-

nulli numero 27. de rescript. Rebuffus ad concord. in forma mand. Apost. Glossa in verbo non obstantibus versic. & nota, Surdus in consil. 303. numero nono & decimo libro tertio Rota decis. 532. sub numero sexto part. prima diuers. & fuit dictum in Romana pecuniaria 16. Martij 1627. coram Eminentiss. D. Cardinal. Verili impressa post tract. Moderni de iure Patronat.

Neque in eo versatur defectus intentionis Papæ quod inter alia confirmauerit ordinationem, habet quod omnes Religiosi dictæ communitatis sint communes, & nullus eorum dicatur, vel habeatur professus magis vnius quam alterius Monasterij dicti ordinis, sed legitima autoritate transmissus ad aliud quodcumque Monasterium eisdem communitatis, iisdem iuribus gaudeat, ac si inibi expresse emisisset, & professionem, & deinde subiuxerit illa verba, dummodo seruetur formula solita professionis cum additione antiqui rigoris, quæ ultra tria vota continet promissionem stabilitatis in loco, ut in formula descripta per Specul. sit. de Regul. in princip. & per Trullen. de canon. regul. lib. 1. c. 17. in fin. cui stabilitati cum requirat perpetuam permanentiam c. 1. & 2. 16. q. 3. maxime repugnat transmissio professorum de vno ad aliud Monasterium. Quia cum immediate post dictam clausulam, dummodo seruetur formula solita, sequantur verba, quatenus in aliis quam præfertur antiquis dicti ordinis institutis non repugnent; & nulla ratio possit assignari, per quam Papa voluerit in eadem dispositione excipere stabilitatem in loco indiuiduo, & simul admittere contrariam ordinationem transmissionis religiosorum de vno loco ad alium; utique ne à sapientibus redargui possint verba hæc confirmationis iuxta leg. Saluus Aristot. ff. de leg. præst. & leg. ex facto ff. de vulg. & pupill. dicendum est tam ordinationes quam dictam formulam cum additione fuisse limitatam ad antiqua instituta præterquam in expressis, in quibus tanquam non exceptuatis secundum naturam exceptionis firma remanet confirmatio leg. quæsitum §. denique ubi Bartholomæus ff. de fundis instruct. Dyn. in rubr. numero 16. de reg. iur. & declaratur intentio Principis volentis propositas ordinationes in expressis, licet primæuo instituto repugnant ad not. Deci. in leg. 1. numer. 25. ff. de reg. iur. Alexand. consil. 117. numer. 19. lib. 2. Greg. decis. 509. n. 3. ita ut promissio stabilitatis iuxta prædictas ordinationes intelligi debeat de stabilitate in congregatione communitatis iuxta secundum caput distinctionis Calder. in consil. 23. de regul. & decisionem in hac causa factam 10. Ianuarij anni præteriti.

Præterea non obstat quod per prædictas ordinationes non conformes primæuo insti-

tuto præiudicetur ordini qui admissa diuersitate professionum patitur scissuram, cui malo sit tempestiue occurrendum iuxta *text. in cap. licet. de vitanda de elect.* quia huic malo sufficientem cautelam in eiusdem ordinationibus adhibitam esse constat ex eo, quod statutum fuit, vt ab omnibus dictæ communitatis Monasteriis reuerenter agnoscat Abbas generalis, vti caput speciale à quo Vicarius eiusdem communitatis, suæ electionis tenetur petere confirmationem, & cui Abbati generali omnes Religiosi eiusdem communitatis tenentur promittere in professione obedientiam, vt in litteris, quod proculdubio tendit ad conseruationem vnitatis, & exclusionem scissuræ, quæ illi est contraria *cap. loquitur Dominus.* & ibi Glossa 24. *quest. 1.* quod etiam in decisione huius causæ 22. Aprilis 1630. fuit comprobatum.

Minus obstat, quod ex professione cum dictis ordinationibus compatibili inducatur relaxatio disciplinæ, quæ alias potius retinetur à religiosis obseruantibus stabilitatem in loco tanquam perpetuum carcerem, quem admodum de Carthusianis dicitur, quam ab aliis habentibus occasiones vagandi in transitu de vno ad aliud monasterium. Quia huiusmodi transitus non temere, sed ex obedientia à superiore iniuncta secundum eiusdem ordinis constitutiones variis de causis, & plerisque casibus est præmissus ipsis Præmonstratensibus, ac etiam Carthusianis, qui promittunt stabilitatem in loco, sed claustram obseruant. Nauarr. *de Regular. comment. 4. num. 30. cum seq.* quinimo eiusmodi debet recenseri inter officia promptæ obedientiæ, quibus tanto magis exercentur Religiosi, quo pluribus successiue superioribus in diuersis locis coguntur obedire per ea quæ tradit Azor *inst. moral. lib. 12. cap. 13. quest. 3. in fin.*

Denique non obstant allegati defectus consensus Abbatis Generalis, & Conuentuum, qui pro oratoribus fuerunt in precibus Papæ porrectis nominati, & quod ex testibus constat de contrario, quodque respectu Religiosorum nominatorum non iustificetur eos esse professos in Monasteriis ibi enunciatis. Quia huiusmodi obiecta fuerunt quoque sublata in dictis decisionibus R. P. D. mei Duno. ex scripturis, quæ testibus præualere debent. Seraphin. *decis. 33. num. 7.*

Et ita vtraque &c.

Reu. P. D. Verospio Tullen. Reformationis Veneris 14.
Maij 1632.

ARGUMENTVM.

De Remissoria. Multi casus in quibus non admissitur.

DECISIO.

IN tertia instantia in qua pendeat coram me, hæc causa petebant Abbas, & Capitulum generale Præmonstraten. remissoriam, vt probarent, tam subreptionem litterarum reformationis, quas primum sub Paulo V. & deinde sub Gregorio XV. impetrauerat communitas antiqui rigoris, & quas in aliis omnibus instantiis semper dixerunt Domini fuisse iustificatas. Cum vero dubium super illius concessione hodie proposuerim, responderunt Domini denegandam esse dictam remissoriam, ex eiusdem ferme rationibus, quas vel considerauerunt in aliis instantiis pro iustificatione eorundem litterarum, vel etiam sub particulari dubio, & in decisione R. P. D. mei Duno. zetti 4. Jul. 1629. cum coram eo eadem remissoria peteretur.

Etenim decem dati fuerunt articuli, & primi tres respiciebant superioritatem capituli generalis in omnes huius ordinis Religiosos, etiam in ipsum Patrem Abbatem generalem, & contradictionem ac oppositionem, quam idem Capitulum fecerat primum Cōgreg. erectæ sub nomine S. Mariæ Maioris Mussipōtanæ, ac deinde huic communitati, quæ dicitur antiqui rigoris, sed primo, & secundo articulo respondit decisio, quod poterant probari per scripturas, quo casu frustra petitur remissoria. Felin. *in cap. 1. de appellat. Ægidius decis. 9. in princ. & decis. 496.* Rota *dec. 46. de test. in antiq. & dec. 10. in fi. de offic. deleg. in nou. dec. 3. 4. n. 1. p. 1. & dec. 45. n. 2. p. 2. recent.* & vtriusque huius articuli irrelevancia ex eo apparebat, quia non impugnabatur iurisdictio, & suprema Capituli autoritas in vniuersum hunc ordinem, imo in alia decisione, quæ facta fuit coram eodem anni 1629. hanc eandem autoritatem, & Iurisditionem Capituli generalis ostensum fuit sublata nou fuisse per litteras reformationis, ea vero contradictio, quam fecerat capitulum in erectione Congregationis Mussipōtanæ, neque poterat releuare cum illa oppositio ordinata fuerit occasione Litterarum Pauli quinti, quæ per posteriores Litteras Gregorij decimi - quinti. fuerunt reformatæ, & habuerunt etiam executionem, vt hoc pariter animaduersum fuit in alia decisione facta 22. Aprilis millesimo sexcentesimo trigesimo. Tertius demum articulus in quo dicebatur, vt hæc communitas non solum vnquam fuerit approbata, sed reprobata

reprobata ab eodem capitulo generali, vbi primo habuit notitiam illius erectionis; neque poterat admitti non solum, quia hæc contradictio poterat probari per scripturas & acta Capitularia, sed quia contrarium etiam probatur ex eisdem actis capitularibus, & publicis scripturis, quas in eadem decisione anni 1630. Rota considerauit, & dixit satis ex illis constare de approbatione Capituli posteriorum litterarum Gregorij XV. & consensu eiusdem Capituli pro erectione huius Communitatis, & ita vt non deberet super hoc articulo concedi remissoria non solum id suadebat ea probatio, quæ poterat haberi ex scripturis, sed etiam quidquid asserbatur in eisdem scripturis, cum contrarium continerent eius, quod proponebatur in ipsis articulis. Cardinal. Seraphinus *decif. 1460. numer. 3. Rota decif. quadragesima quinta numer. 2 & decif. 589. numero primo in fine part. 2. recent. in Lucana iurispatr. 31. Martij 1631. & in Cæsaraugustana præminentiarum 19. Ianuarij 1629. coram R. D. meo Decano.*

In quarto articulo continebatur prima huius ordinis instituta, & rigor antiquæ disciplinæ, & in quinto deducebatur, quod hæc communitatis, licet ab antiquo rigore nomen sumpserit non tamen seruabat, ea quæ idem primus rigor præcipiebat, sed neque hi duo articuli poterant dici releuantes, cum primus qui poterat etiam probari per scripturas præsertim dum statutorum, & antiquarum constitutionum fiebat mentio in eodem articulo, vt præter decisionem factam in hac causa 4 Iulij 1629. consideratum fuit in Aquitantiem. Commendæ 18. Aprilis 1622. coram bon. mem. Vbaldo, & apud Bellamerum *dec. 384.* non posset ad rem pertinere, quia eorum solum institutorum ordinis poterat ratio haberi, quæ non apparebant sublata per litteras Reformationis propter illam clausulam positam in eisdem litteris, quatenus in aliis quam, vt præfertur, antiquis dicti ordinis institutis non repugnent; ex qua inducta fuit derogatio aliorum quæ erant contraria litteris Reformationis, vt consideratum fuit fere in omnibus decisionibus factis in hac causa, & in specie in dicta decisione 22. Aprilis anni 1630. & in alia 10. Ianuarij 1630. coram eodem Reuerendiss. P. D. meo Dunogetto & 6. Februarij proxime præteriti coram Reuerendiss. P. D. meo Montmanno, ex quo deducebatur etiam irrelevantia quinti articuli: quia aut id, quod in eodem articulo dicebatur, vt religiosi antiqui rigoris non seruarent prima Ordinis instituta intelligi debebat, quod contrauenirent antiquis constitutionibus in iis, quibus litteræ Reformationis erant eisdem

constitutionibus contrariæ, & nihil profutura erat hæc probatio, si solum haberi debebat ratio eorum, quæ mandabant seruari eadem litteræ. Aut hæc eorundem Religiosorum negligentia in seruandis, custodiendisque antiquis legibus intelligi debebat etiam de iis de quibus nihil dictum fuerat in litteris Reformationis, & neque aliqua ad hoc opus erat probatio, cum non ideo possent notari litteræ Reformationis vitio subreptionis, & pro earundem constitutionum obseruatione agere posset tam capitulum generale quam Abbas, immo concessum eisdem fuerit mandatum de manu tenendo ad hunc effectum, vt possent cogere reformatos, vt eisdem legibus, & constitutionibus obtemperarent in decisione facta coram R. P. D. meo Dunogetto 10. Aprilis anni 1628.

Sextus, & septimus articulus continebant quod cœnobium Viridunen. S. Pauli, & monasterium Saliuæ vallis nunquam acceptauerint leges huius Reformationis, & quod ij Canonici Præmonstratenses qui in litteris Gregorij nominantur Oratores essent professi in Monasterio Mussipontano. Et ex utroque articulo deducebatur nullitas gratiæ, & litterarum Reformationis quæ fundabantur in expresso consensu eorundem Monasteriorum, sed hi articuli, vel poterant probari per scripturas, vt septimus, cum in eodem articulo esset sermo de professione solemniter emissa in manibus proprii Abbatis cum certa, & expressa promissione stabilitatis in loco, cuius probatio poterat haberi ex instrumento eiusdem professionis secundum formam traditam per Speculat. *in tit. de regul. paragrapho primo numero secundo*, vel non poterat contra eos articulos, & in specie contra sextum admitti hæc probatio, quia vt vtrumque Monasterium Saliuæ vallis, & sancti Pauli acceptauerint non solum, sed seruauerint litteras Gregorij ab anno 1621. quo tempore impetratæ fuerunt vsque in præsentem diem, deductum, & probatum fuit in omnibus instantiis, vt apparet ex decisione R. P. D. mei Dunogetti 18. Iunij, & 4. Iulij 1629. & R. P. D. mei Montmanni. 6. Febr. 1631. datum etiam hodie fuit instrumentum in quo per Abbates, & cœnobitas eorundem Monasteriorum constitutus fuit Procurator Pater Claudius Morizet pro defensione huius causæ, & litterarum Reformationis.

Contra tres alios articulos qui supererant plura opponebantur. Cum enim in illis assereretur, vt Abbas Generalis, dum primas leges huius communitatis sua subscriptione approbavit, esset vltimæ vir senectutis illisque se subscripserit, quamuis non legisset earum tenorem, aut sciisset, quid eis

continere, & ideo reuocauerit eandem suam subscriptinam, cum primum cognouit se dolo circumuentum, & quod nunquam postea aliquod mandatum dederit aut approbauerit quouis modo ullam personam quæ suo nomine impetraret à sede Apostolica confirmationem earumdem constitutionum. Primum visum fuit non conuenire ut hæc per Religiosos viros proponerentur de persona sui Abbatis, cuius prudentia & cõsilio regebatur vniuersa Religio. Deinde probationes contrariæ huic factæ quod proponebatur, adductæ fuerunt in iam dictis decisionibus 4. Iunij 1619. coram R. P. D. meo Dunozetto, & 6. Februarij 1632. coram R. P. D. meo Motmanno, cum præter eam subscriptionem aliis pluribus scripturis; & instrumentis constaret approbatam fuisse ab eodem Abbate hanc reformationem, & quod coram Episcopo Trullensi executore litterarum Apostolicarum, in quibus confirmabatur erectio huius communitatis institerit pro executione earumdem litterarum ex quibus materia primi articuli vel ostendebatur minus vera, vel saltem maxime verisimilis, cum si primi sui facti, & subscriptionis Abbatem pœnituisset, non petiisset eiusdem Reformationis, & litterarum Apostolicarum executionem, ex quo etiam capite inuerisimilitudinis denegari solet remissoria *cap. quia verisimile de presump. Speculat in tit. de probat. §. nunc dicendum numer. 1. Rota decis. 23. de test. in antiq. & decis. 92. numer. 1. & 3. part. 4. diuers.* Demum decimus, & vltimus articulus, ut idem Abbas nunquam elegerit, vominauerit, aut approbauerit personam aliquam pro obtinen. à sede Apostolica confirmatione eiusdem Reformationis; quando contra ipsum non etiam posset deduci contraria probatio, ex scripturis poterat videri omnino improbabilis, tanquam continens negatiuam non restrictam loco, aut tempore; super qua impossibile erat, ut testes deponerent, secundum Gloss. in *cap. bona memoriae 23. in verbo. per rerum naturam de elect. & ibi Abb. numer. 13. Dec. in capite. Quoniam contra numer. 5. & 4. de probat. Baldus in cap. 3. loco numer. 3. eodem tit. Alexand. conf. 65. num. 5. lib. 1. Rota decis. 325. n. 9. coram Gregorio.*

Et ita, &c.

Coram eodem in eadem Lunæ 5.
Ianuarij 1631.

ARGUMENTVM.

De reformatione Ordinis Præmonstratensis. An in illius confirmatione derogatum fuerit voto stabilitatis in loco.

REpropofui hodie dubium super confirmatione sententiarum Rotalium, postquam denegata fuit remissoria in hac causa, quam petebant Abbas, & capitulum generale Præmonstratense ad ostendendam subreptionem litterarum reformationis quas iustificatas esse dixerunt eadem sententia, & pro confirmatione earumdem sententiarum, considerarunt Domini eadem fere, quæ in aliis disputationibus, & propositionibus huius causæ deductæ fuerunt coram RR. PP. DD. meis Dunozetto, & Motmanno. Primum enim, ac præcipuum fundamentum, quod adducebatur cõtra easdem litteras ex diuersitate formæ professionis, quam emittere debebant reformati in noua hac communitate & congregatione quæ fuit approbata, & cõfirmata in dictis litteris, sublatum fuerat tam in decisione R. P. D. mei Dunozetti 10. Ianuarij 1631. in qua late probatum fuit, quod voto stabilitatis, super quo dicebatur cõsistere hæc diuersitas formæ vtriusque professionis, fuerat derogatum, quæ in *dec. 6. Febr. 1632. coram R. P. D. meo Motmanno*, in qua ostensa fuit necessitas eidem voto derogandi. Nã quod remissa fuerit eadem stabilitas, legebatur id ipsis litteris Reformationis, in quibus post approbationem, & confirmationem factam omnium legum, & constitutionum, quæ conditæ fuerant in institutione, & erectione nouæ huius communitatis sub ea conditione, dummodo in iuramento, quod ab his religiosis præstari deberet in eorum professione seruaretur solita Professionis formula, addita fuit eidem conditioni hæc exceptio. Quatenus non repugnaret in statutis eiusdem ordinis ab aliis quam in superius expressis, & magis in specie eidem voto fuit etiam postea derogatum per clausulam, non obstantibus, positam in fine earumdem litterarum, sub qua facta fuit præcipua, ac particularis mentio huius voti stabilitatis, ex hac enim vltima derogatione cessare poterat omnis dubitatio, quæ fiebat ex superiori clausula (dummodo) an scilicet per eam intelligi deberet restricta tota gratia, iuxta ea quæ notat Mandos. *ad regulam de non tollen. iur. quasit. quest. 2. numero tertio* Rebuffus *in praxi tit. de signat. Grat. num. 23. & super 21 part. Signat. numer. 35. & super 3. part. in verbo. quod obstantia Oratoris numer. 13. & 14. Rota decis. 208. numer. 2. part. 2. recent. & coram Reuerend. D. meo Decano decis. 361. numer. 7.* quia non solum eadem clausula, & restrictio intelligi debebat in aliis, quam in iis quæ expressa fuerunt, quæque si per eam clausulam quæ vim dicitur habere conditionis suspensivæ sublata censerentur, inanis esset gratia iuxta *consil. Oldrad. 130. in fine,* quod

quod sequuta fuit decisio facta in hac causa 22. Aprilis 1630. & tradit Sarnen. *ad Regulam de iur. quest. qu. 1. num. 41. Put. decis. 133. num. 1. lib. 3.* Præsertim dum ea expressio facta fuit in ipsa restrictione, sed cum hic eadem expressio, & derogatio, quæ præcisè & expressis verbis facta fuerat eidem stabilitati posita etiam legeretur in eisdem litteris post illam clausulam, dummodo siue conditionem, in qua præseruata fuerunt veteris ordinis instituta, tanquam posterior potius interpretari debebat præcedentem illam conditionem, quam ab illa declarationem recipere. Mohed. *decis. 17. de præbend. Cassad. decis. 5. num. 3. eodem tit. Put. decis. 208. lib. 1.* & fuit præterea eidem voto derogatum, quatenus concessum fuit Monachis ius transeundi ad monasteria reformatà, & inter eadem monasteria concessa fuit rerum omnium communio, ita vt (sicut dicitur in eisdem litteris) omnes reformati, non magis vnius, quam alterius monasterij Monachi dici deberent, ex quibus satis dici potest constare de ea Pontificis mente derogandi eidem stabilitati, propter repugnantiam, quam habere hæc omnia videbantur, cum ipso voto stabilitatis, vt in similibus ferè terminis arguit Cardinal Cabarel. *cons. 136. n. 11. & 12. Anchar. cons. 188. n. 6. Olasc. decis. Pedemon. 141. nu. 5. Ruin. cons. 76. n. 4. lib. 5.*

Ex his deduci poterat etiam necessitas derogandi eidem voto, quia cum non omnia cœnobia, & Abbates huic reformationi, se subiicerent, sed solum aliqui, qui instabant pro reformatione, & qui in decisionibus factis Canonizati fuerunt pro oratoribus, sicut in aliis Monasteriis non potuisset induci hæc reformatio dissentientibus eorum Abbatibus, ita vsu huius gratiæ reformationis priuari non debebant, si qui Monachi in dictis Monasteriis vellent huic reformationi nomen dare, & propterea huius Congregationis constitutus fuit caput Abbas Generalis vniuersi Ordinis Præmonstratensis, vt non solum esset sicut in dictis litteris reformationis, is, quem omnes reformati agnoscere tenerentur tanquam præcipuum, ac peculiare caput totius communitatis, sed cum etiam esse deberet, caput vniuersale totius ordinis, vt intelligeretur hoc ius amplectendi reformationem datum fuisse vniuersæ Religioni. Vnde etiam in dictis litteris sæpius idem Abbas appellatur non solum caput totius ordinis, sed reformatior Generalis, & tam in litteris Pauli V. quam in constitutionibus factis in capitulo Generali data fuit etiam hæc facultas omnibus eiusdem ordinis Professoribus, vt dictam reformationem amplecti, & sequi possent, vt late deductum fuit, & probatum in

prima decisione huius causæ coram R.P.D. meo Dunogetto 30. Martij 1629. & in hoc sensu posset etiam dici, quod sicut hæc communitas antiqui rigoris, quamuis plura sub se continere deberet Monasteria, tamen tanquam vnicum corpus considerari debeat, dum vni capiti subiiciebatur, ita penes Abbatem Generalem, qui futurus erat caput eiusdem communitatis esse debebat ius, ac potestas aggregandi sic profitentem vniuerso ordini iuxta *notat. in cap. porrect. de Regular. vbi Innocent. num. 4. Abb. numer. 6. & 12. Ioann. Andr. num. 4. Anchar. num. 9. Bero. in cap. in present. de probat. numer. 546. Cardin. Zabar. consil. 106. Roderic. quest. Regul. tom. 3. quest. 17. artic. 11. & 12. ita vt retenta fuerit eadem stabilitas saltem in ordine ad ipsam Congregationem, & intrare deberent, ea quæ de secunda professionis specie considerauit decisio R.P.D. mei Dunogetti, dicta die 10. Ianuarij 1631. ex cons. Calder. 23. de Regular. cuius Concilij distinctionem reassumunt Abb. in cap. in present. num. 65. But. num. 64. Bero. num. 543. de probat.*

Alterea ea quæ præcipua obiectio, quæ fiebat contra litteras reformationis erat, quod falso expressum fuerit, & suppositum in eisdem litteris, vt pro ea reformatione supplicauerint, Monasterium Sancti Pauli Ciuitatis Viridunen. ac Monasterium Saluæ vallis, dum qui enuntiabantur Monachi eiusdem Monasterij per professionem emissam, secundum veterem formulam in Monasterio Mussipontano, non poterant esse filij nisi eiusdem Monasterij. Verum licet hæc exceptio visa fuerit releuans, cum proposita fuit in dubio super concessione remissoria, ac propterea dictum fuerit, quod ea qualitas professionis, & affiliationis in certo, ac peculiari Monasterio poterat probari per scripturas eiusdem Monasterij in quo dicebantur ipsi Monachi professionem emisisse, hodie tamen ex probationibus, quæ datæ fuerunt in disputatione huius dubij pro parte communitatis visa fuit eadem exceptio penitus, & omnino tolli. Nam quantum ad Monasterium Saluæ vallis nomine eiusdem Monasterij dicitur hanc reformationem petiisse etiam Ioannes Gomberaux, illius Abbas, & ita nihil referre potest, an qui postea enunciantur Monachi eiusdem Monasterij videlicet, Claudius Moriset, Petrus Thienuil, & Ioannes Colart, fuerint Monachi in eodem Monasterio, cum satis sit, vt sustineatur ea petitio tanquam facta nomine Abbatis, vt nomine totius Conuentus etiam facta censeatur propter mandatum præsumptum, quod habet à suo Monasterio, cui præest *capit. 2. de donat. cap. edoceri*, cum ibi *not. de rescript.*

Abb. in capit. ea noscitur de iis qua sunt à Pralatis sine consensu capituli num. 8. Nauarr. consil. 1. eodem tit. Aufer. ad Capell. Tholos. dec. 79. ita onus contrarium probandi, quod id factum fuerit à solo Abbate sine consensu suorum Monachorum, ad ipsos Monachos spectare debeat, cap. ea noscitur. & ibi, Glossa de iis, qua sunt à Pralatis, sine consensu capituli. Innoc. num. 2. Ioan. Andr. nu. 7. Compostellan. in cap. cum dilectus de consuet. Federic. de Sen. consil. 259. num. 2. Quo vero ad Monasterium Sancti Pauli, constat in eo non solum fuisse institutum, & inductum vsu Reformationis ab Abbate Generali anno 1620. atque ita per annum, ante confirmationem factam eiusdem Reformationis in litteris Gregor. sed acceptatam fuisse eandem reformationem à Philippo de Pelue eiusdem Monasterij Abbate commendatario, primum per instrumentum mandati procuræ facti in personam Petri de Sabanz, qui enunciatur in litteris Monachus eiusdem Monasterij, quique propter officium Prioris, quod in eodem Monasterio exercebat, gerebat ibi vices Abbatis ad consentiendum dictæ reformationi eodem anno 1620. ac deinde anno 1628. in alio mandato dato P. Claudio Morizet, Procuratori Communitatis Reformationis ad tuendam, & defendendam hanc causam reformationis, ex quibus facti circumstantiis sublata visa fuit hæc exceptio, præter alias responsiones, quæ data fuerunt in decisionibus R. P. D. mei Dunoz. 18. Iun. 1629. & 22. Aprilis an. 1630. vt potuerint Monachi, quorum nomine petita fuit reformatio per translationem fieri filij alterius Monasterij ab eo in quo professionem emiserant propter supremam auctoritatem capituli generalis, à quo non solum fieri potuit, sed facta etiam fuit eadem translatio.

Et ita, &c.

Coram eodem in eadem Lunæ 20.
Decembris 1632.

ARGUMENTVM.

*Eadem materia hic tractatur, quæ in supra
posita decisione,*

DECISIO.

IN decisione, quæ facta fuit in hac causa 15. Iunij proximi præteriti, cum ageretur de iustificatione gratiæ, & litterarum reformationis, quas ex concessione Gregor. XV. obtinuerant aliqua Monasteria Ordinis Præmonstratensis, ex duobus potissimum fundamentis, visa fuerunt Dominis eadem

litteræ iustificatæ, respondendo duabus præcipuis obiectionibus & capitibus subreptionis, quæ contra easdem litteras, tunc proponebantur, pro parte Abbatis, & capituli generalis, primum fuit fundamentum, quod obesse non poterant, ea quæ tunc dicebantur super diuersitate formæ inter vtramque professionem, eam scilicet, quam præscribebant antiqua instituta ordinis, & eam, quam in noua hac communitate, & Congregatione emittere debebant reformati, dum voto stabilitatis in loco, (quod solum votum secundum nouam formam professionis non promittebatur,) nominatim & in specie derogatum fuerat in eisdem litteris. Alterum fuit fundamentum, quod probaretur consensus duorum Monasteriorum, quorum nomine dicebatur petita in eisdem litteris, hæc reformatio, cum nomine Monasterij Saliuæ vallis pro eadem reformatione supplicasse legeretur Ioann. illius Abbas, (quod satis erat, vt diceretur probatus consensus Monachorum eiusdem Monasterij, cum mandatum iura præsumerent in Abbate) respectu verò Monasterij Viridunensis Sancti Pauli constaret de mandato dato à Monachis eiusdem Monast. rã ante impetratam gratiã confirmationis dictæ reformationis, cum primum eadem reformatio induci cæpit in aliquibus Monasteriis auctoritate Abbatis generalis, quam post dictas litteras, & gratiam Gregorij in quibus concessa fuit confirmatio eiusdem reformationis.

Omissio primo fundamento super quo post dictam decisionem nihil ex parte Abbatis & capituli Generalis deductum fuit, cum constaret de derogatione eius voti, & promissæ stabilitatis non solum in genere, quatenus inter alias leges, & constitutiones, quæ in dictis litteris confirmatæ fuerunt, vna erat, vt qui hanc reformationem in posterum secuturi essent, cenferi deberent nõ magis Monachi vnus, quam alterius Monasterij, sed nominatim, & in specie, quod etiam deductum fuit in decisione coram R. P. D. meo Dunozetto 22. Aprilis anni 1630. impugnatus fuit in propositione hodie facta huius dubij, solus consensus eorum duorum Monasteriorum, quia cum admitteret decisio facta coram me, vt ea præsumptio, quæ videbatur esse pro Abbate Saliuæ vallis, vt à suo Monasterio mandatum haberit posset contraria probatione tolli pro hac probatione facienda, petita fuit compulsoria ad probandum, quod tam ij qui in dicto Monasterio, tunc erant, cum Ioannes eiusdem Monasterij Abbas petiit confirmationem huius reformationis, quam alij Monachi Monasterij Viridunensis, non essent professi in dictis Monasteriis.

Verum cum hæc exceptio proposita alias
fuisset

fuiſſet coram R. P. D. meo Dunoſetto fuit illi reſponſum in deciſione ſub die 18. Iunii anno 1629. quod licet qui enunciabantur Monachi in Monafterio ſancti Pauli, & Saliuæ vallis probarentur in aliis Monafteriis profeſſionem emiſiſſe, tamen potuerunt per translationem legitimè factam ex auctoritate ſuperioris fieri filij eorūdem Monafteriorum, quæ reſponſio ſicut nullam poteſt habere in iure dubitationem, vt ex *cap. licet quibusdam de Regularib.* probat eadem deciſio, & notant ſuper eodem capitulo Innoc. Hoſtienſis, & *gloſſ. in cap. ſane de regular.* ita hodie ex facto viſa fuit pleniffime iuſtificari. Hæc enim reformatio induc-ta fuerat auctoritate Abbatis Generalis in aliquibus Monafteriis, longe ante, quam illius confirmatio peteretur à ſede Apoſtolica, & hoc expreſſe narratum fuit in confirmatione eiufdem Reformationis conceſſæ à ſan. mem. Paulo V. & deductum in deciſione 30. Martij 1629. coram R. P. D. meo Dunoſetto, & hodie etiam iuſtificatum ex conſtitutionibus eiufdem Reformationis, & earundem conſtitutionum approbatione facta per Abbatem Generalem anno 1620. cum verò inter alia Monafteria quæ eandem Reformationem primum acceptarunt fuerint hæc duo, Monafterium ſcilicet Virdunenſe, & Saliuæ vallis, & propterea Monafterium Muſſipontanum ſanctæ Mariæ Maioris, & ex his Monachis qui in dictis Monafteriis tunc debebant, non omnes conſtitutiones huius Reformationis amplexi fuerint, poſiti fuerunt in eiſdem Monafteriis, auctoritate Abbatis Generalis, eorum loco, qui recuſarunt Reformationem ſequi, alij, qui ſub noua hæc communitate, quæ dicta fuit antiqui rigoris viuere ſtatuerunt, quinque in litteris Gregorij nominati fuerunt pro oratoribus, & id comprobatum fuit primum ex duobus instrumentis ceſſionis factæ cum auctoritate dicti Abbatis ab his Religioſis, qui antea in illis duobus Monafteriis debebant. Secundo ex duobus aliis instrumentis poſſeſſionis captæ eorundem Monafteriorum per Reformatos. Et demum ex actis capituli quod factum fuit anno 1620. & in quo iidem Reformati interuenerunt nomine, & tanquã filij eorūdem Monachorū. Ex hoc facto, quod ita ex publicis instrumentis comprobatum fuit, viſa fuit dominis ſatis iuſtificata ea qualitas narrata in litteris Gregorij quæ ſequenti anno 1621. conceſſæ fuerunt, vt ſcilicet nomine eorum Monafteriorum confirmatio Reformationis petita fuerit. Vel enim tunc cum pro eadem confirmatione ſupplicatum fuit non aderant in dictis Monafteriis quam Reformati: & non potuit haberi ratio aliorum, qui præſentes non erant, non ſolum ex hoc capite,

quod abſentes eſſent, vt habetur in *leg. reſcriptum 11. ff. de pactis*, & not. Archid. in *cap. præſentium de teſtib. lib. 6. argumento leg. Neratius 85. ff. de verb. ſignificatione*, & vbi Bald. num. 3. de *elect.* verum etiam quia per eam ceſſionem, quæ fuit ſuperioris auctoritate confirmata amiſerant iura quæ habebant in dictis Monafteriis, eademque iura acquiſita fuerant Reformatis poſt illorum translationem etiam factam auctoritate ſuperioris *§. ſi quis autem, & §. ſi verò relinquens Monafterium. Auth. de Monach. Caſtr. in leg. inter antiquam C. de uſufr. Lap. alleg. 61. num. 6. Speculat. in tit. de ſtat. Monacho. verſic. ſexto quaritur. num. 11.* vel aderant etiam in dictis Monafteriis alij Monachi præter Reformatos, & cum confirmationi quæ petebatur dictæ Reformationi non contradixerint non poteſt dici, vt contra eorum voluntatem eadem Reformatio petita fuerit, cum idem actus non contradicendi videretur eſſe loco ratihabitionis, ſiue tacitæ approbationis, licet factum aliquod poſitiuum non contineret, vt docet *gloſſa in leg. quo enim ff. rem rat. hab. & in leg. quoties. 2. ff. ad municip. cap. 2. de accuſat. lib. 6. gloſſa in clementina ſape §. quoniam de verb. ſign. & conſtituitur pro regula in cap. qui tacet. 43. de reg. iuris lib. 6.* & licet in his quæ præiudicio eſſe poſſunt, ita conſentienti aut operari effectum alicuius obligationis, non ſatis ſoleat eſſe hæc præſumptio conſensus, quæ ſequitur ex eo facto negatiuo non contradicendi propter rationem, quam ex capitulo ſequenti in *reg. is qui tacet*, colligunt doctores, vt ſcilicet ea taciturnitas non magis ad conſenſum quam ad diſſenſum trahi poſſit, adeo vt materiam broccardicam eſſe dixerit *Cyn. in leg. inuitus num. 6. Salicetus num. 4. C. de Procurat. Abb. in cap. nomine n. 1. circa medium, Felin. num. 5. de præſumpt.* & in terminis in quibus agatur de obligatione inducenda ex hoc ſolum, quod quis præſens non contradixerit voluerunt, *Dyn. in dicta leg. is qui tacet num. 3. per text. in leg. filius ſam. §. inuitus vbi gloſ. in verb. non probatur. ff. de Procurat. Bart. in leg. quæ dotis num. 22. ff. ſolut. matrim. Capra reg. 56. num. 51.* in terminis verò quod idem actus ſit ita conſentienti præiudicialis, tenuerunt *Dyn. ſuper ead. reg. num. 4. Felin. dicto cap. nomine num. 11. & in cap. cum M. Ferrarien. num. 34. de conſtit. Bellam. in cap. qualiter, de pact. & videtur colligi ex text. in leg. qui vas §. vetare, vbi gloſſa in verb. ignorat. & ex leg. Titio 35. §. Lucia ff. de leg. 2.* ceſſabat tamen hæc difficultas in caſu propoſito, quia cum tacitus ille Monachorum conſensus, qui forte præſentes fuerunt ſolum deducatur ad eum effectum, vt valere debeat gratia confirmationis huius reformationis reſpectu

eorum qui consenserunt, non autem, ut leges, & constitutiones eiusdem reformationis sequi teneantur alij Monachi, ex hoc solum, quod non contradixerunt petitioni factæ ab iis qui pro dicta confirmatione supplicarunt non poterat impugnari eadem gratia ex hoc capite, quod satis esse non poterit tacitus ille consensus, dum propter eundem consensum ad nihil ipsi Monachi obligantur. Quamquam neque res dici poterat esse in dictis terminis actus mere negatiui, cum ex dicto cessionis instrumento constaret, quod iidem Monachi, qui in dictis Monasteriis professionem emisissent, quique reformationem sequi recusarunt explicitè consenserunt, ut illa in dictis Monasteriis induceretur, & ita tollebatur ex facto non solum hæc difficultas, sed propter eundem dictorum Monachorum consensum, cessabat etiam quodcumque illorum præiudicium, quæ forte considerari potuisset.

Coram eodem in eadem Lunæ 2.

Maij 1633.

ARGUMENTVM.

Continet argumentum superioris decisionis.

DECISIO.

Agebatur in hoc dubio de confirmatione sententiarum Rotalium: & in tertia propositione hodie facta eiusdem dubij non solum repetitæ fuerunt eadem duæ obiectiones, quæ fuerunt sublatae in aliis duabus disputationibus sub die 5. Iulij & 20. Decembris anni 1632. quod scilicet non fuisset in litteris reformationis derogatum voto stabilitatis, & quod non constaret de consensu Monasteriorum, à quibus dicebatur petita eadem reformatio, verum etiam addita fuit tertia obiectio contra validitatem earundem litterarum, & gratiam dictæ reformationis propter mentionem in ea non factam iuris capituli generalis, quod scilicet illius dispositioni esset reseruatæ facultas derogandi, aut immutandi quidquid antiqua ordinis instituta iuberent, tam ex eiusdem ordinis constitutionibus, quam ex privilegijs Apostolicis illis concessis, ut propterea fuerit necessaria illa mentio ad excusandam gratiam à vitio subreptionis dū eas constitutiones & privilegia potuit Papa, qui gratiam dictæ reformationis concessit probabiliter ignorare tanquam constitutiones particulares ex notatis *in cap. ultimo de offic. Archid. cap. 1. de constit. lib. 6. cap. super litteris.* & ibi Felin. *num. 8. de rescript. in 3. reg. & fuit*

dictum in hac eadem causa, occasione alterius iuris competentis capitulo generali in decisione facta coram R. P. D. meo Dunz. 29. Nouembr. 1629.

Ex his tamen obiectionibus non putarunt Domini ostendi iniustitiam dictarum sententiarum, ut singulis satisfaciendo, tertio demum in hac causa responderūt. Quod enim eidem voto derogatum fuerit non vno in loco legebatur in gratia reformationis, imo ut in eadem decisione dicebatur necessaria fuit derogatio eiusdem voti, tam dum in dicta gratia concessa fuit facultas cuiuscunque Religiosis huius ordinis Præmonstratensis, ut reformationem amplecti possent, quod in necessarium antecedens, videbatur supponere, ut qui eidem reformationi, se subiicere volebant, possent desere antiqua Monasteria in quibus erant affiliati (cum non omnia Monasteria pro eadem reformatione instarent, sed solum Monasteria Sancti Mariæ Maioris Mussiponti, Sancti Pauli Virdunense, & Saluix Vallis,) quam dum fuit in iisdem litteris Abbas Generalis vniuersi ordinis Præmonstratensis constitutus, caput huius nouæ communitatis, & concessum Monachis in eadem communitate victuris, ut non esse deberent magis Monachi vnius, quam alterius Monasterij, & demum dum inducta fuit inter Monasteria reformata rerum omnium communio, cum hæc omnia, tanquam ea quæ simul esse non poterant cum voto stabilitatis necessario concluderent eiusdem voti derogationem, ut ipsa gratia inanis non esset, & fuit late deductum etiã ex dispositione iuris communis, ea tamen omnia, vel apparebant seruata fuisse, vel si fuerunt ommissa non poterunt nullam reddere ipsam translationem, quia cum eadem constitutiones loquerentur in statu in quo ante reformationem vigeat votum stabilitatis in loco, non poterat dici necessaria etiam secunda statuta reformationis, in qua eadem stabilitas nõ amplius in certo Monasterio, sed in vniuersa Religione promittebatur, cum semper quælibet dispositio intelligi debeat, dum antiquus rerum status mutatus non sit, & examinatis in specie omnibus, quæ dicebantur opus fuisse ad validitatem dictæ translationis, quatuor illa erant videlicet, quod Monachi ad nouum Monasterium transituri dimissi fuissent à tota Congregatione eius Monasterij, quod deserebant, quod obtinissent absolutionem ab obedientia, quam in primo Monasterio promiserant proprio Abbati, quod reciperentur in filios ab Abbate & maiori parte Monachorum eius Monasterij, ad quod fieri debebat hic transitus, & demum, quod in eodem Monasterio instauraretur professio, & votum obedientiæ

dientia promissa primo Abbati, quæ omnia, excepta noua professione, quæ tamen repetita fuit, cum inferri debuisset etiam ex dispositione iuris communis, vt habetur, *in cap. Abbatem de verb. signific. & ex eo notant Abb. num. 5. & in consil. 96. num. 4. in fine dec. in cap. praterca num. 6. de prob.* non poterunt in hac translatione seruari, cum enim antequam impetraretur à sede Apostolica confirmatio huius Reformationis, inducta fuisset eadem Reformatio tam in Monasterio Mussipontano, cui per professionem dicebantur fuisse affiliari Petrus de Sbans, Claudius Morizet, & Petrus Thienuille, quam etiam in Monasteriis Viridunensi, & Saliuæ vallis, pro quibus iidem Monachi dictam confirmationem petierunt; & leges eiusdem Reformationis induxissent, non solum communionem inter omnia Monasteria reformata, verum etiam iuberent vt obedientia præstaretur Abbati Generali, qui licet esset caput huius communis; hinc patet, quod vt ea translatio valere possit non requirebat nisi eiusdem Abbatis generalis auctoritatem, cum ipse esset Abbas vtriusque Monasterij, sicut etiam inde sequitur, quod ea quæ dicuntur tam de licentia Abbatis primi Monasterij quam de acceptatione alterius Abbatis in secundo Monasterio, non poterant conuenire in hoc statu Reformationis, in quo non dabatur hæc distinctio inter Monasteria reformata. Et faciunt ad horum quæ dicta sunt in confirmationem, quod hæc omnia potuit intelligere sanctæ mem. Greg. XV. qui confirmationem dictæ Reformationis concessit ex eo quod narratum fuit in litteris hoc genus viuendi sub obedientia Abbatis Generalis, quod seruabatur ex forma constitutionum, quam ex quo confirmatio earundem constitutionum petita fuit cum hoc nomen confirmationi supponeret existentiam, & obseruantiam dictarum constitutionum.

Nec dicatur vt valere non potuerit eadem translatio, eo quia illi qui erant filij eorum duorum Monasteriorum non cesserint libere iura, quæ habebant in dictis Monasteriis, sed assignatis sibi certis pensionibus præsertim cum in Monasterio Saliuæ Vallis aliqui ex Monachis qui dictam cessionem fecerunt, reseruauerint sibi vtramque vocem tam actiuam quam passiuam in futuris electionibus; quod repugnabat tam constitutionibus ordinis, quam dispositioni iuris communis, ex quo prohibitum est vt Monachus possit retinere, & habere iura in duobus Monasteriis *cap. si quis translatus 22. q. 1. cap. olim. de Relig. dom. glossa in cap. constitutus in verb. vocem de elect.* Quia præterea quæ in satisfactionem huius obiecti adducta

fuerunt in postrema decisione sub die 5. Iunij anni præteriti, vt tempore quo petita fuit confirmatio Reformationis non essent presentes in iis duobus Monasteriis alij Monachi præter eos à quibus eadem confirmatio obtenta fuit, & quod constaret de expresso consensu aliorum Monachorum qui erant in eisdem Monasteriis vt in illis hæc reformatio induceretur, pluribus modis crediderunt domini posse in hoc dubio euitari dictam obiectionem, & quia satis erat, quod tam cessio eorum qui prius inibi erant, quam translatio ad eadem Monasteria alium Monachorum processerint ex auctoritate Abbatis, ne possent ea quæ postea sibi inuicem promiserunt iidem Monachi, irritam facere dictam translationem, tanquam actus qui cum esset validus, & non solum adiecta reseruatione separabilis, sed omnino distinctus non poterant per actum in vtilitatem vitari, *arg. leg. 1. §. sed si mihi ff. de verb. oblig. leg. 1. §. item queritur, & §. Trebatius ff. de aqu. quot. & actin. cap. vtile 37. de reg. iur. lib. 6. quam regulam diffundi per omnes humanas actiones, & habere locum etiam in rebus spiritualibus aduertit Petrus Peck. in expositione eiusdem cap. vtile in 6. ex Innoc. in cap. cum ex officiis de prescript. & quia neque omnes reseruauerunt sibi eadem iura, sed duo solum Monachi in dicto Monasterio Saliuæ vallis. Immo quatenus conueniunt ij duo Monachi vt vsum vtriusque vocis habere possent, simul cum reformatis, & hoc iure prohibitum erat, non potuit idem pactum irritam facere dictam cessionem, & translationem, sed potius ipsum vitabatur, §. neque illum auth. de non alienan. & ex eo text. voluerunt Bald. in Auth. si quas ruinas num. 3. C. de sacros. Eccles. Castr. in Auth. qui rem num. 7. C. eodem tit. Felin. in cap. cum ordinem num. 2. de rescript. & in terminis reseruationis factæ à Monacho. Imol. in cap. cum M. Ferrar. num. 41. de constit. Iaf. in leg. non solum §. morte num. 20. ff. de nou. oper. nunc. & Auth. ingressi num. 30. & 37. C. de sacros. Eccl. & demum quia hæc gratia, & confirmatio Reformationis antequam expediretur fuit sæpius examinata in Congregatione Regularium, & de ordine eiusdem Congregationis ab Episcopo Viridunensi vt fuit consideratum in decisione 18. Iunij 1629. coram R. P. D. meo Dunozeo: in qua in specie ponderatum fuit, quod iustificabatur consensus Abbatis eiusdem Monasterij Saliuæ vallis, cuius consensus defectus adducebatur hodie ex parte Abbatis, & capituli Generalis tanquam præcipuum fundamentum ad probandam negatiuam, quod non interuenisset idem consensus. Et ex his visæ fuerunt Dominis cessare hæc duæ præcipuæ obiectiones quæ semper, &*

in omnibus disputationibus repetita fuerunt.

Ad tertiam verò obiectionem, de qua nunquam actum fuit, ut hæc noua statuta, & mutatio in Religione fieri non poterit, nisi de consensu capituli generalis propter privilegia eiusdem capituli, ne antiquis ordinis institutis derogari posset, sine illius consensu. Responderunt Domini, quod ex reformatione in dictis tribus Monasteriis suscepta nulla successit mutatio in Religione, nec quidquam ex causa eiusdem reformationis factum fuit contra Ordinis instituta, sed solum restitutus rigor antiquæ disciplinæ, cum id concludat ipsum nomen reformationis factum fuit contra Ordinis instituta, sed solum restitutus rigor antiquæ disciplinæ, cum id concludat ipsum nomen reformationis, ex qua res ad suum primum principium censeatur restituta *cap. ab exordio 35. dist. & notat Sanchez super præcep. decalog. lib. 6. c. 2. n. 27.* & sola mutatio voti stabilitatis, quæ ante reformationem promittebatur in certo Monasterio, secundum vero reformationem promitti debebat in vniuersa Congr. non poterat dici contra constitutiones ordinis, si omnia Monasteria reformata vnam Congregationem, & communitatem constituere debebant prout vnum caput eidem communitati fuit præpositus, nempe Abbas generalis vniuersi Ordinis Præmonstratensis, ut latè deductum fuit in prima decisione facta coram me 5. Iulij præteriti.

Et ita vtraque, &c.

R. P. D. Pirobano Brixnen.
Iurisdictionis Veneris 9.
Iun. 1634.

ARGUMENTVM.

Exemptio Regularium à Iurisdictione Ordinarij & illorum possessio ex quibus probetur.

DECISIO.

Domino Episcopo Brixinen. petente manutationem in quasi possessione exercendi Iurisdictionem Episcopalem super domo Regulari, eiusque RR. Mulieribus, de quibus agitur. Responsum fuit non esse dandam. Quia Patres Seruitæ exhibent titulum, & docent de possessione eorum Iurisdictionis super prædicta domo Regulari.

Nam etsi vera sit conclusio, quod Ordinarij habent fundatam intentionem de iure communi in Iurisdictionem omnium Regularium intra suam Dioccesim exi-

stentium *cap. penult. de relig. dom.* Glossa in *cap. conquærente in verb. Iurisdictionem de offic. ordin.* Dec. in *cap. fin. num. 6. in 4. notab. de confirm. vtil. vel inutil.* & etiam ex sola iuris assistentia in Iurisdictionalibus non soleat denegari manutentio Ordinariis, *cap. cum persona in fine de priuileg. in 6. Capic. decis. 189. num. 7. Seraphin. decis. 1449. num. 1. & in recent. p. 2. decis. 382. & 493. cum aliis allegatis.*

Attamen vera etiam est declaratio, quando allegatur titulus exemptionis, vel privilegium, & exhibetur, ac de possessione docetur, tunc Regulares dum cognoscitur de releuantia titularum in eorum libertatis vel exemptionis legitima possessione turbari non possunt, ut admittitur in secunda parte eiusdem capituli, cum personæ, *de priuileg. in 6. & comprobant Anchar. ibidem num. 2. Gemin. in §. fin. num. 3. & 4. Franc. num. 2. & Rota hanc declarationem semper est sequuta, utroque concurrente, nempe titulo, & possessione decis. 491. num. 4. & 5. & 685. num. 2. p. 1. & 682. num. 5. p. 2. recent. Seraphin. decis. 1278. in fine & 595. num. 3. & 4. idem fuit dictum in Aprutina iurisdictionis 9. Iunij 1606. coram D. Cardinal. Pamphilio in Constantien. iurisdictionis 16. Nouembris 1607. coram Episcopo Attrebaten. & in Laurentana iurisdictionis 2. Maij 1631. coram D. Durano Episcopo Vrgellen.*

Titulus autem ad hunc effectum per Religionem exhibitus visus fuit sufficiens, cum deducatur ex constitutionibus summorum Pontificum Urbani sexti, Innocentij Octaui & aliorum, in quibus nedum Fratres Seruitæ eximuntur à iurisdictione ordinariorum, & immediate sub protectione sedis Apostolicæ recipiuntur, sed & omnes sorores Mantellatæ, Pizocheræ, ac Tertiariæ nuncupatæ subiiciuntur Generali, & superiori ordinis, cum derogatione consilij generalis: quæ specialis protectio semper eximit priuilegiatos à iurisdictione ordinariorum *cap. ex parte il. 1. ibi priuilegium Nobis Apostolicum ostenderunt de priuileg. cap. si Papa eod. tit. in 6. cap. 2. ad integrit. restit. cap. cum tempore de arbitr. Decius conf. 152. num. 2. Put. decis. 115. in fin. lib. 3. Seraph. decis. 1025. num. 5. & seq.* Præterea desumitur idem titulus ex constitutionibus huius domus Regularis à sede Apostolica confirmatis, in quibus præsupponitur exemptio, & obedientia, & iurisdicatio debita Generali ordinis, & eius Vicario, & aliis superioribus assignata.

Non obstat, quod sorores huius domus Regularis non comprehendantur in dictis priuilegiis aut constitutionibus. Quia dum cognoscitur de comprehensione, non de-

bent

bent Seruitæ priuari eorum legitima possessione, secundum terminos eiusdem capituli cum personæ, *de privileg. in 6.*

Quo verò ad possessionem bene probatur ex actibus positivis qui dantur nempe ex visitatione facta per vicarium Generalem Ordinis sub die 20. Iunii 1627. sum. Religionis num. 16. in quo quatuordecim ordinationes factæ fuerunt concernentes utrumque statum temporalem, quæ procul dubio inferunt iurisdictionis exercitium, cap. conquerente de offic. ord. Socin. de visit. num. 4. versic. decimo quarto. Rota decis. 196. num. 2. p. 2. divers. dantur præterea admissiones ad habitum, & votorum emissiones in manibus superiorum Religionis, quæ propter obedientiam promissam, & subiectionem Patri Generali, probant iurisdictionem, Iserna deductum tam in ipsa decisione facta coram me, quam in decisione 22. Aprilis anni 1630. coram R. P. D. meo Dunogetto.

Neque ad hunc effectum visa fuerunt obesse ea quæ ex parte Abbatis, & capituli fuerunt sæpius considerata, quod scilicet tota hæc gratia restringeretur ab vnica clausula, & conditione, in qua pro forma requirebatur, vt in iuramento, quod in posterum contingeret præstari ab his reformatis, seruari deberet antiqua forma Professionis. Quod quidem fundamentum hodie confirmabatur ex originali ipsius supplicationis; in qua eandem clausulam non solum apparebat positam fuisse in parte dispositiua; quod potuisset satis esse ad hoc, vt per eam dici deberet restricta, tota gratia, cum eadem pars sola declaret, quod vere concessum fuerit, licet verbum fiat, ex quo ipsa gratia perficitur ad omnia referatur, vt scribit Rebuffus, in praxi tit. de signatura Grat. in 3. part. signat. in verb. quod obstantie Oratoris num. 13. Rot. decis. 642. numer. 3. part. 1. & decis. 208. numer. 2. part. 2. recent. vt propterea eadem pars vocetur etiam à Practicis dispositio vt obseruauit Rota coram Reuerendissimo domino meo Decano in vna Romana S. Thomæ 17. Iunii 1607. inter alias impressas, decis. 361. num. 5. verum legebatur eadem clausula ante perfectam orationem, & ante ipsum nomen confirmationis, ex quo approbata fuerunt statuta huius communitatis, ita vt regerentur ab vna, & eadem dispositione, tam ipsa prima ac principalis dispositio, quam hæc illius conditio, & restrictio inducta ex eadem clausula. Sed huic fundamento fuit etiam responsum in eadem prima decisione, quod post dictam conditionem, & clausulam posita fuit noua declaratio eiusdem conditionis, quatenus scilicet eadem forma antiquæ professionis non repugnaret cum institutis huius Ordinis præ-

terquam in expressis, quod idem perinde erat ac si dictum fuisset, vt ea restrictio intelligi ita deberet, vt non pugnaret cum iis, quæ superius concessa fuerunt, & est de natura reservationis, vt post Oldrad. conf. 230. in fin. tradit Sarnen. ad reg. de iur. quest. non tollen. quest. 1. num. 41. Put. decis. 133. num. 5. lib. 3. & præterea derogatum apparebat eidem voto ex clausula non obstantibus, posita in fine earundem litterarum, vt fuit in specie consideratum in decisione facta coram R. P. D. meo Dunogetto 10. Ianuarij 1631. quia cum in eadem clausula facta legeretur particularis, & præcipua expressio eiusdem voti stabilitatis in loco quæ stabilitas solum promittebatur secundum antiquam formam professionis, cessabat omnis difficultas, quæ fieri poterat ex eadem conditione, cum etiam satis esse potuisset vt aliquo modo constaret de voluntate Papæ derogandi eidem voto ex clausula. Quorum tenores, quæ ex stylo palatij continet plenissimam derogationem ad alias gratias, quamuis eadem gratiæ propter clausulas derogatorias derogatarum requirerent etiam ipsæ particularem, & expressam mentionem in derogatione, quæ de illis fieret, vt de hoc stylo post Butrium in consil. 2. & Cassador. in decisione 2. super regul. attestantur Felin. in cap. nonnulli num. 7. de rescript. Gabr. de claus. concl. 9. num. 12. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 36. num. 29. & fuit resolutum coram Greg. decis. 109. num. 10. & in decis. 666. num. 2. p. 1. recent. & in Cæsar-Augustana dismembrationis 29. Nouembris 1627. coram R. P. D. meo Pirouano.

Altera obiectio erat super defectu consensus duorum Monasteriorum, à quibus petita dicebatur confirmatio huius Reformationis Monasterij scilicet Viridunensis Sancti Pauli, & Monasterij sanctæ Mariæ Maioris Saliuæ vallis. Et hæc obiectio duplici modo in hoc dubio proponebatur, cum & negaretur, vt ij quorum nomine data fuit supplicatio, essent Monachi in Monasteriis, & daretur expressa contradictio illorum Monachorum. Verum ea ex quibus dicebatur probari eadem contradictio non visa fuerunt dominis aliquam fidem facere, non solum quia scriptura ad hunc effectum data, erat scriptura penitus informis, sed quia nihil officere poterant, quæ in eadem scriptura continebantur, cum esset solum simplex libellus datus nomine Reformatorem Abbati Generali contra quosdam Monachos qui licet tunc non essent in Monasterio Saliuæ vallis sed residerent in suis Beneficiis quorum curæ præerat iuxta dispositionem, cap. quod Dei timore de stat. Monacho. tamen asserabant se filios eiusdem Monasterij, & de facto interuertere tenta-

runt possessionem, quam illius Monasterij obtinuerant Abbas Gumberbaux, & alij Monachi reformati. Quod factum, cum aliunde non iustificaretur, quam ex eo libello, in quo hæ præensiones dictorū Monachorum impugnatione narratæ fuerunt visum fuit præterea pendere ab inspectione alterius articuli, in quo dicitur de validitate cessionis dicti Monasterij factæ à Monachis qui tempore eiusdem cessionis verè in eo erant.

Quantum vero attinet ad personas Monachorum qui se inscripserunt, & fecerunt Monachos eorum duorum Monasteriorum visa fuit obiectio in hac parte tolli ex his, quæ fuerunt considerata in secunda decisione facta coram me 20. Decembr. præteriti: quod scilicet, tunc cum petita fuit ea gratia & confirmatio verè probaretur, ut quorum nomine porrectæ fuerunt pro eadem gratia obtinenda essent Monachi in eisdem Monasteriis, licet ante essent filij Monasterij Mussipontani propter professionem in eo emissam.

Neque contra hoc fundamentum, quod in eadem decisione constitutum fuit, oblatre poterant ea, quæ dicebantur, tam contradictam cessionem ex qua possidere cœperunt Monachi, hæc duo Monasteria, quam contra validitatem translationis factæ in vim eiusdem cessionis. Quia licet, ut ea translatio & cessio valere potuissent plura requirerentur tam ex particularibus constitutionibus huius ordinis Præmonstratensis, quæ etiam Isernia, Aluarottus, & alij in c. 1. qualiter vassalus præstari debeat Domino fidelitatem. Nat. conf. 636. n. 65. l. 4. ac demum dantur confirmationes factæ per Vicarios General. Ordinis quoad sorores, quæ in eadem domo solèt officia exercere, qui actus confirmandi officiales electos semper pendunt à iurisdictione ordinaria superiorum, vel delegata à sede Apostolica per privilegia ac constitutiones Sum. Pont.

Non obstat, quod ordinariis denegetur manutentio contra allegantem titulum, & possessionem, solummodo quando nituntur sola iuris assistentia: sed quando ex parte eorundem concurrunt etiam actus possessorij, ut in præsentis præsupponitur, tunc non esse denegandam manutentionem in quasi possessione Iurisdictionis. Bald. in cap. querelam n. 23. in fi. de elect. dicens per actum minimum conservari totum, & idem videtur formatum in Theatina Iurisdictionis, quæ est 32. p. 2. recent.

Quia cum actus dati pro Domino Episcopo fuerint expressè contradicti, vel pro parte sororum, vel pro parte Religionis, & causam licitè dederint, nulla potuit ex eis acquiri alià possessio, Rota decis. 165. n. 1. part. 4.

diuers. & 30. n. 1. p. 2. recent. Afflict. decis. 395. num. 7.

Nam visitationi anni 1628. 13. Ian. fuit contradictum, & seu potius dissentientibus Priorissa, & aliis sororibus fuit admittæ, & de ea non constat nisi ex relatione commissariorum, quibus absque testimonio Notarij de actibus visitæ rogati, non solet plena fides adhiberi. Annibal Rochus de visit. in verb. creare posset fol. 304. Lucas Antonius Resta in directorio visitat. capite quinto.

Litteræ pariter Archiducis Leopoldi non conferunt ad probationem æcus possessorij, quia vigore illarum Ordinarius Iurisdictionem in domo prædicta nõ exercuit, nec exercere poterat, ex quo in eiusdem reseruatæ fuit articulus Iurisdictionis inter eundem Ordinarium & Seruitas per Sedem Apostolicam decidendus, cum qua reseruatione cessabat facultas ex litteris prætensa.

Et ita utraque, &c.

R. P. D. Pirouano Vlixbonen.

Iuris conferendi Lunæ 17.

Decembr. 1635.

ARGUMENTVM.

De Tertiariis Ordinis S. Francisci, tam secularibus, quam Regularibus, ius conferendi illis habitum, ad quos spectet.

DECISIO.

Causa repropoſita, conclusum fuit standum esse in decis. 25. Maij præteriti.

Quoniam verum est, fratres de obseruantia ab origine, & initio ordinis, viuente Seraphico Patre, & post eius gloriosum obitum contulisse Tertiariis habitum, & in hac consuetudine fundare intentionem contra Regulares Tertiarios, nam decisio, quæ reuideretur, ponit trinum ordinem à Seraphico Patre emanatum ab anno 1208. scilicet, fratrum, mulierum, & tertium de pœnitentia nuncupatum, certis Regulis Fratribus, & mulieribus præscriptis, & inde ab Honorio tertio confirmatis, Tertiariis vero non Religionem, sed certum viuendi modum, & vestiendi honestum præscripsit, qui à Nicolao quarto, sub aliis Regulis distinctus fuit & approbatus, ac demum ducentis annis & ultra elapsis, sub Leone decimo Regularis Ordo Tertiarius fuit erectus & confirmatus.

Pro Tertiariis, secundum distinctionem trium

trium temporum ab eisdem præmissam, idem in primo tempore narratur ab Origine vsque ad Nicolaum I V. qui Regulam per modum, & tenorem per Sanctum præscriptam confirmauit, & in eo quod dicitur seraphicum Patrem suo tempore multis habitum contulisse, testatur sacri ordinis Chronicæ nempe Episcopus Portuen. *in parte secunda. Chronicarum Minorum lib. 2. cap. 33. fol. 216. & lib. 9. cap. 1. Episcopus Mantuanus Gonzaga in sua Chronica part. 1. §. cum autem fol. 3. Miranda super Regul. Tertiariorum capit. 13. vsque ad cap. ult. & fuerunt qui habitum ab eodem sancto receperunt, vt aliqui inter cæteros recensentur ultra integrum populum de Carniero de quo in prima part. Chronicæ Portuen. lib. 2. fol. 217. necnon alios relatos à Miranda super regula Tertiariorum cap. 13. pag. 170. & 73. & eisdem historiis ab anno 1222. vsque ad annum 1531. B. Bona. Bartholomæus, Cumanus, Aduocatus, Matthæus Rubius, Cætenus, qui fuit Pater Nicolai III. omissis aliis & anno 1531. à Ministris Fratribus habitum susceperunt Elizabeth Vngariæ Regina, P. Æmiliana & aliæ personæ in eisdem Chronicis relatæ, non tamen est verum, quod pro Tertiario ordine asseritur, eundem seraphicum deputasse in caput, & supremum superiorem Tertiariorum Bartholomæum Cumanum ab ipso Sancto receptum, & cum omnimoda potestate, & auctoritate alios ad ordinem suscipiendi in æternum ei, & successoribus data, nam etsi de dicto Bartholomæo loquatur chronica, quæ datur in summario num. 1. quam scripsit Franciscus Marcus Vlixbonen. *in prima part. lib. 2. fol. 217.* dicatur inter alios fuisse huius ordinis Tertiarij quendam nuncupatum Bartholomæum litium procuratorem, qui ad eam vitæ Sanctitatem, & cum Sancto familiaritatem peruenit, vt illi daret facultatem recipiendi viros, & mulieres ad ordinem Tertiarium subdendo (in luogo suo per semper) & informantes pro Tertiariis addunt alia verba, nempe cum omnimoda potestate, & auctoritate alios ad ordinem recipiendi in æternum sibi, & successoribus; attamen vnde Chronista desumpsit hanc partem, ponitur in margine dicti fol. 217. nempe ex antiqua chronica S. Antonini qui fuit Archiepiscopus Florentinus, in qua talia non leguntur in sua tertia parte historiali titulo vigesimo-quarto capit. 7. paragrapho versic. anno Domini 1223. fol. 235. sed tantummodo habentur sequentia verba anno Domini 1223. fuit quidam in Italia Bartholomæus nomine, qui audita forma Beati Francisci*

ad eius prædicationem aduocationem, suam deserens, sub honesto habitu, & tertia regula dignos pœnitentiæ fructus facere satagebat, & tantam cum Beato Francisco familiaritatem contraxerat, quod Sanctus recipiendi fratres ei concesserat facultatem, sed de tempore, aut de perpetua successione nullum verbum.

De secundo autem tempore à Nicolao quarto vsque ad Nicolaum quintum. Fratres de obseruantia, non discordant cum Tertiariis, quin Regula Nicolai quarti ab vniuerso cœtu Tertiariorum obseruata fuerit, quoad omnes, tam sub obseruantia, & in communi viuentes, quam quoad coniugatos, virgines, & alios in cœlibatu viuentes, ac modum viuendi, & respectiue vestiendi, & opera charitatis exercendi.

Tertium tempus à Nicolao quinto vsque ad Tertiarios in Regulares formales erectos sub Leone decimo, cum & illud cum actibus subsequenti in tempore illo intermedio pertineat, ad vniuersum cœtum cuiuscunque generis personarum Tertiariorum, nec Tertiarios Regulares tangere possit, cum adhuc non essent in rerum natura; nihil obstare poterit veritati facti, quod Seraphicus Pater & successores contulerint habitum ingredientibus Tertium ordinem, neque dispositioni iuris, quod ex hac consuetudine ordini minimorum primordialiter erecto Iurisdicatio conferendi habitum, quæ sita fuerit, *per cap. conquestus 9. quest. 3. cap. irrefragabilis §. 1. cap. dilectus in princ. de offic. ord. cap. cum contingat de foro comp. Abbas, Felin. Ioann. Andr. & alij per Surd. consil. 465. num. 15. lib. 4. qui prima decisione fuerunt allegati, quibus accedunt plene hanc conclusionem firmantes Bellarm. consil. 40. num. 21. Alberic. consil. 197. num. 15. Menoch. tract. de Imper. & Iurisd. lib. 2. cap. 2. n. 2. Bald. conf. 338. n. 5. lib. 1. Sanchez super Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 64. & idem fuit firmatum in Labinen. Montis Rotundi versic. neque obstare dicebatur 25. Iunij 1627. coram D. meo Decano, & hanc eandem consuetudinem habitum conferendi ponderat Miranda in Manuali part. 1. quest. 36. art. 7. in princ. dicens licet non reperiat aliquod Breue, seu Bulla concessa Fratribus Minoribus, vt possint recipere aliquos fratres, vel sorores, qui vocentur Tertiarij, siue de pœnitentia, & in propriis domibus habitent, nihilominus sufficit antiqua consuetudo, quæ ab initio ordinis semper fuit in praxi. Quæ verba, & veritatem facti consulti & iuris dispositionem in præsupposito deductam bene comprobant. Vnde nisi Regulares*

Tertiarij aliunde doceant ius conferendi habitum ad ipsos spectare, vel deuolutum fuisse, aut denique ex aliis Summorum Pontificum constitutionibus, & Bullis concessum, frustra de proprietate iuris conferendi habitum Tertiariis secularibus, contendunt.

Non igitur constat ad ipsos spectare, ius conferendi ante Bullam Nicolai I V. neque ex dispositione eiusdem, quæ emanauit de anno 1289. & est secunda in nouo Bullario, & impressa reperitur in libro intitulo. Firmamentum trium ordinum, ad quam semper incurritur, dum agitur de Tertio ordine, nam etsi ille fuerit ab ipso Beato institutus, ut in ipsa Bulla præsupponitur in decimo sexto capitulo Regulæ, attamen Gonzaga Episcopus Mantuanus in sua Chronica *part. 1. versic. cum autem pag. 3.* & Roderic. *qq. regul. tom. 3. q. 72. art. 1. in princ.* dicunt, quod Regula à B. Patre tradita non inuenitur, sed tantummodo illa quæ enunciantur & approbantur à Nicolao I V. in qua de pertinentia ad Regulares Tertiarios non est agendum, dum adhuc ordo illorum ad formalem Regulam non est erectus.

Neque ad rem facit, si dicatur Seraphicū Patrem ab origine statuisse originem Tertiariorum omnino distinctum ab Ordine Minorum, & probari ex verbis Gloss. *in Clement. ex eo de sententia excommunic. & prima verb. obedientiam de Relig. dom. Calderin. conf. 7. n. 2. de for. compet.* & inde sumendam esse consequentiam necessariam, ius conferendi habitum de iure communi non competere minoribus de obseruantia, cum non sint superiores eiusdem ordinis *cap. fin. de regul. in 6. Lap. allegat. 34. n. 1. Oldrad. ad conf. 91. n. 1.*

Quia obiectum omnino cessat propter, ius quæsitum ex consuetudine conferendi habitum vniuerso cœtui Tertiariorum, ut supra ostensum fuit.

Quæ Iurisdictio non potest dici sublata, ex eo quod Beatus nō dederit hanc facultatem ministris ordinis fratrum Minorum, sed ipse solus ab initio Tertiarios receperit, & postmodum eandem facultatem dederit Bartholomæo Cumario à se recepto, & cum clausula, in æternum, quæ exinde dicitur transmissa ad successores in approbatione Regulæ per Nicolaum I V. dum voluit *in capit. 2. & 16.* quod ministri de se ipsis Tertiariis eligerentur, & ab ipsis habitus daretur.

Nam si chronicis huius sacræ Religionis est standum, prout non est dubitandum, iam concludenter ex supra dictis patet, quod Sanctus Franciscus ab origine statuti ordinis, dum vixit, habitum ingre-

dientibus dedit, & post eius gloriosum obitum idem fecerunt Ministri Generales & alij ministri particulares, & quod dicitur de Bartholomæo illi simpliciter fuit data facultas recipiendi sæculares ad habitum ab ipso seraphico Patre, non autem successoribus in perpetuum, ut dicunt Tertiarij Regulares, quod abunde suprâ fuit ostensum, ut propterea quicquid actum fuit ab ipso Bartholomæo, mandante B. Francisco, non iure proprio quasi sit effectus proprietarius iuris conferendi habitum, sed ab ipso Patre à quo facultatem receperat factum reputetur per textum *ex leg. unum ex familia. §. falcidia. ff. de leg. 2.* vbi non dicitur, quis habere ius ab eligente, sed ab eo qui dedit potestatem eligendi & per illum textum ibidem infert Barthol. si adunantia generalis eligit illum, quem Priores nominarunt, ille dicitur electus ab adunantia habente proprietatem facultatis eligendi, non autem à prioribus, idem comprobant Cuman. & Florian. *in dicto. §. si falcidia.* Didacus à Segura *ibidem n. 182. cum seq.* & Crauett. *consil. 275. n. 3.* dicens idem in mandante, penes quem est potestas mandandi ab eo deducendum esse actum electionis non autem ab ipso eligente, & cum facultas prædicta data fuerit Bartholomæo biennio post à die Ordinis Tertiarij Instituti, nempe de anno 1223. ut dicunt Chronistæ supra allegati, & tempore quo infiniti prope habitum receperant ab ipso Beato, clarum est, quod tanta Iurisdictio non sit translata in Bartholomæum, quin maior apud Superiorem remanserit, *cap. dudum 14. de Præbend. in 6. leg. fin. Cod. de iurisdict. omnium Iud. leg. 1. Cod. de offic. præfecti urbis.* Baldus *conf. 326. incipit Rex Romanorum in fine num. 16.* dicit, quando Princeps committit iurisdictionem alicui censetur eandem sibi reseruare. *Caput. decis. 337. n. 8. part. 1. Menoch. præsumpt. 18. num. 1. lib. 2. Felin. comprobans in cap. Pastoralis num. 2. de offic. ordin. & plenius Surd. conf. 56. num. 22. Gonzal. ad regul. 8. in proæmio §. 2. numer. 2. & seqq.* & cum agatur de terminata facultate Bartholomæi Bulla Nicolai quarti nihil disposuit de successoribus illius, sed de iure conferendi indulto Ministris eiusdem ordinis cuiuscunque qualitatis & sexus, & nihil commune habet cum facultate Bartholomæi.

Secundo principaliter non probatur huiusmodi facultatem conferendi habitum quæ ex consuetudine præscripta erat penes fratres de obseruantia ad Regulares Tertiarios fuisse deuolutum, aut inter ipsos tanquam de cœtu vniuersali conseruatam, quamuis post sæcula in Regularem ordinem erectos, nam etsi opponatur cessare iurisdictionem,

tionem Minorum de obseruantia ex vi Regulæ per Nicolaum quartum confirmatæ de anno 1289. dum in fine Bullæ idem Pontifex voluit, quod huiusmodi fratres habere debeant Ministros de se ipsis, & in capit. 2. Regulæ approbatæ determinetur, quod Ministri deputati recipiant fratres, & sorores habitum suscipere volentes, & in cap. 16. indulta sit facultas eligendi in visitatorem virum Religiosum ex aliqua Religione approbatum, quæ omnia inferre videntur Iurisdictionem, & quidem distinctam, & separatam ab ordine fratrum de obseruantia. Bart. in leg. nam & posteriores ff. de legib. cum aliis allegatis per Menoch. *presumptio*. 38. num. 8. lib. 6. attamen eadem prima decisio respondet, quod ius conferendi habitum à ministris electis à se ipsis respicit Ordinem Tertiariorum in vniuersum, qui cum vt vniuersales, neque vt singulæ Congregationes sint in causa pro defensione propriæ exemptionis, sed tantummodo Regularis ordo Tertiarius & Fratres Minores ad inuicem contendente de iure Tertij Congregationes illæ inauditæ non sunt spoliandæ suis facultatibus per Nicolaum IV. indultis ex vi Regulæ approbatæ, & ita intrare non potest consequentia deuolutionis huiusmodi iuris ad ordinem Regularem Tertiarium, qui de tempore Regulæ Nicolai non extabat, sed post ducentos ferè annos superuenit, & interim sunt conseruandi minores obseruantes in eorum iure conferendi in suis casibus quando Congregationes, non deputant ministros, vel antequam illæ non sint erectæ in ciuitatibus, vel locis orbis vniuersi, quod semper sustinetur etiam in modico in quo potest operari Menochius eadem *presumptio*. 38. num. 14. & seqq. lib. 6. Neque obstat, quod ordo Regularis Tertiarius, cum ipse vniuersali ordine fuerit semper idem, & independens conseruatus à quacumque Religione etiam Minorum, tam ante erectionem huius in formalem Regulam, quam post ordinis prædicti erectionem, & probari dicebatur ex constitutione Eugenij I V. de anno 1442. mense Februarij eius Pontificatus anno duodecimo, & ex alia Nicolai V. de anno 1459. mense Maij eius Pontificatus anno 4. apud Syllam de priuilegio Tertij Ordinis *pagina* 30. & 40.

Quoniam ex illa Eugenij, quidquid datum est fratribus in commune viuentibus respectu visitatoris, & Iurisdictionis in Fratres prædictos nihil pertinet ad fratres, & sorores separatim in eorum domibus viuentes, de quibus toto tenore Bullæ ponderato non agitur, & quod magis est emanauit pro certis Regnis Castellæ &

Legionis à quibus ad vniuersas ciuitates, & mundi loca non licet inferre, neque de vna specie Iurisdictionis visitandi ad aliam speciem conferendi habitum extendi potest, vt infra dicitur.

Ex constitutione autem Nicolai quinti, quæ emanauit pro Leodiensi Diocesi, & in forma commissaria plura determinantur pro fratribus tantum in communi, & sub obseruantia, tunc viuentibus, & de prædictis non est quæstio in hac disputatione, in qua agitur de sæcularibus, non autem de Regularibus, vel tunc in communionem sub obseruantia viuentibus, plura etiam pro fratribus sæcularibus in propriis domibus degentibus statuuntur, quæ omnia si ponderentur clare constabit, constitutionem esse localem pro Diocesi Leodiensi, quæ non admittit extensionem, & in forma commissaria datam, quæ non admittit extensionem, & in forma commissaria datam, quæ debet probari in narratis iustificata & effectiuata per obseruationem subsequutam, nec aduersari Regulæ Nicolai quarti, nisi in Ministro, & seu visitatore generali, & superioritate illius, ac in eo, quod esse debeat de Fratribus in communi, & obseruantia viuentibus, in cæteris vero firma remanet Regula, quod in toto orbe ad Ministros de se ipsis electos spectet, ius dandi habitum. Vnde non est difficultas, an viuentes in communi, & sub obseruantia, tam ante erectos in Regulares, quam post fuerit semper idem ordo independens conseruatus, & vnum corpus cum aliis, sed cum contendat contra obseruantes, minores habentes fundatam intentionem, in Iurisdictione per consuetudinem acquisitam, vt supra fuit firmatum, docere debent, quam Iurisdictionem, tunc habuerint, vel nunc habeant dandi habitum laicis separatim viuentibus, scilicet coniugatis, viduis, virginibus, aut aliis in cœlibatu degentibus, quorum Fratrum, & Sororum Iurisdictioni, Ciuitatis, vel loci cuiuslibet, non legitur derogatum, & nihilominus de illorum separatione ab vniuerso ordine constat ex constitutione Leonis X. mense Ianuarij 1621. Pontificatus eodem anno 8. quæ ponitur per Syllam, *de priuileg.* Tertij ordinis *fol.* 61. in qua expressè legitur separati, ibi; nos iuxta Domini voluntatem pretiosum à vili separantes, eandem tertiam regulam, in modum, quod sequitur distinctum de nouo confirmamus, & approbamus, per quam separationem, neque directe cœtus fratrum, & sororum laicorum priuatus fuit proprio iure indulto per Nicolaum IV. vt in prima decisione fuit firmatum, neque in consequentiam;

ex quo non bene infertur de iurisdictione locali ad ciuitates, & loca vniuersa neque de vna specie visitandi ad aliam speciem dandi habitum, deficiente causa vniuersali, & alio existente in possessione Innoc. in cap. dilectus super verb. possessionem in fin. de capel. Monach. & plene comprobatur Roman. consil. 368. num. 8. Felin. in c. auditis n. 18. & seqq. de prescript. Surd. consil. 429. num. 45. vol. 3. vbi agitur de priuatione iuris tertio competentis sufficit allegare cōuenientiam, quod magis debeat qui habent in denominatione & viuendi modo similitudinem, quam minoribus obseruantibus ratione ordinis omnino distincti, Tiraquellus de leg. connub. lib. 5. num. 30. Surdus consil. 140. num. 31. cum aliis allegatis; quoniam Iurisdictionis sicuti non datur per conuenientiam, sed acquiritur priuilegio, vel consuetudine, Abbas in cap. cum contingat num. 5. de for. compet. Surd. consil. 465. num. 5. vol. 3. ita nec eodem modo priuari potest Dominus, aut possessor nisi per habentem facultatem, & superioritatem priuandi.

Tertio denique non probatur, Tertiarios Regulares concessionem habere conferendi habitum sæcularibus, nec priuatiue, neque cumulatiue quoad Minores de obseruantia neque quoad vniuersum ordinem laicorum, & seu congregationis cum derogatione Regulæ constitutionis Nicolai Quarti.

Nam ex constitutionibus supra dictis de hac concessione nullum verbum; ex vltima autem, quæ allegatur à Clemente Septimo de anno 1526. mense Martij eius Pontificatus anno quarto registrata apud Syllam folio 69. & seqq. si bene & distincte attendatur, dum de Regularibus tam virorum, quam mulierum loquitur in narratiua, & in dispositiua eiusdem, nihil ad præsentem disputationem pertinet, in qua de superiore Ordinis Tertiarij non est quæstio, sed de iure conferendi habitum sæcularibus ostenditur.

Pro laica autem non obstant verba eiusdem Bullæ Clementis septimi, in quibus pro Tertiariis constituitur fundamentum apud Syllam pag. 76. ibi visitator generalis vniuerso ordini illiusque domibus, Monasteriis, ac vtriusque sexus personis & in Hispaniarum & Portugaliæ Regnis, ac partibus, & Proincia prædictis existentibus, præsit, & Fratres, Moniales, & sorores ac aliæ vtriusque sexus, & in sæculo existentes personæ, ipsi Antonio, & pro tempore existenti generali visitatori dicti ordinis de pœnitentia in omnibus, & singulis ipsum ordinem concernentibus obediant, ex quibus verbis præsit & obediat, dicebantur, & vnum corpus esse conseruatum, & iurisdictionem con-

cessam dandi habitum sæcularibus ex quo de iure admissa superioritate conferre habitum ad alium non spectat, quam ad superiorem Prælatum cap. fin. de Regul. Lap. alleg. 51. numero 1. Oldrad. consil. 91. numero primo Felin. in cap. Quoniam numer. 1. de maiorit. & obed.

Quoniam vbi agitur de separata Iurisdictione, nempe particularis visitatoris, & superioris, & de Ministris eligendis pro recipiendis sæcularibus ad habitum laicis præscriptum, prout hæc duo distincta in Regula per Nicolaum Quartum confirmata ponuntur, vna specie derogata nõ tollitur altera nec inter se confunduntur propter naturam derogationis quæ recipit strictam interpretationem Clement. 1. de præb. Achill. decis. 3. num. 4. qui fil. sint legitimi. Rota decis. 159. num. 7. coram PP. Gregor. XV. 103. num. 5. 214. num. 5. 229. num. 2. part. 2. recent. Præterea hæc ipsa Clementis septimi Bullam per Pium Quintum de anno 1508. anno eius Pontificatus tertio per Syllam fol. 85. in totum fuit sublata, antiquata, & extincta, ibi officia Magistratus, & visitatoris generalis dicti ordinis perpetuo extinguimus, & abolemus, ac Magistrorum visitatorem, ac Vicarium Generalem eiusdem ordinis officio, vsu, & exercitio omnimode interdiciamus, & submituntur Generali, & Provincialibus ordinis Minorum, vnde bene retorqueretur argumentatio; si conferre habitum spectat ad Prælatum superiorem, cessante superioritate per extinctionem officij visitatoris, cessauit ius per Regulares Tertiarios præsum dandi habitum laicis in separatis domibus degentibus.

Non obstat, quod superioritas Ministri Generalis Minorum sit ab eo exercenda reduplicatiue, non tanquam quod absolute sit superior, sed tanquam Prælati ordinis Tertiarij, & eo casu non possit deputare personas Ministros ad dandum habitum laicis ex proprio ordine Minorum, sed seruare debeat statuta, & ordinationes, ac priuilegia ordinis Tertiarij, secundum exempla, quæ ponuntur per Gonzalez ad Reg. 8. gloss. 5. §. 7. n. 123. de Rege Catholico, qui in diuersis Regnis imperat secundum leges eorundem.

Quia Minores obseruantes non veniunt ex iure deuoluto per priuationem, sed respondendo Bullæ Clementis septimi, dicunt, superioritatem visitatoris ordinis Tertiarij esse extinctam, & ipsos vti posse iure suo in conferendo habitum laicis priuatiue quoad Tertiarios Regulares ex consuetudine vsque ab initio nascentis ordinis acquisita.

Denique nullius ponderis visum fuit Dominis fundamentum communicationis priuilegiorum fratrum Minorum, quæ legitur facta

ta per Pium quintum in eadem Bulla extinctionis visitoris Generalis ordinis Tertiarij.

Quia non possunt vti communicatione contra eos à quibus desumunt communicationem, quidquid sit si ab aliis haberent priuilegia independenter ab ipsis Fratibus Minoribus Franc. *in cap. sicut n. 1. de verb. signific. in 6. Casarub. in addit. ad compend. priuileg. mendicantium verb. communicatio.* Erasmus Cochier. *de iurisd. ordin. in exemptos p. 1. quest. 17. n. 19.* Quod si secus esset ageretur de noua superioritate communicanda implicando contradictionem in eadem Pij V. Bulla prohibitam, ibi, quæcumque sint præsentibus tamen non repugnantia, quod non est dicendum.

Et ita utraque, &c.

R. P. D. Pirouano Veneris 25.
Maij 1635.

ARGUMENTVM.

*Ius conferendi habitum laicis Tertij
Ordinis S. Francisci, cuiusmodi
competat.*

DECISIO.

QVæsitum fuit, omiſſa diſputatione ſuper poſſeſſorio ſummariſſimo retinēdæ, an conſtet de bono iure in caſu de quo agitur, quod eo tendit ad quem pertineat dare habitum Tertiarj ordinis Sancti Franciſci, vel Fratibus Tertiaris, vel Minoribus de obſeruantia, & conſtare de bono iure fratrum de obſeruantia fuit reſponſum.

Fundamentum huius Reſolutionis deſumitur ex primordiali exiſtentia Ordinis Fratrum Minorum de obſeruantia, quia tēpore naſcentis Religionis ſeraphic Patris ab eo emanarunt diſtincti ordines Fratrum ſcilicet Minorum, quem an. Domini 1208. & ſuæ ætatis 27. *conuerſionis vero 2. Sanctus inſtituit.* Secundum pro mulieribus *de anno 1212. ſub vexillo Sanctæ Claræ.* Tertium pœnitentium *de anno 1221. & hic poſtremus cœptus eſt, nuncupari Tertius Ordo;* cuius omnes cuiuſcumque qualitatis ſexus, & ſtatus capaces ſunt, clerici, laici, coniugati, virgines, viduæ, & coniugatæ extra clauſtra degentes, & in propriis domibus habitantes, & ordinem ingredi, & profiteri poſſunt. *Gloſſ. in clement. cum ex eo vbi Vitalin num. 3. & Imola num. 4. de ſent. excommunicationis. Calderin. conſ. 7. de for. comp. Federic. de Senis conſil. 150. num. 2. Gemin. conſil. 41. num. 2. Socin. Sen. conſil. 245. numer. 1.*

Tom. I I.

volum. 2. ab eodemque Sancto præſcriptæ fuerunt Trino Ordini certæ Regulæ, quarum prima, & ſecunda Minorum, & mulierum ab Honorio tertio fuerunt confirmatæ, vltima vero pro Tertiaris, non prius à Sede Apoſtolica, quã de anno 1390. ſub Nicolao I V. apparet confirmata, ſæculis poſtmodum elapſis ab erectione Tertij Ordinis, & interim auctis gratiis, & priuilegiis ſpiritualibus tanquam ab hoc genere & cœtu vniuerſali emanauit Regularis ordo Tertij ordinis, in ſua ſpecie magis perfectus, quoad habitum, ac viuendi modum, & votorum ſolemne emissionem, cuius confirmatio contingit primo de anno 1521. Leonis X. Pontificatus anno octauo. Ex quibus tanquam in facto non controuerſis plura ſequuntur. Primo, quod facultas conferendi habitum fratibus, & ſororibus laicis ex vi Regulæ à Nicolao I V. approbatæ, non autem alio iure pertinere dignoſcitur. Secundo antequam, hæc ſpecies Tertiarj Ordinis regularis à ſuo genere eſſet deſumpta, vel ab eodem producta huiusmodi facultas conferendi habitum, in ſuſpenſo eſſe non potuit, nec fuit, nec per alios, quam Miniſtros Minorum Fratrum in ſuis caſibus exerceri potuit. Tertio, quod hæc ſpecies viuendi in maiori perfectione, tanquam producta à ſuo genere, ex ſe non eſt apta aſſumere priuatiue omnes qualitates generi adhærentes, niſi ab habente facultatem fuerint conceſſæ.

Prima propoſito euidenter probatur, quia Canones, & antiqui Doctores de ordine ipſo tertio Regulari mentionem non faciunt, ſed tantummodo de Tertiaris in ſæculo degentibus, vt videre licet ex ſupra dicta Clement. *cum ex eo, & ponunt Vitalin. & Immol. Cald. & alij ſuprà allegati, & idem dicunt Bald. in leg. placet n. 13. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Ang. conſ. 218. num. 1. & ſeqq.* Vnde ſemper ad cognitionem pertinentiæ iſtius iuris conferendi recurrendum eſt, ad Regulam authoritate Apoſtolica confirmatam tanquam ad ius certum, & caſum *legis leg. Ancilla Cod. de furt. Dec. conſ. 563. num. 12. & in terminis de Bulla ponunt Nauarrus in tract. de ſpol. Cleric. §. 6. cap. 36. Caualean. decif. 44. num. 3. Surd. conſil. 333. numero 12.*

Secunda propter conſequentia concludenter iuſtificatur, nam quod facultas tradendi habitum nunquam in ſuſpenſo eſſe poterit, aut fuerit patet, quia Sæctus à die cõſtitutionis iſtius ordin. cœpit cõferre multis habitum, & ſucceſſiuè idem fecerunt Miniſtri ſucceſſores, vſque ad confirmationem Regulæ ſub Nicolao IV. de anno 1390. quãdoquidem de eo tempore, non vrgebat Regularis ordo Tertij Ordinis, nec Fratres, aut

forores ante confirmationē erāt certi ex vi Regulæ, an possent eligere à se ipsis Ministros ad quos spectabat dare habitum ingredi volentibus, sed tunc fuit determinatum, & per modum consilij ab eodem Nicolao quarto in confirmatione regulæ, vt Ministros de se ipsis eligerent, & deinde antequam hæc secunda proles sæcundaret, statim conuentum facere non potuerunt in omnibus respectiue orbis vniuersi ciuitatibus, castellis, locis pro deputatis Ministris, iuxta formam Regulæ *cap. 2. & 16.* sed erat spectandum incrementum sufficiens, pro conuentu faciendo in Ecclesiis, vel aliis locis Religiosis, & interim certum est, quod ab aliis quam Ministris Minorum de obseruantia habitus conferri non poterat, & tamen infinitos habitus Tertij ordinis recepisse vsque ad annum 1390. testantur omnes chronistæ huius sacræ Religionis, Marcus *Vlixbonen. p. 1. Chronica Minorum lib. 1. cap. 33. & lib. 9. cap. 9.* Pater Gonzaga in sua *Chronica cap. 1. §. cum autem pag. 3.* Miranda in suo *Manuali Prælatorum in expositione 3. Regula cap. 1. num. 8. seqq.* cum aliis quæ possent allegari. Quæ facultas, & seu iurisdic-tio vltra prætenfas Bullas, & priuilegia Apostolica, si quæ sunt, illam tamen potuit dare consuetudo legitime per tot sæcula præscripta *cap. conquestus. 9. quæst. 3. cap. irrefragabili §. 1. & cap. dilectus in princip. de officio ord. & cap. cum contingat. de for. compet. vbi Ioan. Andr. dicit quod hoc alibi non reperitur, quod consuetudo tribuat iurisdictionem, & Abb. ibidem num. 5. re-assumit dicens duo esse, quæ possunt dare iurisdictionem, priuilegium, & consuetudo, & pluribus ibidem comprobatur Felin. & plenius Surd. *conf. 465. n. 4. & seqq. lib. 4.**

Neque obstat, quod hæc ipsa consuetudo cessauerit, superueniente Bulla confirmationis Regulæ de anno 1390. sub Nicolao Quarto, in qua expresse determinatur, quod fratres habere debeant Ministros ex se ipsis, Regula autem *cap. 2.* tribuit iurisdictionem conferendi habitum Ministris, non autem fratribus Minoribus, & quod plus est in *capit. 16.* eiusdem Regulæ confirmatæ postquam sancitum est, quod Ministri, & fratres ac sorores ciuitatis, & loci cuius ad visitationem communem in aliquo loco religioso, vel Ecclesia conueniant, subditur; & visitatorem habeant sacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis existat, nec quis alius possit eis huiusmodi officium visitationis exhibere, vnde dicebatur, si officium visitatoris non est concessum Minoribus de obseruantia, sed sacerdotibus indistincte, approbatæ Religionis, per quod, & subiectio, ac iurisdic-tio respectiue inducitur *cap. conquerente de offic. ordinarij Socin. de visita-*

*tio. num. 4. versic. decimo quaro. Rota decis. 196. num. 2. p. 2. diuers. & facultas dandi habitum est penes Ministros ab ipso cœtu fratrum, & sororum electos, non autem Minores Fratres, & hoc pariter fit de iurisdictione cap. nostri. cap. transmissæ de elect. Lap. allegat. 89. num. 12. consuetudo ipsa tanquam pug-nans, & incompatibilis cum Apostolica concessione, cessare debet. Bartholomæus in leg. nam & posteriores de legib. Abbas *conf. 51. lib. 1.* & per consequens Minores neque priuilegium, neque consuetudinem conferendi habitum habere dici potuerunt, Alexand. *consil. 108. col. vlt. libro tertio Menochius plene comprobans præsumpt. 38. numero octauo, libro sexto.**

Quia aduerterunt Domini, quod hodie non sunt in causa Fratres, & sorores vniuersi, vt vniuersi, neque particulares ex singulis ciuitatibus, & locis ex toto orbe, qui contendebant se exemptos à iurisdictione Fratrum Minorum, vel per visitationem, vel per facultatem conferendi habitum à propriis Ministris, sed tantummodo Regularis ordo Tertiarius, & Minores de obseruantia super iure conferendi habitum laicis fratribus, & sororibus Tertiarij ordinis in suis casibus, nempe quando prædicti non habent Ministros vel visitatores in ciuitatibus, & locis in quibus contingit fidelibus habitum petere, vel quando non sint apti habere Ministros, vel visitatores, vt in vno, vel duobus qui vniuersitatem, aut conuentum facere non possunt, quamuis in vno aut duobus possit conseruari *leg. Neratius 85. ff. de verb. sig. cap. 1.* cum Glossa in verb. duo de elect. & tunc consuetudo acquisita semper in suis casibus conseruat iurisdictionem nec per legem superuenientem abrogatur, aut tollitur, modo consuetudo, quæ vim legis habet in aliquo modico potest operari, ita plene huic regulæ declarationes quatuor subnectit idem Menochius *præsumpt. 38. n. 14. & seqq. lib. 6.*

Tertia, & vltima illatio minorem continet difficultatē; quia species ordinis Regularis Tertij ordinis desumptæ ex genere vniuersalis ordinis omnibus indistincte cōpetentis non est apta de per se assumere in se omnes qualitates vniuersalis ordinis, priuando illum facultate deputandi Ministros, & de proprio cœtu deligendos, & sacerdotes, & pro visitatione, & correctione deputandos, & in se assumere eandem facultatem, & seu facultates conferendi habitum priuatiue quoad vniuersitatem, quia generi nunquam per speciem derogatur, nisi quando contraria determinantur, per Principem, legem, statutum, consuetudinem, aut præscriptionem, vel ab habentibus facultatem contraria generi disponendi. Dec.

in leg. in toto leg. iur. n. 11. vbi Cagnol. n. 9. in fi. ff. de reg. iur. Menoch. conf. 141. n. 37. & in præsumpt. 38. n. 14. l. 6. Surd. conf. 352. n. 13. vol. 3. & bene conuenit exemptum de Ecclesia filiali crecta intra fines. Matricis, quæ in separatione non priuat matricem, suo iure percipiendi decimas, nec audiendi iuribus Parochialibus, nisi ab habente facultatem id sancitum fuerit, cap. ad audientiam de Ecclesia edificat. vbi Abb. & alij Canonistæ, & idem sancitum est per Trid. c. 4. sess. 2. & nouissime in Rota fuit resolutum sequendo antiquas decisiones in eam Nouarien. decimarum die 18. Iunij 1615. coram D. meo Verospio.

Erit igitur de intentione Regularis ordinis Tertiarij probare acquisitionem iuris conferendi habitum, vt inde appareat de eius bono iure exclusiuo ordinis fratrum de obseruantia, quod quidem adhuc probatum, nec iustificatum visum fuit.

Non enim iuari potest ex eo, quod ordo minorum non doceat de aliqua charta, in qua hoc ius scriptum reperitur, & hanc negatiuam admittit P. Miranda eiusdem ordinis minorum professus in suo Manuali Prælatorum tom. 1. q. 36. art. 7. dicens ex priuilegiorum collectore non reperiri aliquod breue, seu Bullam concessam fratribus Minoribus circa hanc materiam recipiendi fratres, aut sorores ad habitum Tertij ordinis.

Nam superius sublata est huiusmodi difficultas, quia nedum priuilegio, sed & consuetudine acquiritur iurisdictio, propterea ad acquisitionem iuris positiuum non sufficit probare non ius tertij, nisi etiam probetur proprium ipsius ordinis Tertiarij, Menoch. de adipis. rem. 1. num. 68. Thesaur. dec. 4. in princ.

Neque ad casum controuersum pertinet, quod ab origine Seraphicus Pater instituerit ordinem tertium omnium separatum & independentem ab alijs, & separatas regulas præscripserit, & dum sanctus viuebat, iussit Bartholomæum Cumanum Tertiarium professum pluribus alijs habitum conferre, & dum Tertiarij non erant Regulares sibi ad inuicem habitum conferebant, allegando Chronicam Religionis in 1. part. l. 1. p. 78. num. 14.

Quoniam & hoc præsupponitur per fratres de obseruantia, quod ante confirmationem Regulæ de Tertiarijs vsque ad Nicolaum I V. infiniti receperint habitum, tam à Patre Seraphico, quam à successoribus Ministris, vel ipsis mandantibus, quod idem est, & post Regulæ confirmationem ex vi eiusdem Ministri Tertij ordinis ex se ipsis electi habitum darent ingredi potentibus. Sed in consequentia consistit error, si dicatur, ergo ius conferendi, quod non spectat

ad minores de obseruantia, ad Tertiarios Regulares pertinere debet, quia quod est concessum Tertiarijs ab ipsa Regula, ipsi quidem fratres minores non possunt mutare, & sibi ipsis appropriare nempe deputare Ministros ex se ipsis, & eligere visitatorem de quibus hodie non est agendum, quia vt dictum supra fuit, non sunt in causa tertij laici, & sæculares, sed tantummodo Regulares Tertiarij & Minores de obseruantia, vt propterea non sequitur, quod in alijs casibus in Regula non comprehensis non poterint iurisditionem acquirere, nam asserentibus ad ipsos tale fuisse deuolutum incumbit onus probandi.

Secundo principaliter non obstat ius positiuum pro Tertiarijs allegatum ex Bullis Summ. Pontificum, & innumeris, vt dicitur constitutionibus Apostolicis Eugen. I V. Nicolai V. Leonis X. Clementis VII. Pij V. pōderādo præcipue illam Clem. VII. 1526. 15. Martij ann. 4. In qua dicebatur confirmari constitutiones Eugenij I V. Nicolai V. Sixti IV. Iul. II. Leon. X. & de nouo concedi, quoad habitum, quod ipse solus visitator, & non alius in Hispania conferre possit.

Quia ex tenore supradietarum Bullarum, & constitutionum non legitur prouisum, quod iurisdictio dandi habitum Ministris ab ipso cœtu confratrum, & sororum respectiue electis de se ipsis à Nicolao I V. concessa pertineat, aut pertinere debeat Regulari ordini fratrum Tertij ordinis, aut deuoluta intelligi debeat, neque minus in casibus in quibus non essent electi ministri de se ipsis, aut nominati visitatores, quod ius conferendi habitum spectat ad Regulares Tertiarios, qui est proprie casus controuersus, ex quo deputatis iam ministris secundū formam Regulæ per Nicolaum I V. approbatæ, neque minores, neque Tertiarij possunt priuare Congregationes suo iure ipsis non auditis, & in causa non existentibus, & signanter Bulla prædicta Clement. VII. quæ in corpore refert alias Prædecessorum Pontificum Bullas, & confirmat nihil de Regula Nicolai I V. mutauit, aut detraxit, sed tantummodo quoad Regulares Tertij ordinis plura sancita sunt, de quibus hodie non est quæstio cum Minoribus, de obseruantia, sed quis ipsorum habet ius conferendi habitum in sæculo, & in proprijs domibus degentibus, atque ita de iure Tertij quæsitio est controuersa, non autem de subiectione Tertij ordinis Regularis.

Et eo minus videntur releuare sententiæ in sumuario datæ cum litteris executorijs.

Quia ultra, quod adhuc non sunt de actis ex earum lectura patet, eas continere facultatem visitandi personas & loca Religiosorum,

rum, & Monialium Tertij Ordinis, siue Tertiae Regulæ S. Francisci, atque ita ad Regulares Tertij ordinis, non autem ad laicos extra claustra & Congregationes viuentes, qui non dicuntur proprie Religiosi, prout dicuntur Regulares iuxta declarationem per Leonem X. factam vltima Augusti 1517. sui Pontificatus anno quinto, quæ ponitur per Syllam Collectorem *in part. 2. pag. 62.*

Demum neque potest in obseruantia aut possessione constitui fundamentum quia at-

tenta anteriori & indubitata possessione fratrum minorum, & cum tempore sufficienti ad acquirendum titulum in iure conferendi habitum, vt supra fuit firmatum de hac posteriore, quatenus esset probata non esset in concursu habenda ratio, *cap. licet causam de probat. Rota decis. 505. numer. 2. part. 1. diuers. Thesaur. decis. 206. in fin. Menoch. de retin. remed. 3. numer. 733. cum aliis alleg. per Gratian. discept. 402. numer. 1. & 2.*

Et ita de vtraque, &c.

F I N I S.



INDEX



I N D E X

Rerum, & verborum notabilium, quæ in hoc secundo Tomo continentur.

Prior numerus Paginam, posterior numerum designat.

A

Abbas.

AB B A T E S Episcopi, an ante consecrationem nequeant benedicere. pag.43.n.5

Abortus.

an vt Abortus pœna mortis puniatur, debeat esse dolosus, sicut & homicidium. 488.17.18 & 19

Etsi poculum ad abortum per se tendat in interuentionem fœtus; an poculum istud ex natura & vi sua non tendat ad mortem matris. 487.12

An ille qui procurat abortum fœtus animati, & de facto sequitur abortus, sit pœna mortis plectendus. 488.16

Absentia.

Vt licita sit absentia vnus coniugis ab altero quid requiratur. 128.1

Ex quot causis coniugis absentia potest dimanare. 217.2.

Acceptatio.

non Acceptatio summi Pontificatus an sit obiectum honestum. 405.14

quænam Acceptatio pariat obligationem iustitiæ. 116.9
quæ Acceptatio quæ sit actus voluntatis maleficiati sit omnino illicita. 341.34

an Acceptatio collationis, nominationis, & præsentationis factæ clerico minori, & consensus in electionem Episcopatus in rigore iuris diuersa significant. 427.12.

Actio, Actus.

An habilitas ad exercendum actum validum sit requisita de iure diuino. 37.1

qui Actus dicatur libidinosus & non respiciat matrimonium. 189.20

Duo genera actuum matrimonialium admittuntur. 194.1.

Horum generum conuenientia. ibid.2

Inter hæc duo genera discrimen intercedit. ibid.3

quæcumque Actio exterior deliberata secum natura sua afferit agendi intentionem, ex Dom. de Soto. 84. 24. 25. & 26.

Quæ oppositio inter actiones humanas & signa diabolica possit intelligi. 360.10

Administratio.

An temporales administrationes non sint beneficia. 10.9.

Administratio rei familiaris quantum ad commercia & negotiationes forenses competit viro. 316.1

Adoptio.

an ius Adoptionis proueniat ab extrinseco, & libera adoptantis voluntate. 269.4

Quandonam dicatur perfecta adoptio. 377.5

Adulter, Adulterium.

an si Adulterium ita occultum sit vt innocens illud probare non possit liceat innocenti vxorem dimittere. 145.1.

propter Adulterium duplex affertur dimissio, ex Sancti Thom. 142.4. & 5

an si vir Adulterij causam dedit negando iniuste debitum coniugale, tunc vir nequeat vxorem dimittere, nec criminaliter, aut ciuilitate eam accusare. 179.1

An si notorium sit adulterium, & vir absentetur & propria auctoritate aufugiat, possit repeti ab vxore adultera. 144.22.23

Ad hoc quod innocens possit accusare adulteram quid requiratur. 191.1

An metus conditionalis excuset mulierem à pœnis adulterij. 190.4

An vir teneatur ex vi correctionis fraternæ præcepto dimittere vxorem adulteram. 140.1

clericus Adulterij conuictus depositus ab officio communionem concessa, in Monasterio toto vitæ tempore tradatur; ex Conc. Aurel. 539.2

An iudici debeat constare notorietas adulterij vt mulieri alleganti spoliū restituatur. 144.18

Si prudenter aliquoties sit monitus innocens, quod sibi reconciliet adulterum, nolit illum sibi reconciliare, an possit adulter religionem ingredi. 136.1 & 2.

an vir accusans Adulterium vxoris repellatur per exceptionem similis adulterij. 181.11

An vir in conscientia nequeat dimittere vxorem adulteram, siue ipse prior fornicatus fuerit siue post vxoris adulterium. 176.1

An si vir non prohibeat vxoris adulterium, cum libere id possit facere pœnam lenocinij incurrat. 179.1.

An coniux certus de adulterio alterius, nisi cogatur à iudice Ecclesiastico censuris, non teneatur debitum reddere. 143.11

Index Rerum.

- An coniuges sint pares in diuortio causa adulterij. 169.6.
- Licet per adulterium non dissoluatur matrimonium auferatur impedimentum quo adulter nequibat petere. 191.2
- Si vir adulteros in flagranti delicto inuentos occidat, an occisio sit licita. 183.9
- An si postquam vir dimisit vxorem propter adulterium ante professionem ipse adulterium commisit professio valida non sit nisi mulier consentiat. 128.27.
- Si criminaliter procedatur contra adulteros coram iudice laico, variæ in lege ciuili determinatæ pœnæ. 138.1
- An neque innocente inconsulto & sine eius licentia tacita, vel expressa adulter non possit statum mutare. 136.2.3.4
- An si vxor adultera emendata non sit, nequeat ad residentiam admitti in eodem thoro. 139.4
- an Adulter diuortiat per sententiam iudicis Ecclesiastici nequeat in religione profiteri sine consensu innocentis. 136.1
- An cum vir innocens vult diuertere ab adultera possit id facere propria autoritate. 142.1
- An innocens non sit obligatus dimittere adulterum, sed possit cum illo cohabitare. 139.1.2.3
- An etiam si adulterium sit occultum & ipso vir habeat prudentem suspicionem, aut notitiam teneatur ex vi præcepti correctionis fraternæ, vxorem dimittere quoad thorum. 141.8.9. & 10
- An liceat viro innocenti post iudicis sententiam adulteram occidere. 182.1
- An si adulterium vxoris occultum ita sit, vt tantum sciatur ab vno vel altero non sequatur scandalum 140.7.
- An quantum ad dimissionem æqualem habeat effectum adulterium viri ac vxoris. ibid.8
- Si à monasterio probetur adulterij exceptio, an non sit liberum professio exire. 126.3. & 4
- An si innocens exterius remisit adultero iniuriam factam sine animo & voluntate illam remittendi, & sine animo illi reddendi debitum, talis condonatio obliget innocentem in foro conscientiæ. 192.1.
- Quandonam innocens non possit ciuilitate aut criminaliter adulterum accusare in foro animæ. 191.4
- An vxor adultera cuius adulterium est occultum habeat ius vt maritus secum cohabitare. 146.16
- Ius indistinctè dicit vxorem non esse ream adulterij quæ fuit coacta. 189.2
- An ille qui non potest in iudicio Ecclesiæ probare adulterium coniugis, non possit propria autoritate eam relinquere. 145.4
- Iuxta leges Hispanas vxor adultera non damnatur necessaria morte, sed arbitrio mariti supplicium committitur, remissiuè. 183.8
- An si innocens adulterium committat eo ipso amittat ius negandi, & teneatur sibi reconciliare alterum. 205.6
- An vir adulter si vxorem criminaliter accuset, mortaliter peccet. 180.1
- An etiam si vir occultum commiserit adulterium, nequeat in conscientia ciuilitate accusare vxorem adulteram. 181.8
- Si aliquod pactum eximeret vxorem ab obligatione sequendi virum, daretur vterque coniugi occasio adulteria committendi. 218.8
- An propter adulterium spirituale declarato ab Ecclesia coniuge hæretico, innocens non solum possit ad religionem transire, sed etiam ad ordines sacros assumendos. 203.9
- Cuius arbitrio Hispani adulteræ supplicium committant. 181.7
- An vir si vxor sit notorie adultera possit cum illa tanta conscientia non cohabitare. 177.8
- An mariti adulterium sit grauius, vxoris luxuria. 181.9
- An maritus si sit innocens non possit autoritate propria occidere adulteram. 180.3
- An si quis habeat copulam cum adultero, & non habeat animum non dimittendi iniuriam, inducat remissionem iniuriæ etiam in foro conscientiæ. 193.6
- An non sit condonatio quum vxor reddit debitum viro adultero. 194.4
- An idem prorsus acquirat innocens & amittat reus in adulterio carnali, ac in spirituali hæresis. 205.5
- An si innocens adulterio spirituali sit adulter carnali adulterio hæreticus declaratus emendatus ponat alteri exceptionem adulterij carnalis, iste nequeat diuortium celebrare. 205.2
- An vir adulter ratione adulterij amiserit superioritatem capitis in mulierem. 180.2
- An adulter spiritualiter per hæresim licitè & validè possit ponere exceptionem alterius adulterij. 205.7
- An in adulterio spirituali propter hæresim detur compensatio. 204.1
- An si vir commisit adulterium, quod illi condonauit mulier, si ista postea incidat in adulterium, non possit marito volenti celebrare diuortium. 177.11
- An si vir qui in occulto adulterauit, vxorem moneat vt castè viuat, qua nolente, possit diuertere ab illa. ibid.9
- An vnus coniux nequeat alterum relinquere & ab eo diuertere, etiam si plura adulteria commiserit. 176.6
- An in conscientia nequeat coniux adulter diuertere à residentia matrimoniali, cum altero coniuge sordidiam committente. ibid.5
- an Adulterium carnale opponatur materiali perfectioni, & spirituale opponatur formali. 208.22
- Lecti subintratio adulteri sub specie & simulatione proprii viri quomodo fiat. 185.1
- An viri adulterium non recompenset ciuilitate turpitudinem maiorem adulterij vxoris. 169.4
- Conuentus statim atque adulterium fuit commissum plenum ius adquisiuit in professum. 126.9
- an Adulterium respectu legis non committatur sine dolo. 190.5
- Quid veniat dicendum quando coniux qui professus est sine coniugis alterius licentia expressa vel tacita, etsi coniux qui in sæculo mansit adulterium commisit. 126.1
- An iniuria adulterij sit facta antequam innocens eam agnoscat. 127.23.24. & 25
- si Adultera de licentia innocentis professionem emisit iam non potest eam sibi reconciliare. 147.1
- Vir accedens ad adulteram sit bigamus interpretatiuè ex Basil. Legionens. 139.5
- In quo casu non sit adulterium formaliter. 184.3
- Ætas.*
- Ætas 18. annor. si vir sanus existat non est debilis. 328.2
- quæ Ætas dicatur sufficiens vt vir & fœmina censeantur senes. 133.5
- quæ Ætas sit tam in viro quam in fœmina sufficiens, vt iudex possit prudenter iudicare non adesse proximum periculum incontinentiæ. 132.1
- Alimentum.*
- nolle vti Alimento habito est occidere seipsum ex Caiet. 57.3
- Ambitio.*
- Ambitionis diffinitio ex Bernardo. 425.6
- Quæ

& Verborum.

Quæ dignitas quocumque modo detur, sit ambitionis materia. 426.11

Amens, Amentia.
 Quid nomine amentia sit intelligendum. 213.1
 Amentes unde dicti. ibid.2
 An quis possit esse amens sine furia, at nullus furiosus sine amentia. ibid.3
 an si Amentia absque furia superueniat matrimonio non liceat sano amentem relinquere, siue amentia sit perpetua siue ad tempus. 214.1

Anachoreta.
 Anachoretis & eremitis qui adnumerentur. 534.16
 an Anachoretismus idem sit quod inclusivismus. 533.6
 Qui dicantur Anachoretæ, solitarij, & celliotæ. 536.27

Anathematizatus.
 Anathematizatus in rigore censuræ Ecclesiasticæ non admittitur ad consortium fidelium ciuile, nedum Ecclesiasticum. 540.11

Angelus.
 Angeli Custodes assignandi sunt hominibus ex vi præsentis prouidentia naturalis, aut supernaturalis, ex eodem S. Thom. 276.5
 an Angelus quilibet etiam infimi ordinis possit docere & exercere, Magisterium respectu cuiuslibet personæ creatæ quantumuis perfectæ & supræmæ. 277.9
 An omnes diuinæ illuminationes perferantur ad homines mediatis Angelis, ex S. Dionysio. ibid. 12.
 Lumen intellectuale Angelicum longè superius est lumine intellectus Virginei. ibid.11
 quid Angelis custodibus per diuinam prouidentiam circa singulares personas sit demandatum, ex S. Doct. 278.18. & 19.
 An Mater Iesu ab Angelis instrueretur. 278.21. & 22

Apostasia, Apostata.
 Apostasia latius patet à fide quam hæresis. 196.1
 Quid de Apostatis, & fugitiuis veniat dicendum. 445.1

Approbare.
 Aliud est approbare seu ratificare, & aliud credere esse validum, ex Caiet. 104.33. & 34

Arbitrium.
 Arbitrium in pœnis non debet esse imaginarium, sed secundum ius, & naturalem rationem. 478.4
 Discrimen inter vsum liberi arbitrij infantibus concessi, & vsum loquendi, venit notandum. 267.50

Arctotrophi.
 Ex quo Arctotrophi damnentur. 370.6

Assistentia.
 quæ Assistentia licentiarj Regij vim habeat iuuaminis brachij sæcularis. 12.11

Atror.
 Atror idem est ac crudum, teste Festo. 524.4

B

Beneficium.
 an Beneficium custodia Angelorum datum sit toti humanæ naturæ in quantum ordinata est ad finem supernaturalem consequendum. 278.20
 Simul posse retineri duo beneficia personalem residentiam requirentia expressè prohibet Conc. Trid. 9.2
 an Beneficia regularia non conferantur in titulum beneficij perpetui. 10.8
 Regulares sunt incapaces beneficij simplicis etiamsi essent canonici regulares, non autem beneficij curati, ex Conc. 72.3.4
 parrochiale Beneficium, an non sit propriè prælatio, aut dignitas. 70.1

Tom. I I.

Bimestre.

an Bimestre sit lege vniuersali determinatum. 327.5
 an Bimestre sit spatium determinatum à iure ad omnem casum. 327.4
 An sponsus totum legale bimestre residere teneatur cum sponsa, quam de præsentis daxit. 322.1
 An si transactio bimestri, quod ius concessit ad deliberandum de ingressu religionis, sponsa cogatur consummare, nequeat inuito sponso religionem ingredi. 327.1

Bonum.

aliud Bonum commune, & aliud bonum multitudinis. 500.12. & 13.

C

Canonicus.

an Canonici Regulares creati Episcopi possint dimittere proprium habitum & vti habitu clericali. 74.7
 An sede vacante in aliis Ecclesiis Canonici habeant iurisdictionem ordinariam Episcopi. 437.4

Capellania, Capellanus.

an Capellanus religiosus personaliter residere teneatur, in Ecclesia vbi est Capellania. 8.1
 an si Capellanus non resideat possit Capellania priuari. ibid.2.
 An si semel Capellania regularis accepit cum residentia eam teneatur adimplere. ibid.3
 An cum Capellania nequeat Regularis habere aliud beneficium. ibid.4
 Fundator Capellania ad quam vocat regularem possit apponere conditionem, vt resideat in loco vbi sita est Capellania. ibid.5
 An conditio residentia apposta fundationi Capellania non opponatur libertati absolutè. 8.9. & 10
 An si Capellania requirat residentiam in loco vbi non est conuentus, nequeat Generalis licentiam concedere alicui. 8.11
 Quæ residentia personalis Capellani ex iure humano descendat. 8.12

Capitulum.

An possit Capitulum generale statuere, vt omnes religiosi sint vniformes. 73.5. & 6

Carcer.

Carcer ex vi propria notionis plura habet significata. 521.1.
 Domus Diaboli est carcer in quo familiam suam continet, ex Tertull. ibid.2
 Carceris definitio affertur. ibid.3
 Ad propriam carceris notionem duo requiruntur ibid.4.
 An ad formam decreti Urbani de eiectis requiratur, quod annus carceris debeat transigi in carcere formali. 531.3. & 4
 An damnatus ad carcerem possit ab illo fugere, & ad fugam opus sit carcerem effringere. 531.1
 An annus carceris sit computandus de die in diem. 517.3.
 An annus probationis in carceribus ad effectum expulsionis debeat computari à momento in momentum. ibid.4
 An annus carceris debeat esse continuus. ibid.5
 Annum carceris debere esse continuum, & non sufficere interpolatum qui sentiant. 518.6
 Nullus in carcere detinetur sub fida custodia, nisi ligatus retineatur. 519.9
 Formalis notio carceris quas circumstantias non exigat. ibid.10
 an Carcer perpetuus qui duret per totam vitam à iure ciuili non detur in pœnam. 481.15

Index Rerum

- Ille est carceri mancipandus qui de fuga rationabiliter est suspectus. 522.1.2.3
- An carcer sit species quædam residentia. 519.1
- Carcer sumitur pro sepultura. 520.2
- Carcer domus circularis apud Hebræos dicitur. ibid.3
- an Carcer ex sua primaria origine non sit pœna, sed custodia. ibid.4
- Carcer dicitur à coërcendo. ibid.5
- Carcer ex sua primæua origine in pœnam dari repugnat de iure communi ciuili. ibid.6
- Carcer perpetuus imbibit exclusionem à fuga. 55.21.22
- Carcer importat priuationem libertatis in vlu membrorum corporis sine violentia membris adhibita. 519.1.
- An quis possit se vel alium addicere carceri. ibid.2
- Carceratus iustè quædiu carceratus etiam ad custodiam ob delictum commissum, an maneat priuatus actibus legitimis. 524.1
- annus Carceris requisitus tanquam forma à decreto Urbano, duo dicit. 518.12.13
- An damnatus ad carcerem perpetuum vel ad tempus siue regularis siue laicus non potest fugere ante completum tempus. 55.19
- Annus carceris est computandus iuxta suppositionem Gregorianam. 517.1
- Quid sit carcer vniuersaliter ex consuetudine plurium nationum, & ex dispositione iuris Canonici & Regularis. 522.5.6
- Carcer est viuorum sepulchrum ex Salgado. 53.1
- An vinculis & carceratione persona non lædatur. 481.14
- Cardinalis.*
- an Cardinales electores facta electione ante acceptationem non sint Superiores electo. 440.16
- In Collegio Cardinalium in conclauis inclusorum, an resideat potestas iure diuino naturali sibi concessa ad præcipiendum electo canonice, vt acceptet. 440.14
- an si quis Cardinalis Regularis fiat Summus Pontifex nullo debito legali, sed solum duntaxat morali teneatur ad Regularem obseruantiam. 416.19
- An ex vi Cardinalitatis dignitatis sit quis exemptus ab obedientia regulari. 403.1
- Vt quis coniugatus fiat Cardinalis quid requiratur. 162.8.
- An Collegium Cardinalium durante sede vacante nullam omnino potestatem, aut iurisdictionem habeat in iis quæ pertinent ad Sum. Pont. dum viueret. 440.20
- Collegium Eminentiss. Cardinalium in conclauis inclusorum in quo tractatur de electione Summi Pontificis, habet potestatem præcipiendi ei qui canonicè est electus, vt acceptet Summam dignitatem. 439.10
- Cardinales sede vacante si fortè sit schisma possunt legitime conuocare Concilium vniuersale, ad sedandum schisma. 439.13
- Christus.*
- Christus est caput corporis Ecclesie. 283.21
- an Christus dederit facultatem Ecclesie dissoluendi matrimonium consummatum infidelium in fauorem religionis. 239.9
- Christus vnitus fuit vnctione quæ est diuinitas & oleo sanctitatis increata ex vi vnionis increata, ex Patribus. 282.11
- Christi humanitas Deificata & Sanctificata fuit Deitate. ibid.12
- Christus Dominus per verbum generale, nisi propter fornicationem, an intellexerit vtrumque adulterium. 205.3.
- Christus, vt bonum matrimonij tanquam proles, an vtrumque respiciat & V. M. & S. Ioseph. 271.24
- Chorea.*
- In Toletanis Conciliis prohibentur choreæ fieri in Ecclesia. 368.15
- Clausula.*
- an Clausula, ex certa scientia, etsi nihil operetur quoad extrinseca rescripti, operetur quoad intrinseca. 44.7.
- Quid per verba quod nulla ratione, &c. denotetur. 151.25.
- Quid aduerbinum nullatenus importet. ibid.22
- Quid Sacra Congreg. per Ly legitime professus intelligat. 512.25
- Quid denotent verba illa, nisi coactum obedientia Summi Pont. 429.1
- Clausura.*
- an Clausuræ sit præceptum Ecclesiasticum Pontificium & Conciliare. 278
- an Clausura sit præceptum obligans in conscientia iuris Pontificij. 28.10
- an Clausuræ præceptum si ortum ex præcepto naturali & diuino. ibid.11.12
- An subditus dum incito superiore, vel sciente sine licentia domi clausuram frangit, liberum se constituat à subiectione. ibid.13
- An præceptum clausuræ regularibus impositum à iure canonico, magis vel minus exerat vires suas ad obligandum iuxta varias regulas Religionum. 39.1.
- An exitus à clausura in viris etiam repugnante superiore sit aliquando honestus. 30.12
- An exitus à clausura sit aliquando obligatorius. 30.14
- an Clausura regularium sit præcepta à iure Ecclesiastico. 31.19. & 20
- An finis præceptis de Clausura in viris sit magis ne religiosus discedat à Prælato, quam vt non discedat à loco. 32.5
- Clericus.*
- an Clericus si intestatus decederet bona acquisita contra sacros canones inter pauperes, & opera pia essent distribuenda. 447.6
- Clericis non licet occidere etiam per sententiam iustam latam in malefactores. 483.28
- an vt Clericus minor licite acceptet dignitatem extra Religionem, non sit necessarium præceptum formale Papæ. 18.8.9
- An quidquid clericus, aut Religiosus professus acquisit arte, vel ludo prohibito à Sacris canonibus sit spoliū Cameræ Apostolicæ. 455.1
- Clerici debent non solum abstinere ab his quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, ex S. Doct. 458.7
- An bona lucrata à clerico ex negotiatione illicita quia prohibita sibi, non quia sit cõtra iustitiam, non sint spolia titulo hæreditario debita Cameræ Apostolicæ post mortem lucrantis. 448.18
- An ciuium nomine quum de fauore defensionis agitur, clericus sit censendus. 52.6
- Clericus grauius peccans abstentus suspendebatur totaliter à ministerijs exercendis in ea Ecclesia, in qua clericus erat. 557.12
- an si Clerici militares intra claustra, & in communitate viuentes, si temerè dimittant rochetum excommunicationem incurrant. 79.1.2
- an Clericus propter crimen enorme vt proditorium homicidium, & contumeliam illatam Episcopo suo & prouinciali, aut generali si sit Regularis, sit deponendus. 471.20
- Clericus

& Verborum.

Clericus an non sit degradandus nisi in tribus criminibus. 472.22.23
 Clerici qui in Ecclesia sua in pœnam alicuius defectus solum habent peregrinam communionem quomodo tractandi sint. 559.21

Coadiutor.

vtum Coadiutor creatus inquisitor coadiuto lucretur. 19.1
 an si Coadiutor non resideat sit in damnum tertij. 19.2
 Coadiutor factus inquisitor lucretur fructus beneficij ac si esset pœfens non sibi sed coadiuto. 20.3
 an Coadiutore ægrotante lucretur coadiutus. 20.5
 an Coadiutus infirmus possit lucrari fructus quos sanus lucrabatur. 20.5
 An cum coadiutus sit sanus corpore & mente tunc coadiutore legitimo impedimento detento, Ecclesiæ sit deseruendum per coadiutum. ibid.6
 an si Coadiutus efficiatur inquisitor sit legitime impeditus, & lucretur omnia ac si pœfens esset. ibid.7
 an Coadiutor factus procurator Ecclesiarum duas iuris habeat fictions. 21.14
 Vbinam sit fictio pœfentiæ, vt coadiutor lucretur fructus coadiuto. ibid.15
 Coadiuto cui datur coadiutor liberum est residere. ibid. 16.
 an Coadiutus necessario occupatus sit occupatione legali. ibid.17
 an a Coadiutoria releuet iustum impedimentum. ib.18
 Coadiutor non potest renuñciare priuilegio facto DD. inquisitoribus. ibid.19
 Coadiutor factus inquisitor vere est impeditus. 20.10

Commixtio.

quænam Commixtio dicatur esse contra naturam. 318.5.

Communicatio.

Communicatio fidelium duplex est. 563.46
 Multæ & variæ erant communicationes, ex Pamelio. 556.6.7.

Communio.

Triplex admittitur implexa communio: ibid.8
 Quæ dicatur communio peregrina. 557.13
 Communio peregrina, an non constituebat Clericum in ordine laicorum. 558.19
 Quæ dicatur tertia communio. 559.25

Concubitus.

vagans Concubitus & simplex fornicatio est iure naturæ illicita. 256.6

Concupiscentia.

Infatiabilis fœminæ concupiscentia vnde sit. 173.20
 Quodnam remedium concupiscentiæ iure naturæ datum sit omnibus iis, qui vrgentur carnis pruriginæ. 306.4

Condonatio.

quæ Condonatio etsi tacita sit, non fundetur in pœsumptione. 193.3

Confessor, Confessio.

quomodo Confessor se debeat gerere in absolutione malefici & sagarum. 362.4
 Sicut annua confessio est determinatio iuris diuini ab Ecclesia facta à qua incarceratus non eximitur, ita annua communio. 530.4

Coniugium.

Coniugium fuit institutum ad triplex remedium. 299 n.6
 an Coniugium Ioseph & Mariæ ordinabatur, vt Christus ex tali coniugio virginali nasceretur. 269.6

An verum fuerit coniugium inter Iosephum & Mariam. 269.2.3

an Coniugium de primaria intentione sit institutum propter mutuam societatem. 315.7.8

Coniugium ad quid fuit institutum. 299.5

An aliquando fuit verum, & perfectum coniugium sine matrimonio. 300.11.12

An iure naturæ per se ex institutione sua coniugium dicat intentionem prolis saltem implicitam. 315.6

Coniunctio.

an Coniunctio viri & vxoris dicatur naturalis propter prolis productionem. 321.10

An vbi cumque est coniunctio sit adunatio quædam. 255.2.

Quænam sit coniunctionis matrimonij essentia. ib.3

An ratione coniunctionis sit magis diligenda vxor quam mater. 255.15

Coniux.

an Coniux sanus non teneatur cohabitare in eodem lectulo cum leproso, sicut tenetur reddere debitum. 216.17.

Coniuges ante copulam carnalem verum habet alter alterius dominium & potestatem in corpus. 163 12.

Discrimen inter duos cõiuges fideles affertur. 232.27

Licet coniugi fideli ex eo pœcisè quod nolit conuerti infidelis, matrimonium dissoluere altero inuito. 230.11

cur Coniux reuocatus etiam si professus fuerit de spontanea vxoris licentia teneatur reddere etsi non possit petere. 155.1

an Coniux relictus in sæculo qui adulterium commisit si hoc sit occultum professus, potest in foro conscientie reuocare alterum, qui sine eius licentia est professus. 127.18

Sine iudicio Ecclesiæ coniux innocens licite valet non residere cum vxore. 146.11

quod Coniux fidelis in vtroque casu debeat manere in cœlibatu, vnde oriatur. 235.46.47

Connubium.

Connubium & matrimonium institutum est ad prolem generandam ex S. Doctore. 254.10

Consanguinitas.

an si Consanguinitas sit notoria non sufficiat, vt quis sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimittat. 148.2

Consensus.

Consensus essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè debet ferri in copulam, ex Dicastillo. 295 21.

an consensus explicitus de matrimonio contrahendo sit implicitus in copulam & filiorum procreationem. 256.1.

an ante consensum tacitum aut expressum Prælati Regularis, Religiosus electus non acquirat aliud quod ius in re in summum Pontificatum. 404.11

cuius Consensus requisitio dimanet solum ex iure positivo, aut ex vi filiationis acquisita ex professione solemnij, in qua emittitur solempne obedientiæ votum. 401.10.

an Consensus matrimonialis implicitè feratur in copulam declinatam à naturâ ad filios procurandos. 254 9.

an de Consensu populi, aut ciuitatum Regni etiam absque publica inopia & indigentia poterit Princeps augere numismatum pretia. 501.3.4

quem Consensum nequeat habere Religiosus professus 70.6.

an Consensus necessario, & essentialiter requisitus ad matrimonium implicitè saltem debet ferri in perpetuitatem. 294.19

Quis prior consensus implicitus dicatur. 249.10

Index Rerum.

- An posterior consensus virtualis in copulam possit esse ex parte contrahentis liberè appositus. 250 11.
- An virtualis consensus liberè appositus necessarius non sit ad validitatem matrimonij. *ibid.* 12
- An sine eo quod consensus contrahentium implicite saltem feratur in copulam sit verum sacramentum matrimonij. 246.1
- Duplex consensus qui ab Hugo. Victorino admissus fuit enodatur. 253.1
- An sit requisitus semper essentialiter consensus implicitus in copulam, vel possibilem vel futuram sub conditione. *ibid.* 2
- An consensus implicitus in copulam & filiorum requiratur essentialiter ad verum matrimonium. 248.14
- An ex morali certitudine consensus futuri colligatur actualis consensus tacitus & virtualis. 35.3
- An si vir de consensu vxoris fuerit ingressus, non constet quod hic fuerit expressus consensus, sed tacitus. 124.24
- Ire ad bellum ob defensionem boni communis est ita honestum, quod vir etiam sine consensu vxoris possit ire. 221.14
- An spontaneus consensus inter virum & fœminam legitime coniunctos faciat. 252.14.15
- An æquitas non exposcat, quod sufficiat tacitus consensus ex parte profitentis, & non sufficiat tacita acceptatio ex parte religionis. 110.12.13.14
- An consensus qui matrimonium facit sit consensus in matrimonium. 330.6
- An non teneatur dare consensum ad professionem emittendam. 116.10
- Nihil magis contrarium consensui quam error. 104 37.38.
- Duplex consensus admittitur. 247.7
- Constitutio.*
- Constitutio Piana limitanda venit in clericis in sacris non habentibus vnde viuant. 455.7
- An non constitutiones Regulares quæ impossibiles non sunt cum statu Episcopali, rationem legis & vim obligatoriam amittant. 416.14
- Consuetudo.*
- an Consuetudo orta ex tolerantia & scientia Pontificis licita sit. 16.47
- Aliquas consuetudines contra libertatem & communitatem Ecclesiasticam admittunt Salas & alij multi. 13.19
- An possit introduci consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi quotannis legatur Bulla Cœnæ. 15.39.40.41.42.43.& 44
- Consultatio.*
- ad quid Consultatio Generalis habeat potestatem. 4.4
- Contumacia.*
- Quæ dicatur Contumacia. 512.1
